P. LUDOVICI DE PONTE S. J.,

MEDITATIONES

IN COMPENDIUM REDACTAE

ET

MAGNO MEDITATIONUM NUMERO DE PRAECIPUIS SANCTORUM FESTIS AUCTAE

A

NICOLAO FRIZON S. J.

QUAS DENUO EDI VOLUIT ET PRAEFATIONE COMMENDAVIT

CELSISSIMUS ET REVERENDISSIMUS DOMINUS

SIMON AICHNER,

EPISCOPUS BRIXINENSIS ET PRINCEPS.

PARS PRIMA.

BRIXINAE.

TYPIS ET SUMPTIBUS CATHOLICAE UNIONIS TYPOGRAPHICAE.

1892.

Consideratio rerum particularium mentem purificat, regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat et ordinat, agenda praeordinat, acta recogitat, ut nihil in mente resideat incorrectum, aut correctione egens.

(S. Bern. L. 1. de Consid. c. 17.)

Lectori Salutem!

Celeberrimae et omnibus notae sunt „Meditationes“, quae olim a *R. P. Ludovico de Ponte S. J.* exaratae et typis excusae iterato in vulgus editae sunt. Innumeri erant et sunt, qui ex fonte istarum meditationum non solum propriae salutis et perfectionis aquas hauserunt, sed et in oviculas suae curae commissas sacrae doctrinae fluenta abundanter derivarunt. Verum meditationes Ludovici de Ponte, utut rerum ubertate, pietate ac spirituali unctione commendantur, tamen ex eo minus sunt aptae pro usu quotidiano, quod materiae sunt nimis diffusae, nec non psychologico potius nexu quam logico dispositae. Eapropter plures conati sunt opus praelaudati auctoris aptius et concinnius disponere, atque pro faciliori usu materias sub uno quasi obtutu collocare. Inter hos mea quidem sententia *locum facile principem tenet P. Nicolaus Frizon S. J.*, qui opus Ludovici de Ponte ita ordinavit, ut pro singulis anni diebus peculiarem meditationem, tribus sub punctis, seu sub triplici respectu considerandam assignaverit, adjiciens praeterea in utroque tomo aliquas meditationes de insignioribus Sanctis Dei. Habes ergo, benevole lector, hic laborem duorum insignium virorum, quorum alter *materiam* suppeditavit,

alter materiam ad *formam* seu *methodum* redegit usui practico magis accomodatam. Paucis: habes in hoc libro, si spectes *argumentum*, materiam et spiritum Ludovici de Ponte, si vero attendas ad *formam* seu *methodum*, novam quasi lucubrationem aptissime dispositam. Ceterum opus P. Frizon in duobus excellit. Prius est, quod meditationes prae se ferunt formam *orationis*, utpote quae haudquaquam sunt steriles et aridae, sed plenae *affectibus piis* ac ita comparatae, ut etiam in meditantibus *exardescat ignis*. Alterum est, quod sermo ita est suavis ac stylus facilis et amoenus, ut certe neminem deterrere debeat lingua latina, qua sunt conscriptae. Utere ergo, sacerdos Dei vel clerice ad sacerdotium tendens, his meditationibus nunc recens editis. Tolle, lege! Sed (ait quidam pius scriptor) „*utere lectis, ut accenseri merearis electis!*"

Brixinae, 8. Maji 1892.

† Simon, Episcopus.

Circumcisio D. N. Jesu Christi.

I. Januarii.

Consideranda tribus punctis, seu triplici sub respectu.

PUNCTUM I.

Respectu Mariae et Joseph. Ut aequum ferre judicium possimus, quam acerbum utriusque cordi vulnus culter circumcisionis inflixerit, opus foret prius comprehendere, quanto Jesum amore fuerint prosecuti, nimirum summo. Si ergo lex circumcisionis juxta complures SS. Patrum parentes obstrinxit, ut suis ipsimet manibus filios suos circumciderent, pro! quantum Mariae ac Joseph dolorem fuisse oportet, dum acerbissimis debebant doloribus prolem carissimam afficere! Repugnantis tamen naturae horrorem superavit amor legis divinae. Imo si ad eam perfecte adimplendam necesse fuisset verum hunc et meliorem Isaac propriis immolare manibus, ne id praestare neutiquam dubitassent.

Inspice modo, anima mea, inspice tenerrimum utriusque parentis cor, praesertim cor matris. O quam mirando societatis foedere ibi conjunctas suspicies virtutes *subjectionis et amoris! Subjectionis* erga Deum, qui jam tum cruentum Filii sui sacrificium exigebat: *Amoris* autem erga Jesum, cujus dolores ac vulnus ipsamet sentiebat vehementissime. Superi! quanto commiserationis sensu aspexerit manantem ejus sanguinem! qua devotione ac reverentia pretiosissimas cruoris divini primitias exceperit!

O virginum sanctissima, eosdem mihi impetra commiserationis, reverentiae, tenerique amoris affectus erga divinum infantem, qui jam hodie exorditur se pro nobis immolare. Fac, ut gratus tecum tanti magnitudinem beneficii agnoscam: at fac simul, tuo ut exemplo animos concipiam ac robur, omnia, quaecunque obedientia a me exigit, Deo consecrandi. At heu me! minima, quae tot jam annis exigit a me, Deo sacrificare mihi accidit grave: et tu ad primum Dei nutum promptissima eras ad prolem morti consecrandam, quae tibi vita millies erat carior? Imbellem me, ac imbecillem! Ah! tantae imbecillitatis miserere, Virgo generosissima et tuo me exemplo doce tam repugnanti, quam imbecilli naturae vim inferre, ut posthac ad apicem omnes Dei leges semper adimpleam.

PUNCTUM II.

Respectu Christi Jesu, heroicas in circumcisione exercentis virtutes. 1. *Obedientiam prorsus accuratissimam*, dum se ultro asperae legi subjicit, qua nec tenebatur *ut Deus*, quia supremus legislator: nec *ut homo*, quia immunis a labe originali, cujus signum atque remedium erat circumcisio. 2. *Profundam humilitatem*, dum infamem peccatoris notam et characterem in se suscipit Agnus sine macula. 3. *Patientiam insignem*, dum, quod aliis infantibus non contingit, pleno rationis ac libertatis usu jam tum pollens non modo cultrum, quem natura debebat perhorrescere, non declinavit, sed ictum et vulnus generose excepit eo majore doloris sensu, quo delicatiore erat complexione. Irretorto igitur oculo aspiciebat defluentes sanguinis sui rivulos, cujus vel guttula par erat redimendo toti mundo. 4. *Caritatem ardentissimam*, jam tum offerendo primitias cruenti illius sacrificii, quod in cruce aliquando debebat amore nostri consummare.

O infinita caritas! o patientia invicta! o profunda humilitas! o heroica obedientia! o divinae Jesu mei virtutes! eritisne autem mihi solius admirationis materia sterilis et absque fructu? Egone post tot decursos vitae meae annos necdum exordiar tandem aliquando amare te, o Jesu, qui in ipso vitae tuae limine adeo tenere

amasti me? Num semper ignavus perhorrescam occasiones patiendi pro te? pro te, ajo, qui nullam elabi sinebas patiendi pro me?

Tu ipsissima es innocentia per excellentiam: et vis palam haberi peccator: et ego reapse peccator eo arrogantiae progrediar, ut velim innocens videri? Tu sponte legi te subjicis, neutiquam te liganti: et mihi posthac arduum sit legibus subdi graviter me obligantibus, queis obedientiam negare haud possim, nisi tibimet sim inobediens, refractarius, rebellis?

O quam praeclara infinitae erga me bonitatis tuae signa et argumenta mihi praebent primae sanguinis tui guttae! Immortales, quas possum, ob id grates ex toto corde tibi ago, Redemptor amantissime. Ah! praepotentem, quaeso, earum virtutem fructumque cordi meo applica, ut tandem in eo progignant verum *obedientiae et caritatis* spiritum, qui te ad earum effusionem hodie impulit.

PUNCTUM III.

Respectu nostri, utpote quibus circumcisio Christi simul exemplar et motivum est circumcisionis *spiritualis*, ad quam Christiani omnes sunt obligati. Haec autem *cordis*, ut Apostolus vocat, *circumcisio* (Rom. 2, 29.), quae in eo consistit, ut resecentur omnia salutis et perfectionis obstacula, e. g. passiones inordinatae, desideria terrenorum, amor proprius, vitae commoda, deliciae, vitia etc., haec, inquam, spiritualis circumcisio est genuinus Christianorum character, ita, ut iis non minori foret ignominiae *cor* gerere incircumcisum, quam probro fuerit Judaeis *corpus* circumferre non circumcisum.

Filius Dei corpus suum legi *circumcisionis corporalis* subjecit. Huic legi in commodum nostrum antiquatae surrogavit alteram *circumcidendi corda*, ut hanc tanti momenti obligationem Christianos doceret et per circumcisionem carnis suae ostenderet necessitatem circumcidendi corda et passiones, sanctitati legis christianae adversantes.

Agedum, anima mea: in penetrale cordis nostri descendamus cultro mortificationis armati ad resecandas tot vanas cogitationes, tot terrenos affectus, superflua

tot desideria etc., quae praejudicio esse possint nostrae saluti, exitio perfectioni. Amemus quoque propter Jesum, quicunque salutarem cordis nostri circumcisionem promovent auferendo nobis periculosa, amputando superflua, castigando amorem proprium, frangendo corruptae vim naturae: utque amemus, utique sufficiet, quod spiritualem nostram circumcisionem strenue adjuvent, promoveantque.

Bene est, o Jesu, murmuret ergo, quiritet, oblatret amor proprius; hanc ego sectabor et generose exequar cordis circumcisionem in memoriam et honorem circumcisi corporis tui. Promoveant illam meae arbitri conscientiae: promoveant superiores mei, aequales, amici, vel inimici; mihi perinde erit. Tu vero, qui hodie *sponsus sanguinum mihi es* (Exod. 4, 25.), quique omnium optime, quid in me rescindi oporteat, nosti, nihil eorum, quae tibi displicent, tolera in corde meo, sed insere per gratiam tuam omnia, quae tuis me oculis gratum possint reddere.

De impositione nominis Jesu.

II. Januarii.

Vocatum est nomen ejus Jesus.

(Luc. 2, 21.)

PUNCTUM I.

Quis sacrosancti nominis Jesu est auctor? Quinam illud primi pronuntiarunt? Quomodo Christus illud acceptavit?

1. Solus Deus poterat divino infanti hoc nomen imponere, quia solus noverat, quem in finem, ad quae officia illum miserit in mundum. Qui in lege antiqua eo nomine gloriabantur, figura tantum erant et umbra Jesu. Solus Deus-Homo merebatur vere, perfecte et per eminentiam Jesus appellari, quia, quod vox Jesus sonat, fuit *Salvator mundi*, de coelo descendens, ut homines ab omni culpae et poenae malo vindicaret, suamque communicando gratiam et gloriam aeternum beatos redderet.

Quam venerandum igitur est hoc nomen, anima mea! quam dignus latriae cultu, nostroque homagio, qui nomen illud gerit! Non minore ergo, ac propheta, jure *ego in Domino gaudebo et exultabo in Deo Jesu meo*, Salvatore meo. (Hab. 3, 18.)

2. Ter augustum hoc nomen a Deo ab omni retro aeternitate designatum, ab archangelo Gabriele in tempore revelatum, B. Virgo prima cum S. Josepho in circumcisione enuntiavit. Uterque omnium primi virtutem atque dulcedinem hujus nominis degustarunt: dulcedinem, quae in omnes se large effundit, quicunque illud vel pronuntiari audierint, vel invocaturi sint: *Oleum effusum nomen tuum.* (Cant. 1, 2.) Quodsi ego id dulcedinis non experiar, vitium est non nominis, sed palati, cordis et gustus mei, terrenis affectibus et sensualium amore corrupti.

Sana Domine fatalem hanc animae meae aegritudinem; infunde mihi universalem omnis creatae dulcedinis nauseam, ut in te solo delecter, o Jesu, super omnia dulcissime.

3. Filius Dei praegrande nomen Jesu, quod immensas ipsi imponebat obligationes, non solum cum plena in Patris voluntatem resignatione acceptavit, sed et cum exultatione ac ardenti desiderio illas pro hominum salute ad apicem implendi.

Quantas igitur tibi grates debeo, Servator mi amantissime, quod officium mihi adeo salutare susceperis in te! Ah! exequere (supplex rogo) exequere illud in me et ipso opere demonstra, te vere meum esse Jesum, seu Salvatorem. O Jesu! *esto mihi Jesus et salva me.* Imo fac, ut omnes pariter homines eandem hujus nominis vim et efficaciam mecum experiantur.

PUNCTUM II.

Cur autem Pater aeternus nonnisi die octava, seu ipsa circumcisionis die Filium suum nomine Jesu voluit insigniri? Id voluit 1. ut ei compensaret humiliationes, quas in circumcisione tulit; aequissimum enim erat, ut, qui in illa omnium probrosissimam peccatoris notam et formam pro gloria Patris ultro in se susciperet, ab eodem mox honoraretur gloriosissimo *nomine, quod est super omne nomen* (Philipp. 2, 9.): simulque omnibus

ex ipso nomine innotesceret, hunc infantem non solum ab omni peccato esse immunem, sed ipsissimum esse, qui immunem et *salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* (Matth. 1, 21.)

Reddamus nos participes gloriae Servatoris, anima mea, eique congratulemur, quod a Patre justissimo tantum honoris et gloriae retulerit, quantum pro eo humiliationis ac probri sustinuit.

Imo eadem ratione, o Deus, tuis cum electis, quos *praedestinasti conformes fieri imaginis Filii tui* (Rom. 8, 29.), agere consuevisti; hos enim, dum oculis hominum videntur ad ima depressi et tantum non in nihilum redacti, subito amas eruere ex humiliationum abysso, quo eos praecipitasti, ut ad sublimius, imo supremum gloriae culmen evehas. Raro eos toto vitae curriculo inglorios relinquis, contemptosque: aut si ita relinqueres toti ignotos mundo, tibi vero soli notos, acceptosque, profecto tua haec unius approbatio majori illis gloriae et honori foret, quam omnis mundi applausus et admurmuratio.

2. Non alia, quam circumcisionis die, nomen *Jesu* Pater Filio imponi voluit, ut nos edoceret, quanto titulus *Salvatoris* impendio ei constiterit, cum *sine sanguinis effusione non fiat remissio.* (Heb. 9, 22.)

O Jesu mi! primae ergo sanguinis, quem hodie fundis, guttae sunt velut arrha et pignus totius pretii, quod pro redemptione nostra moriendo in cruce statuisti solvere. Quam immensum tibi sum devinctus ob zelum tam ardentem, tam generosum! Si autem tibi tam caro stat salus mea, qui prudenter ausim praesumere, nihilo mihi staturam?

PUNCTUM III.

Teste Apostolo *nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto* (I. Cor. 12, 3.): quis igitur praesumat sine ejusdem gratia comprehendere excellentias augustissimi hujus nominis? est enim compendium et mnemosynon omnium, quae in Christo resident, excellentiarum: scilicet 1. omnium, quae illi, *qua Deus est*, competunt, divinarum perfectionum. 2. Omnium, quae ei, *qua homo* est, conveniunt, gratiarum et virtutum. 3. Omnium, quae nobis

qua Deus et homo simul praestat, officiorum. Verbo, qui Jesum dicit, dicit eum, de quo propheta: *Et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri saeculi, Princeps pacis.* Qui Jesum dicit, hominem dicit summe adorandum, infinite humilem, infinite mansuetum, patientem, modestum, fortem, obedientem, caritate plenum, quem Pater aeternus omnium prorsus virtutum regulam et exemplar nobis ad imitandum proponit. Qui Jesum dicit, optimum dicit magistrum, amantissimum patrem, ducem fidelissimum, pastorem dulcissimum, protectorem sapientia, bonitate, potentia longe instructissimum. En! haec omnia dicit augustissimum Jesu nomen, dignum sane humiliato Deo-Homini praemium: nomen dulcissimum, cui omnis spes nostra innititur.

O nomen super omne nomen! quam belle omnes Dei-Hominis excellentias et perfectiones mihi manifestas! Solum hoc nomen, mi Jesu, quam merito omnem meam venerationem, amorem, fiduciam sibi vindicat! quam bene per omnem vitam exclamabo et millies ingeminabo: *Jesus meus et omnia! si vulnus curare desidero, medicus es: si febribus aestuo, fons es: si gravor iniquitate, justitia es: si auxilio indigeo, virtus es: si mortem timeo, vita es: si coelum desidero, via es: si tenebras fugio, lux es: si cibum quaero, alimentum es.* O Jesu! unicum bonum et tota beatitudo mea! *Jesus meus et omnia!* Fac ergo, ut amem te super omnia, nihil quaeram praeter te, nunquam tuum obliviscar sanctissimum nomen, sed illud die noctuque semper habeam *in mente*, ut de eo semper cogitem: *in corde*, ut illud semper amem, totamque in eo spem reponam: *in ore*, ut ejus excellentias aliis quoque manifestem et illud in meis necessitatibus invocem tam in vita, quam in morte ingeminando semper: O Jesu! esto mihi Jesus et salva me.

III. Januarii.

Repetitio unius ex praecedentibus duabus meditationibus.

IV. Januarii.

Stella tres magos ducit Solymam.

(Matth. 2, 2.)

PUNCTUM I.

Uti Christus qua Salvator mundi ad salvandos aeque Gentiles, ac Judaeos, advenit, ita hos in pastoribus per angelum, illos in tribus magis per stellam vocavit. *Vidimus*, ajunt, *stellam ejus in Oriente: et venimus adorare eum.* Jam tunc impleri coepit terribilis sententia a Christo subinde prolata: *Multi sunt vocati, pauci vero electi* (Matth. 20, 16.): quot enim hominum milia viderunt stellam, cujus lux et splendor eos non minus, quam tres reges invitavit ad cognoscendum, adorandumque Dei Filium? At quam pauci prodigiosam stellae linguam intellexerunt! et inter hos ipsos quot secuti sunt eam? nimirum soli tres reges, coeli favoribus et gratia, quam regia majestate magis conspicui, coelestem hanc linguam et mysterium, quod loquebatur, capiebant.

Magne Deus! quid autem magni praestitere hi reges, quo tantos prae tot aliis hominibus favores et gratias, summam praesertim gratiam vocationis ad veram fidem, sint promeriti? Imo quid meritorum, o Deus, in me reperisti, ut me prae innumeris ad eandem, ad verum nominis tui cultum, imo ad supremam status religiosi felicitatem vocares. Sis aeternum benedictus, amabilissime Jesu, ob tam singularem erga me misericordiam! Nimirum in ipsis adeo cunis jacens, mei non minus, ac trium magorum jam memor, eadem, quam eis in coelo tunc accenderas, stella me quoque vocasti et in tui cognitionem duxisti. Ea de causa humillimas quotidie grates tibi agam in vita, et post mortem cum propheta regio *misericordias tuas in aeternum cantabo.* (Ps. 88, 2.)

PUNCTUM II.

Admirare, quam magi stellae praestiterunt obedientiam, insuper habitis tot obstaculis, quae opposuit, aut finxit prudentia mundi, dicens levitatis esse tam facilem adhibere fidem, tam promptum gerere morem signo

coeli plane ambiguo et aequivoco: Sapientiae, quam ipsi profiterentur, regulas dictare, nihil inconsulte aut caeco animi impetu statuendum, nec in alterutram eundum partem, nisi post accuratius examen, post deliberationem magis maturam. Viris tantae, qua ipsi pollerent, majestatis exiguo fore honori temere tanto se itineri committere, sua deserere regna et qua reges alienis in regionibus ignotum pusionem investigare etc.

His, aliisque in speciem gravissimis politicae mundanae rationibus aliud magi non reposuere, quam: *Oportet obedire, cum coelum loquitur et Deus praecipit.*

Dicat ergo mundus quidquid voluerit, anima mea, cum vocari te advertis ad cognitionem et amorem Jesu Christi, ad vitae perfectionem, ad statum humilem humili in cunis Deo conformem, eo contendendum est neglectis, aut perruptis omnibus obstaculis. Quodsi opus foret falsam mundi prudentiam pedibus calcare, omnem humanum contemnere respectum, sustinere irrisiones, contemptus, dicteria hominum, nihil horum morare. Imo meminisse debes, quod pro stulto debeat haberi a mundo, qui vult sapiens esse coram Deo.

Et vero curandum non est corruptum mundi judicium, cum tu, o Jesu, ad tuum nos vocas servitium. Ita est: toti mundo ex corde sincero nuntium remitto, ut tibi possim obedire soli. Millies omni hominum aestimationi praefero summum honorem in illos redundantem, qui te quaerunt et sequuntur usque ad humilitatem stabuli tui.

PUNCTUM III.

Quod olim Israelitis *per noctem* fuit *columna ignis, per diem columna nubis* (Exod. 13, 21.), hoc stella erat magis in itinere, nimirum fidelis et constans dux viae.

Quam volupe ipsis fuerit videre, suum obediendi studium tam liberaliter a coelo remunerari et in prodigioso sidere agnoscere certum ac infallibile pignus, se deceptos non fuisse! O quantos illis animos, vires, alacritatem in omnibus viae difficultatibus addiderit aspectus ducis adeo rutilantis, comitis adeo fidi! quantum laetitiae ac spiritus unctionem hauserint, quia manifeste experti benedictionem Domini, cui obsecundarunt.

Talem nempe, mi Deus, tua consuevit providentia se illis exhibere, qui se tibi ex asse devotos profitentur, consecratosque. Ubi primum quis decreverit solummodo in via altissimae perfectionis tuum sequi Filium, pro! quam copiosum operae ac laboris, quo susceptum animi propositum fors stetit, pretium refert initio statim per abundantiam gratiarum! adeo dulcia reddis omnia tibi servientibus. Accedit tanta cordis, animique tranquillitas, quantam omnes mundi deliciae non possunt afferre.

V. Januarii.

Tres magi Solymam ingrediuntur.

(Matth. 2, 1—9.)

PUNCTUM I.

Magis Solymae appropinquantibus stella disparuit haud exiguo eorum dolore: non tamen a coepto itinere destiterunt. Sic amat Deus periclitari fidem quaerentium se. Eclipses non raro et subtractionem lucis suae permittit, adeo, ut se videant densa nocte et tenebris deprehensos; quid tunc facto opus? Magos imitari oportet. Stellae loco, quae fuerat dux e coelis, alios quaerebant duces in terris et silente lingua coelesti consuluerunt humanam.

Noli credere, anima mea, tempus visitationis divinae et consolationis diu aut semper duraturum. Brevi succedet tempus ariditatis, taedii, desolationis. Atque haec est quotidiana vicissitudo in via sanctitatis, Deo ita disponente, ut suorum exerceat humilitatem servorum, perficiat fidem, exploret fidelitatem. Cave autem tunc temporis animum et spem abjicere, sed potius finem ac intentionem Dei ita disponentis considerans humilia te sub potenti manu ejus, qui sub modio tantisper abscondit lucernam et stellas, quae prius eximie tuis micabant oculis. Consule tunc viros ad id constitutos, ut te ducant, Deique voluntatem edoceant. Quodsi minus arrideat illos audire et sequi, eo securius te illis committes. Imitare sponsam, quae sponsi dolens absentiam surgit in tenebris et medio noctis dilectum per vicos

et plateas quaerit, nocturnos vigiles, qui nostros denotant animarum pastores, sollicite rogans, num vidissent dilectum suum.

Cum eadem sponsa, Domine, imposterum te quaeram, nullus dubitans, quin, ut illa, te sim inventurus, si eodem cum illa fervore sim quaesiturus. Non occultas te, non subtrahis, nisi ad tempus; nec alio fine, quam ut meam animes fidem, spem resuscites, accendas amorem, teporem impedias. Domine, aequaliter amabo te et adorabo in lumine et tenebris. Quodsi cesses me per temetipsum instruere, consulam, quos mihi viae duces, vitae magistros, tuos in terris vicarios dedisti.

PUNCTUM II.

Admirare in magis et Herode diversos animi motus et effectus, quos Verbum incarnatum in cordibus hominum producit, scilicet pro diversitate dispositionum. In corde magorum succendit ardentem, magnanimumque zelum audacter, ubi *natus sit* novus *rex Judaeorum* interrogandi in aula et praesentia regis suspiciosi, zelotypi, barbari, tyranni per vim intrusi: neque impendens, cui sese illa interrogatione objiciebant, vitae periculum pertimescebant. Contra turbat Christus et terroribus replet cor Herodis, supremi licet Solymae domini. Unde tanta diversitas? Noli ejus causam quaerere in Christo, qui in mundum venit, ut secum afferret tranquillitatem, pacem, gaudium, securitatem; uti abunde experti sunt tres magi, qui in simplicitate cordis eum quaerebant, nullumque vim suam exercendi obstaculum ponebant coelesti gratiae. Causae perturbati Herodis erant superbia, regnandi ambitio, zelotypia.

O quam felix est, mi Jesu, cor docile, submissum, obediens et tuis fidele inspirationibus! quanta illud beas unctione, laetitia, pace! quot semina virtutum heroicarum in eo spargis! Quam infelix autem est cor indocile, durum, rebelle, ac tuae repugnans voluntati, atque adeo ad colligendos incarnationis tuae fructus inhabile! quid mirum igitur, si in praedam cedat mille animi perturbationibus?

Quantum gaudeo, Deus meus, quod te jam nunc videam supremum exercere dominium tam in amatores

tuos, quam in tuos persecutores! O quam liberalem te ac munificum aliquando experientur justi, quos tantis adhuc pauper cumulas bonis! At quid non sub mundi finem timendum est impiis a majestate judicis, quos tanto terrore jam concutit imbecillitas infantis?

PUNCTUM III.

Herodes intellecto magorum consilio *congregans omnes principes sacerdotum.. sciscitabatur ab eis, ubi Christus nasceretur: at illi dixerunt ei: In Bethlehem Judae; sic enim scriptum est.... Tunc Herodes clam vocatis magis... dixit: Ite et interrogate diligenter de puero, et, cum inveneritis, renuntiate mihi.*

O stupendam Dei providentiam! Utitur opera impiorum ad obsequia justorum: opera Herodis ad manifestandum magis locum nativitatis Christi. 2. Per ministros etiam iniquissimos intelligentiam Scripturarum iis, qui hanc fide bona et corde sincero quaerunt, impertitur, ita ut improbitate non obstante *labia sacerdotis custodiant scientiam.* (Malach. 2, 7.) 3. Scripturis satis jam claris majus adhuc lumen affundit, ut certius agnoscatur et inveniatur Jesus. 4. Voluit, ut reges exteri venirent e remotis regionibus ad quaerendum et adorandum Messiam: interea occulto, at terribili judicio (quod adorare oportet, non scrutari) permisit, ut Judaei, queis promissus, imo praesens erat Messias, nec pedem moverent ad eum inquirendum, nedum ad adorandum. Quam bene locum jam tunc habuit Christi oraculum: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum.* (Joan. 6, 44.)

O mi Deus! quam adoranda et suavis tua est providentia! quam terribilia autem judicia! Veritatem quaerere animo eam oppugnandi, crimen est Herodis. Habere scientiam et cognitionem Scripturae et ex ea non proficere: item aliis monstrare Christum et eum non accedere, aliis viam salutis ostendere et eandem non ingredi, funestus impiorum sacerdotum status est. Solem justitiae secum habere et ejus lucem non admittere, est caecitas et excaecatio Judaeorum. At vocari ad agnitionem et amorem Jesu Christi et vocationi fideliter obsequi, felicitas et meritum est magorum, imo omnium, qui eorum

exemplo divinis auscultant motibus gratiae, dociles et prompti ad sequendum. Ex horum numero, o Jesu, utinam sim per gratiam tuam omnibus vitae meae momentis!

Epiphania Domini.

VI. Januarii.

Magi Jesum inveniunt et adorant.

(Matth. 2, 9. sq.)

PUNCTUM I.

Magi post acceptum de loco nativitatis Christi indicium relicta Herodis aula e vestigio abierunt in Bethlehem. *Et ecce stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, usque dum veniens staret supra, ubi erat puer. Videntes autem stellam gavisi sunt gaudio magno valde.*

Superi! quot verba, tot doctrinae. Non oportet, praesertim ecclesiasticos, aut religiosos, citra necessitatem aulas principum subire, nedum in iis moras trahere: secus res periculo non caret. Lumen coeleste non splendet in fumo passionum, quibus aulae obscurantur et curiae. Vox coeli non auditur inter tumultus saeculi. Inde te proripias necesse est, ut possis Dei communicationibus frui. Dic frequenter cum Davide (Ps. 54, 7. 8.): *Quis dabit mihi pennas sicut columbae, et volabo et requiescam? Ecce elongavi fugiens et mansi in solitudine,* in loco pacis et quietis, ubi tranquille divinis utar et fruar illustrationibus. Has si amisimus, ibidem brevi reperiemus iterum, modo cum magis sollicite quaeramus.

Scilicet non potes, Domine, diu sustinere gemitus et suspiria tuorum. Gaudes cito eorum detergere lacrimas et consolari afflictos. Amabilis sane Dei providentia, quam non raro ipsemet sum expertus! non poteras, o Deus, diu me afflictum intueri, sed festinabas luctum meum convertere in gaudium et *secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuae laetificaverunt animam meam.* (Ps. 93, 19.)

PUNCTUM II.

Stella, postquam magos duxit usque in Bethlehem, *stetit supra, ubi erat puer*, seu natus Messias.

Quantus fuerit initio magorum stupor, qui nescio quas sublimes de regia quadam divini infantis majestate ideas animo conceperant, rati novum, quem stella duce investigabant, regem inventuros in quodam palatio, aut certe in alia domo magnifica! Quantus, inquam, fuerit stupor infantem intuentium in paupere stabulo, omnibus coeli et tempestatum injuriis pervio! At non diu tenuit ea admiratio; coelesti enim radio, qui de vultu infantis promicabat, illustrati ocius summam majestatem in humili pusione agnoverunt et interiori lumine repleti didicerunt, quod majestas novi regis non consistat in pompa, splendore et luxu mundi, sed in horum contemptu: quod *regnum ejus non sit de hoc mundo* (Joan. 18, 36.): quod, qui voluerit in illo magnus esse, debeat se humiliare. De his veritatibus convicti, momento citius agnoverunt, hunc infantem esse conditorem coeli et terrae. O stupendam divini infantis potentiam, triumphantis de superbia mundi, sapientumque intellectum captivantis in obsequium fidei!

Jam ergo fideles magi sanctis perfundebantur laetitiis, et velut in extasin rapti corda oculosque irretortos in divino infante defigebant, contenti, si nunquam amplius ab ejus latere foret discedendum.

Ejusdem mentis et sensus est anima, quae post mille difficultates et curas suum tandem Deum reperit in penetralibus tranquillae conscientiae, in quiete et silentio collectae orationis et maxime in exercitio devotae communionis. Humiles Eucharistiae species, quae pannorum instar Deum-Hominem involvunt celantque, non impediunt cor fidele, quominus eum intueatur oculis fidei, sentiat praesentem, ac divinae delicias praesentiae degustet, ita, ut cum omni reverentia et teneritudine animi possit dicere: *Inveni, quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam.* (Cant. 3, 4.)

PUNCTUM III.

Et procidentes, coronataque inclinantes capita, *adoraverunt* infantem: *et apertis thesauris obtulerunt ei munera*,

aurum, thus et myrrham; aurum qua regi, thus qua Deo, myrrham qua mortali Deo-Homini, adimplentes vaticinium Davidis: *Coram illo procident Aethiopes, et inimici ejus terram lingent: adorabunt eum omnes reges terrae: omnes gentes servient ei.* (Ps. 71, 9. 11.) Quam volupe est animae amoris et honoris divini studiosae Deum-Hominem intueri non jam a simplicibus pastorculis, sed a sapientibus ac regibus de genu adorari, atque omnibus profundissimae venerationis significationibus coli! Jungamur et nos his divini infantis adoratoribus et tenerrimo devotionis sensu dicamus illi:

Rex regum et Domine dominantium! gaudeo quam vehementissime, tantos reges et mundi sapientes aspiciens tuis affusos pedibus. Utinam omnes terrae principes idem tibi praestarent homagium! Ah! quando implebitur tuum, quod per prophetam (Isa. 45, 24.) fudisti oraculum: *Mihi curvabitur omne genu?* Ego quidem cum ss. tribus magis humi prostratus tuam, o Jesu, supremam adoro majestatem, summam veneror potentiam, teque agnosco non minus utraque praeditum in cunis infantiae, quam in tuae throno gloriae. Utinam magorum exemplo possem tibi aperire thesauros et cistas opibus refertas! Imo non, Domine, non expectas similia a paupere, qualis ego sum, servulo. Cor meum petis, ut tibi aperiam. En! totum tibi patet. At eheu! quid ibi tuis dignum oculis et manibus reperies, nisi ipsemet prius illud repleas pretiosis gratiae tuae donis, purissimo amoris tui *auro*, fervidae devotionis *thure*, *myrrha* perfectae appetituum, sensuumque meorum mortificationis? Saltem ardens horum desiderium tibi ex toto corde offero.

Et quoniam dignatus es me ad statum religiosum vocare, meaque clementer acceptare vota, hodie ea coram te instauro, deque novo me totum tibi consecro per votum *castitatis*, cujus symbolum est myrrha: per votum *obedientiae* totum abnego me ipsum, ut thuris instar igne caritatis tuae absumar; per votum *paupertatis* omnes mundi divitias et aurum ad pedes tuos abjicio. Accipe, quaeso, tenua haec mea, servulorum infimi, munera, eaque in odorem suavitatis admittere ne dedigneris.

De cujuslibet hominis stella.

STELLA I.

Seu vocatio ad veram fidem. Nulli non hominum sua lucet stella, vocans ad agnitionem et amorem Creatoris. Deus, qui *solem suum oriri facit super bonos et malos* (Matth. 5, 45.), suae pariter gratiae lumen omnibus accendit, ceu stellam, *illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum.* (Joan. 1, 9.) Haec gratiae stella suam cuilibet viam monstrat ad Deum et ad verum ejus cultum, nisi quis semetipsum isto favore reddat indignum. At negari non potest, magnam inter has stellas dari differentiam et quidem majorem in ordine gratiae, quam naturae.

Amabo! per quem stetit, quod natus haud sim in novo orbe, Americanus, Sinensis, Barbarus, aut in sinu gentilitatis educatus? Egone nativitatis locum elegi, aut educationis? imo tu solus, Domine, per infinitam bonitatem tuam utrumque elegisti. Tuae duntaxat misericordiae in acceptis referre debeo, quod christianis prognatus sim parentibus: illa me coetui fidelium inseruit et januam orthodoxae Ecclesiae aperuit.

Quam immensum, mi Deus, tibi obstrictus sum ob felicem stellam, quae me in gremium tuae perduxit Ecclesiae! Quid aliud tibi pro tam eximio favore reddam, nisi studium singulare in ea fideliter tibi ad mortem usque serviendi? Imo *quis mihi det, Domine, ut moriar pro te, et per me agnoscant te omnes fines terrae!* Id certe toto ex corde desidero, atque etiam de tua misericordia spero. O quam felix essem, si toti mundo inaestimabile verae fidei donum, quo me beasti, possem communicare, atque etiam cum vitae periculo usque ad extrema terrae gloriam ss. nominis tui divulgare!

STELLA II.

Seu vocatio ad statum religiosum. Expende, at cum humilitate ac omnibus grati animi significationibus expende prorsus misericordem Dei erga te providentiam et collatas tibi singulares gratias, ut securiorem adhuc redderet salutem tuam. Vocatio, qua te prae millies mille aliis ad statum religiosum vocare dignatus est,

prae aliis vocationibus et beneficiis magni meretur aestimari: illa vero, quae a puero sensisti, efficacia ad illum statum illicia totidem erant stellae, quae illo fortiter et suaviter te pertraxerunt.

O! quot dantur in mundo impii! quot solutioris vitae libertini, qui hodie eximia sanctitate forent conspicui, si fuissent religiosi! Ego certe, religiosus nisi forem, illos omnes impietate fors antecellerem. Quot praeterea reperire est, qui religiosos in claustris saeculari vitae sanctitate multum antecedunt et, quod consequens est, melius, quam ego, ad statum vocari religiosum sunt promeriti!

Quanto autem mihi probro est adeo singularem vocationis religiosae gratiam accepisse et tam parum eidem respondere? deberem sane eam quotidie grato volvere et revolvere animo, mihimet dicens: Nostine, anima mea, quanti sit pretii, ponderis et sublimitatis s. vocatio tua? Quid autem fecisti, ut prae innumeris, te multo dignioribus, id gratiae tibi Deus largiretur? profecto *non fecit taliter omni nationi.* (Ps. 147, 9.)

Utique non, amabilissime Deus, *non omni nationi*, at mihi *taliter fecisti* servorum infimo, omnium indignissimo: atque hoc ipsum profundissima humilitatis, gratique animi sensa mihi inspirat. Ast quo tandem modo tantae bonitati tuae respondente mentem beneficii memorem tibi potero testificari? non alio scilicet, quam quo ipsemet inviolata semper fidelitate sanctitati status mei respondeam.

STELLA III.

Seu vocatio ad perfectionem. Equidem Christiani omnes ad perfectionem sunt vocati: *elegit nos Deus in Christo Jesu, ut essemus sancti* (Ephes. 1, 4.): attamen id verius de omnibus religiosis dicendum, quod S. Bernardus scripsit ad fratres de monte Dei: *Non solum vovistis omnem sanctitatem, sed omnis sanctitatis perfectionem.*

Sed pro dolor! de religiosis quoque dici potest: *Multi sunt vocati, pauci vero electi* (Matth. 20, 16.); etenim innumeros inter religiosos quot eheu! dantur imperfecti, socordes, discoli, saeculares sub habitu religioso! Quid autem

opus erat tanto cum strepitu et pompa mundum deserere, ut ejus dogmata et mores adhuc in claustro conservent? opulentas relinquere facultates ac bona, ut postea crepundiis adhaereant? solenni ritu sanctitatem profiteri; et semper profano saeculi ritu degere? quotidie micantes coeli stellas (inspirationes divinas) ante oculos habere, quae nos ad Bethlehemiticum vocant stabulum, ad imitationem Dei humilis, Dei pauperis, Dei patientis: et tamen neglectis tot luminibus obstinate inanem venari gloriam, sectari vitae commoda, delicias, superflua, imo usque ad ipsum Calvariae montem premere tramitem vitae mollis, dissolutae, prorsus immortificatae?

An non autem merito timendum, ne ejusmodi stellae tandem omnino dispareant, aut nobis, ut Judaeis, luceant ad majorem mentis excaecationem, ad majorem animae damnationem?

Quam immensum igitur, Domine, tibi sumus devincti, quando et tua nobis manifestas imperia et simul gratiam confers ea exequendi: quando stellas accendis tam perlucidas, ut sui sequelam persuadeant: quando vi amica et velut pro imperio ad sanctitatem nos pertrahis, ad quam vocas! sed nempe hic tuae est cumulus misericordiae, quam me quoque (tantum fiduciae in bonitate tua colloco) impetraturum firmissime spero.

De reditu magorum in patriam.

(Matth. 2, 12.)

PUNCTUM I.

Filius Dei, *in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi* (Coloss. 2, 3.) a, magis pretiosa quidem accepit munera, non tamen eorum liberalitate et munificentia, utut pauper visus sit, vinci se passus est, sed multo largiores gratiae ac misericordiae thesauros depluit in illos. Deposito ad pedes suos *auro* substituit extremam bonorum temporalium nauseam et contemptum: *thuri* oblato teneram ac solidam erga Deum verum jam cognitum devotionem, simulque constantem idolorum,

quae hactenus adoraverant, abominationem. Denique pro *myrrha* donavit illis gratiam puritatis et sanctae incorruptionis, vi cujus per reliquum vitae tempus securi essent ab omni contagione saeculi et peccatorum.

Ita nimirum cum servis tuis agere, mi Deus omnibus retro saeculis familiare tibi fuit, estque hodiedum. Eorum liberalitate te superari non sinis. Imo minima quoque obsequia immensis compensas thesauris et abundantia gratiarum.

Sic repleti omni benedictione coelesti redierunt magi e paupere stabulo, ubi individuae tres personae erant Jesus, Maria et Joseph. Igitur neque nos unquam separemus illas in corde ac omni devotione nostra: et certo certius immensos animae fructus referemus.

PUNCTUM II.

Magos tota, quam apud Jesum exegerant, nocte continuam passos extasin angelus in somno admonuit de via in reditu tenenda. O stupendam Dei nostri providentiam erga illos, qui adorant eum in spiritu et veritate!

Forsan cogitabant semper apud novum regem, quem tanto labore quaesierant, remanere; longe felicius fore rati, fidelem huic Domino servitutem servire, quam suis in ditionibus regnare. Saltem poterant, ut Petrus postea in monte Tabor, exclamare: O quam *bonum est nos hic esse* tecum! (Matth. 17, 4.) At enim deserendae erant caelestes deliciae, ut primi in orbe Apostoli ejus ubique divulgarent gloriam, cujus fuerant in stabulo aulici: relicto illis insigni documento, quos, dum sacra quiete et suavi cum Deo familiaritate fruuntur, obedientia repente ad apostolicos vocat labores. Nimirum oportet tunc deliciis praehabere lucrum et honorem Jesu Christi.

PUNCTUM III.

Et responso accepto per Angelum *in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam.* Solymam non remearunt, ubi Herodes expectabat eos, ut certiora de recens nato rege intelligeret, eumque tolleret e medio. Ita humanam, o

Deus, nosti confundere sapientiam, prudentumque consilia evertis per simplicitatem justorum. Sis, Domine, ob infinitam hanc sapientiam aeternum benedictus, mihique extremum pseudopolitiae horrorem inspira.

Intentio autem et finis providentiae divinae non tantum erat intentionem Herodis subruere et vafram ejus confundere politiam, verum etiam docere, nos ad coelestem patriam nunquam reversuros, nisi per viam viae oppositam, quae nos inde abduxit. Et quaenam fuit illa? quae nos ad mendaces delicias, ad inordinata duxit gaudia abutendo creaturis et libertate nostra. Aliam modo et illi contrariam oportet inire viam, si cupimus in viam coeli redire, quo non pervenitur, nisi per omnimodam sui abnegationem etc.

O mi Deus! quantum hallucinantur, qui recens ad te conversi etiamnum adhaerent propriae voluntati, honoribus, deliciis! Haec ipsissima est via, quae eos jam olim duxit ad perditionem, ducetque innumeros.

At numquid ego quoque eandem actu teneo viam? mea in omnibus tam avide commoda quaerere, fugere totis viribus humiliationes, minimam laesi honoris mei jacturam ferre prorsus aegerrime etc., numquid certa sunt argumenta, quod novum illud iter necdum ingressus sim, quo tamen tua me toties vocavit gratia?

Agnosco errorem meum, Domine: ah! miserere aberrantis. Da veniam, simulque gratiam periculosum, quem hactenus infelix tenui, tramitem deserendi et serio arctam repetendi viam, quae ducit ad vitam, ad felicem aeternae beatitudinis metam.

Dominica I. post Epiphaniam.

Jesus in templo inter doctores.

(Luc. 2, 41. sq.)

PUNCTUM I.

Considera sanctam Mariae et Joseph consuetudinem quotannis cum filio suo ascendendi Jerosolymam ad celebrandum ibi Pascha. Ascendebant autem *secundum*

consuetudinem, non ex mera consuetudine, nec ex respectu humano, nec praecise ob exemplum aliorum, sed novo semper devotionis spiritu animati ascenderunt, ut Deum adorarent in loco sancto; ut supremum Dei dominium, suamque profiterentur subjectionem eidem debitam; ut solennes juxta legis finem grates Deo redderent pro tot acceptis de ejus manu beneficiis.

Quis jam cogitatione possit assequi, quanta id pietate perfecerint? qua reverentia templum subierint? qua devotione singulis festi omnium solennissimi functionibus et ceremoniis astiterint? O quam perfecte et nos disceremus 1. *Cultum religionis*, quo sacri Ecclesiae ritus sunt observandi. 2. *Puritatem intentionis*, qua sunt frequentandi. 3. Novum semper *devotionis fervorem*, quo consuetus Dei cultus continuo est accendendus! Quam perfecte, inquam, haec omnia disceremus, si sancta Jesu, Mariae et Joseph exempla imitaremur!

Divinissime magister, qui in hunc mundum venisti, ut nobis omnium esses virtutum exemplar, inprime cordi meo aliquot vestigia tuae sanctioris vitae: inspira parem, quam in praesentia Patris tui prae te tulisti, reverentiam, et vel unicam amoris vivi ac ferventis, quo erga eundem ardebas, scintillam in corde meo excita.

PUNCTUM II.

At cur parentibus domum redeuntibus solus *remansit puer Jesus in Jerusalem* et templo? idque insciis parentibus? *et non cognoverunt parentes ejus.*

Remansit, ut suum, quo in res sacras ferebatur, amorem atque affectum ostenderet, suaeque aetatis adolescentes doceret, quam utile ac *bonum sit viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua.* (Thren. 3, 27.)

Remansit autem *insciis parentibus*, ne, si suo manendi proposito repugnarent, ipse autem voluntatem Patris sui eorum voluntati praeferens in Jerusalem, uti statuerat, remaneret, inobediens videretur; aut ne, si consentirent, eorum praesentia impedimento sibi esset ac remorae praestandi totum id, quod ibi ad Patris gloriam facere decreverat.

O quanti hic momenti documentum divinus infans nobis relinquit, docens, quam alienos esse nos oporteat a carne et sanguine, a sensuali parentum amore, quo semper expediti simus ad faciendam Patris aeterni voluntatem! Jam tunc *docebat exemplo, quod postea praedicaturus erat verbo:* scilicet sine mora relinquendos esse propinquos, quando eorum praesentia divinae de nobis dispositione adversatur et, *qui amat patrem et matrem plus quam* Patrem coelestem, *non esse dignum* regno Dei. (Matth. 10, 37.)

Heu me! quanto confundor rubore, o Jesu, quod hactenus propinquis et parentibus meis tam arcte adhaeserim, magis eorum inclinationes, quam sanctissimam voluntatem tuam secutus, nec raro debitae tibi oblitus obedientiae, ut illis placerem! Ah Domine! supplex a te peto veniam, hanc mihi per bonitatem tuam impertire, simulque gratiam, robur et animum virilem, ut ad eorum, qui secundum carnem me amant, blanditias et lacrimas immotus nunquam dubitem, omnium potius creaturarum amicitiae jacturam facere, quam vel minimam legem tuam violare.

PUNCTUM III.

Observa, quid Christus toto, quo Jerosolymae remansit, triduo egerit. Nimirum noctem inter preces, diem inter doctores exegit, jam tum viris apostolicis exemplum praebens, ac methodum et apostolicis functionibus et orationi suum ex aequo tempus tribuendi. Caeterum tunc Jesus primum sapientiae suae specimen externe edidit, attamen tanta cum *modestia*, ut auditorum oculos rapuerit et corda. Alias praeterea exercuit virtutes: 1. *Humilitatem*, dum, doctor ipse doctorum, instar discipuli consedit inter illos, contentus eos audire ac interrogare, ceu alienae indigus doctrinae. 2. *Prudentiam* in respondendo praecise ad ea, quae interrogabatur. 3. Purum honoris divini *zelum*, omnes suas laudes, applausus et encomia in Patrem suum referendo.

O divinissime puer, *in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae* Patris! (Coloss. 2, 3.) Gaudiis exulto te videns in medio doctorum velut pastorem in medio

ovium, adimplentem illud de te vaticinium: *Puer parvulus minabit eos.* (Isa. 11, 6.) Utinam tua praesens audissem oracula et eorum fructu gaudere licuisset! Quod modo a te peto ardentissime, est tuarum imitatio virtutum, queis summopere indigeo. Eheu! erubesco coram te non ob scientiae defectum, qua revera careo; sed solum erubesco, quod eam arroganter jactare non dubitem, imo non tantum addiscere recusem, quae ignoro, sed et alios docere praesumam, quae nunquam didici. Intolerabilem hanc Domine arrogantiam a me aufer per tuam humilitatem ac modestiam, qua hodie mundo inclaruisti.

Feria II.

Purificatio B. V. Mariae.

(Luc. 2, 22—25.)

NB. Ut ordo mysteriorum servetur, huc translata est sequens meditatio, repetenda eodem festo.

PUNCTUM I.

Lex antiqua jubebat 1. omnes foeminas, quae modo ordinario conceperant, 40 diebus, velut immundas, domi manere inclusas. 2. subin templum, ut purificarentur, adire. 3. eum in finem Deo agnum offerre cum turture, aut, si essent pauperes, duos turtures, aut duos pullos columbarum.

Maria ad unguem implevit hanc legem, addiditque virtutes prorsus admirandas, quarum praecipue sunt sex: 1. Ingens *clausurae* seu solitudinis amor, in qua excellentias Jesu continuo oculis aspectabat, contemplabatur animo. 2. Summum *puritatis* studium, quo purissima satagebat amplius adhuc juxta legem purificari, illud Spiritus S. elogium promerita: *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.* (Cant. 4,7.) 3. Heroica legis hujus *observantia* eo admirabilior, quo minus ea tenebatur: quam parum scilicet filius ejus lege circumcisionis. 4. Rara *humilitas*, quando voluit immunda haberi mulier, quae mansit post partum virgo. 5. Eximius *paupertatis* amor, quae est comes et soror humilitatis; fuit quippe contenta pauperem 2 turturum oblationem facere, etsi

more divitum potuisset agnum emere, ac filium redimere auro a tribus magis liberaliter oblato. 6. *Devotio* singularis, qua sacras purificationis ceremonias executa est.

O gratum coelo spectaculum Virgo, cujus merita tunc temporis tam parum erant terris cognita! Virgo, quae communi foeminarum turbae accensebatur: interim ob incomparabilem puritatem suam merita angelorum esse regina et stupor coeli!

Totus exulto, virginum sanctissima, te aspiciens tot exornatam virtutibus splendescere *inter filias* (Adae) *sicut lilium inter spinas.* (Cant. 2, 2.) Ah! a filio tuo, tam stupendae pulchritudinis principio et fonte, gratiam mihi impetra te imitandi saltem in quibusdam virtutibus, per quas carissima Spiritus S. sponsa evasisti.

PUNCTUM II.

Lex alia (Exod. 13, 2.) jubebat *sanctificari Deo omne primogenitum in filiis Israel* in memoriam illius beneficii, quo Deus illos eduxit de Aegypto, cum una nocte *percuteret* seu contrucidaret *omne primogenitum in terra Aegypti.* (Exod. 12, 12.) Hanc legem ut impleret Maria, filium suum tulit in templum et Patri aeterno obtulit.

Perpende jam, anima mea, quo spiritu et fervore B. Virgo hoc sacrificium et suo, et totius humani generis nomine perfecerit: praeterea quam acceptabile illud fuerit Domino tam ob sanctitatem victimae, quam ob devotionem offerentis. Non erat Maria ex eorum numero, quos propheta reprehendit, eo quod Deo nonnisi viliora sacrificent. Obtulit illa, quod pretiosissimum habuit, carissimumque. Num et nos? Eheu! ut verum fatear; quoties a me sibi jam petiit immolari Deus illud, cui cor meum et affectus immodice adhaesit? negavi. Num semper negabo?

Ponderemus insuper, quo spiritu Jesus semetipsum suo offerat Patri: eodem nimirum, quo in ipsa incarnatione se obtulerat, dicens: Omnes hanc usque in horam oblatae tibi victimae nec placere tibi poterant, o Pater, nec tuam placare justitiam in homines armatam. At ecce modo victimam, quam repudiare nulla ratione poteris. En! me ipsum tibi offero, paratus tuae immolari gloriae et

hominum saluti etiam cum impendio sanguinis mei etc. Atque ita fuit impleta Pauli sententia: *Dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis.* (Ephes. 5, 2.)

Eandem, Pater aeterne, hostiam toto cordis affectu tibi hodie offero in meorum remissionem peccatorum. Ut offerant, meae quidem indignae sunt manus: at indignitas haec non diminuit pretium et valorem hostiae: hanc respice, non me, hanc suscipe in satisfactionem peccatorum, ut pretioso ejus sanguine lotus merear aliquando praesentari in templo gloriae tuae.

PUNCTUM III.

Denique praeceperat lex (Exod. 13, 13.), ut *omne primogenitum hominis de filiis Israel* post oblationem iterum *redimeretur pretio* quinque siclorum. Solvit hos Maria sacerdoti: et hic vicissim ei reddidit filium in manus maternas.

Anima mea! sedulo hic ad utilitatem et consolationem tuam omnes perpende circumstantias: *cui* offeratur Jesus: *quis* eum redimat: quo *pretio et fine.*

1. Offertur Patri divino, qui eum sine mora reddidit hominibus, quorum saluti eum misit in mundum. 2. Deipara de manibus sacerdotis recipit divinum infantem a se nutriendum, ut possit vivere et mori pro nobis. 3. Redimit autem illum pretio tam vili, ut verius sit donatio, quam venditio.

Hinc apparet utique, mi Deus, quam immenso flagres desiderio tuum nobis donandi filium, adeo carum pretiosumque, ut omnes orbis thesauri digne solvendo non essent, quem tu levissimo nobis pretio vendis. Grates propterea immensas tibi agimus. Laudent te nobiscum creaturae omnes et benedicant in aeternum.

Caeterum per quinque siclos in sensu morali potest intelligi pretium, quo emitur divinae sapientiae *aurum ignitum*, seu ipsemet Jesus Christus. Pretium hoc est mortificatio quinque sensuum, seu actus quinque virtutum ad perfectam sanctitatem nos disponentium: quae sunt *fides, timor Dei, dolor de peccatis, fiducia in Dei miseri-*

cordia et voluntas seria faciendi in omnibus voluntatem Dei.

Anima mea! visne Jesum esse tuum? adverte, nec auro, nec argento emi, sed mortificatione sensuum et virtutum memoratarum exercitio. Ad id ergo, mi Jesu, unice incumbam, quia isto, non alio vis pretio emi et meus esse. Ut tantam promerear gratiam, en! totum me tibi consecro et per constans virtutum exercitium efficiam, ut cum sponsa possim tibi dicere: *Dilectus meus mihi et ego illi.* (Cant. 2, 16.)

Feria III.

De Simeone et Anna prophetissa.

(Luc. 2, 25—39.)

PUNCTUM I.

Uti Spiritus Sanctus ad annuntiandum Christi necdum nati adventum duos prophetas adhibuerat, Zachariam et Elisabeth, ita duos elegit, qui jam natum promulgarent, Simeonem scilicet et Annam.

Consideremus jam virtutes, per quas ea se gratia dignos reddebant. Et Simeon quidem erat *homo justus et timoratus: expectans consolationem Israel*, seu Messiae adventum, cujus accelerationem continuis precibus ac desideriis suspirabat. Anna vero *non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die.* His aliisque virtutibus meriti sunt videre, possidere, amplecti et brachiis stringere incarnatum Dei Verbum.

O incomparabilem gratiam ac favorem! Cupisne et tu, anima mea, hujus gratiae particeps fieri? ergo opus est eam desiderare fide viva, petere magno fervore, invicta cum patientia expectare, ad eam te disponere per vitae sanctitatem, praesertim per summam cordis puritatem, cui singulariter illa gratia promittitur: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* (Matth. 5, 8.)

Sed enim ad eum puritatis gradum, qui nos visionis et amplexus tui, Domine, capaces reddat, cor humanum non pertinget, nisi prius moriatur sibi; *non enim*, ais ipsemet (Exod. 33, 20.), *videbit me homo et vivet.* Moriar

ergo (liceat tibi cum Augustino dicere) *moriar, ut te videam, et te videam, ut hic moriar.* Videam te in hac vita per contemplationem, ut mihimet perfecte moriar per mortificationem et moriar mystica et felici hac morte, ut merear facie ad faciem te videre in gloria tua.

PUNCTUM II.

Spiritus Sanctus, qui *voluntatem timentium se faciet et deprecationem eorum exaudiet et salvos faciet eos* (Ps. 144, 19.), sancto seni promisit, *non visurum mortem, nisi prius videret Christum Domini*, hodie liberavit datam fidem, imo ut singulari solatio remuneraretur servum fidelem, amplius, quam promiserat, praestitit. Promiserat, non visurum mortem, nisi prius videret Christum. Nunc in cumulum liberalitatis et gratiae ei copiam facit Christum in ulnas recipiendi, ambobus brachiis stringendi, pectori suo admovendi, ingenti cum voluptate dissuaviandi.

O quam bonum ac liberalem habemus Dominum! verissime S. Paulus de eo: *Potens est Dominus omnia facere superabundanter, quam petimus, aut intelligimus.* (Ephes. 3, 20.) Quis non felicem se aestimet, si tali, ac tanto possit servire Domino?

Caeterum in tanta, qui tunc aderant in templo omnis generis, gradus et conditionis homines, multitudine, cur et quomodo solus cum Anna Simeon divino illustrati lumine agnoverunt Christum? nimirum quia reliqui solo corpore illuc venerant, Simeon autem cum Anna *in spiritu.*

Mirumne igitur, o Jesu, quod inter innumeros, qui tua replent templa, tam pauci sint, qui tua coelesti luce illuminati tuam, praesertim in Eucharistia, praesentiam et gratias sentiant? scilicet rari sunt, qui se iis reddant dignos, et ut Simeon dispositi veniant in templum cum fide viva et solida devotione. Veni, anima mea, veni cum dispositionibus Simeonis: et certo redibis cum ejusdem favoribus ac praerogativis.

Porro quam immensum fuerit s. senis gaudium! quam exundans laetitia in ulnas suscipientis divinum infantem! nihil jam amplius sibi in terris optandum ratus, palam protestabatur, se cupere dissolvi statim:

Nunc, nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum.

Quaere igitur, anima mea, *eminentem scientiam Christi, propter quem omnia detrimentum facias et arbitreris ut stercora, ut Christum lucrifacias.* (Philipp. 3, 8.) Illa te ita super omnes creaturas extollet, ut omnia pedibus sis conculcatura et ab omnibus, quae Deus non sunt, libera nil nisi mortem in votis habitura sis, quae dilecto te uniat aeternum.

PUNCTUM III.

Matri in medio gaudiorum, quae ex delatis filio suo honoribus hauserat, constitutae *benedixit Simeon* et prophetico afflatus spiritu: *Ecce*, ajebat, *positus est hic in ruinam et resurrectionem*, seu salutem, *multorum in Israel et in signum, cui contradicetur: et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.*

Quis non obstupescat tuam, Deus, sapientiam et bonitatem, quae relucent ex continua gaudiorum et desolationum vicissitudine in vita justorum, ita ut nunc *ascendant usque ad coelos, et descendant usque ad abyssos?* (Ps. 106, 26.) Nunc amoris, nunc doloris gladio cor eorum transverberans, in utroque et abyssum tuae sapientiae et suavitatem caritatis demonstras. Adorandis ergo providentiae tuae ordinationibus me lubentissime subjicio, ad omnia, quae mihi pro libitu tuo immiseris, paratissimus.

Considera ulterius memorabilem Simeonis de Christo prophetiam: Teste Evangelio *venit Filius hominis quaerere et salvum facere, quod perierat.* (Luc. 19, 10.) Si ergo, ut ait Simeon, est occasio ruinae multorum, inde est, quod negligant media salutis ab ipso oblata, ejus resistant doctrinae, calumnientur prodigia, proculcent gratias, atque adeo ipsum faciant signum damnationis suae.

Quanta autem, o anima mea, infelicitas est se ipsum perdere per media salutis! Et tantus horum infeliciter pereuntium numerus quam merito commiserationis et doloris, ut cor Mariae, gladio corda nostra transfigit!

Ah! dulcissime Jesu! noli permittere, ut adventus tuus nobis sit occasio interitus, sed fac, ut cedat in resurrectionem ad gratiam et gloriam. Esto nobis signum salutis, vitae, ac praedestinationis largiendo nobis efficaces gratias in te credendi, in misericordia tua sperandi, bonitatem tuam amandi et in tui amore feliciter moriendi. Amen.

Feria IV.

De fuga pueri Jesu in Aegyptum.

(Matth. 2, 13—15.)

PUNCTUM I.

Vix natus in mundum Servator jam patitur persecutiones Herodis ac Judaeorum; *Herodis*, quia timuit, ne Judaeae sceptrum sibi eriperet recens natus infans; *Judaeorum*, quia ministri erant, adulatores et mancipia ambitiosi Herodis, cui daemon, princeps hujus mundi, immane odium, rabiem ac sitim sanguinis Christi instillaverat, metuens, ne suam iste tyrannidem destrueret.

Interea aeternus Pater, qui haec omnia ad altiores dirigebat fines, malitia inimicorum Filii sui utens, voluit eum esse *pauperem et in laboribus* ac persecutionibus *a juventute sua*, simulque impleri prophetiam Simeonis: *Positus est hic in signum, cui contradicetur.* (Luc. 2, 34.) Voluit nempe Deus in ipsis Filii sui cunis, tanquam in imagine, exprimere exordia nascentis Ecclesiae, animasque justorum, quas certo certius manent adversa et persecutiones. An igitur ego conqueri possim, si illae et mihi obveniant? imo an non exultandum potius recogitanti, quod Deus me ut suum tractet Filium? Saltem cogitare tunc oportet effatum Christi ad Apostolos: *Non est servus major Domino suo. Si me persecuti sunt et vos persequentur.* (Joan. 15, 20.) Deinde quo jure et privilegio solus ego sum exceptus a lege universali: *Omnes, qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur?* (II. Tim. 3, 12.)

At cur Christus, qui mille modis se poterat a persecutione Herodis expedire, ignominiosissimum elegit?

fugam, ajo, indicium timoris, impotentiae, debilitatis? Deinde posito, quod voluerit saluti suae fuga consulere, cur in Aegyptum fugit, ubi vivere debuit pauper, obscurus, inops, contemptus? cur non abiit ad tres reges, ubi in amoribus, in honore et rerum omnium abundantia fuisset?

Vane mundi splendor, gloria, honor! vana commodorum appetentia! quam viles mihi vos reddit hoc unum magistri divini exemplum! Te vero felicem, o Aegypte, quod talem, tantumque habueris hospitem! Hujus certe commorationis in acceptis referre debes tantam anachoretarum multitudinem, quorum virtutes postea gloriose floruerunt, ubi prius superstitio et paganismus stabulabantur. Tunc impleta est prophetia: *Ecce Dominus ingredietur Aegyptum et commovebuntur simulacra Aegypti a facie ejus.* (Isa. 19, 1.) O mi Jesu, cum in s. communione cor meum ingrederis, cur non similia patras miracula, superbiae, gulae, acediae etc. dejiciendo idola?

PUNCTUM II.

Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: Surge et accipe puerum et matrem ejus, et fuge in Aegyptum: et esto ibi, usque dum dicam tibi.

Anima mea! quot instructiones in hoc uno coeli mandato! 1. *Quis mandat?* Deus, qui singularem de incolumitate ac vita sui Filii curam gerit, meque docet divinae ejus providentiae in omnibus acquiescere. 2. *Per quem mandat?* Quod ipse poterat praestare, facit per angelum, ut discam ejus imperiis obsecundare, quae mihi per ministros suos legitime denuntiat. 3. *Cui mandat?* Josepho, utpote totius familiae capiti, non autem matri: quae tamen tantum abest, ut aegre id tulerit, ut etiam cum omni humilitate ex ore mariti mandatum coeli exceperit, admirandum mihi relinquens exemplum subjectionis et servandae subordinationis. 4. *Sed quale est mandatum?* plane secundum omnes circumstantias difficillimum. Jubetur Joseph alto de somno surgere: proficisci intempesta nocte: nulla fit mentio de commeatu, supellectili, aliisque itineri necessariis. Solum jubetur cum matre tenellum accipere pusionem. Mittitur in Aegyptum, regionem barbaram, Judaeis prorsus infensis-

simam. Nullum commorationis designatur tempus: *esto ibi, usque dum dicam tibi.* Pro! quot, quantaeque difficultates in hoc mandato!

Magne Deus! qualem tu obedientiam exigis a tuo fideli servo! quam duris ejus subjectionem tentas experimentis! Sed quomodo, non dicam in aequalibus, sed longe facilioribus in probationibus ego essem comparatus? Heu me! antequam superiorum imperia mihi denuntientur, opus est opportunum tempus observare, ambagibus et praeambulis uti, meam considerare imbecillitatem, non modo necessaria mihi promittere, sed et commoda, imo et propensionibus meis cedere. Profecto si verus essem Christianus, perfectusve religiosus, tot reflexionibus et machinis opus haud foret, sed promptus essem omni hora ad obediendum: ad nutum obedientiae in quemlibet orbis angulum avolarem, contentus socios habere Jesum et Mariam, exigua, vel nulla reliquorum habita cura et ratione.

PUNCTUM III.

Joseph ocius *consurgens accepit puerum et matrem ejus nocte et secessit in Aegyptum.*

Admirare, anima mea et ad imitandum tibi propone obedientiam Josephi, quae omnes quatuor habuit perfectionis gradus, in quibus tota obedientiae excellentia, meritumque consistit. Primus gradus est *integra judicii subjectio*, quae Josepho non permisit refragari, difficultates itineris, pueri imbecillitatem, annonae defectum etc. obtendere, aut alias instituere quaestiones, sed caeca prorsus obedientia jussit at litteram obtemperare juxta illud: *Altiora te ne quaesieris, sed, quae praecepit tibi Deus, illa cogita semper.* (Eccl. 3, 22.) Secundus gradus fuit *admirabilis fervor*, quo, omnibus licet necessariis destitutus, patriam suam deseruit majori generositate quam Abraham, qui in terram, quo Deus eum vocaverat, non discessit, nisi magno famulorum et divitiarum comitatu instructus. Tertius est *summa voluntatis promptitudo*, qua obedivit sine ullo inter monitum angeli et executionem mandati intervallo. Quartus et supremus obedientiae Josephi gradus fuit *sancta animi hilaritas*, qua illam exercuit, accensus exemplo conjugis suae, contentae voluntatem adimplere

ac providentiam Patris aeterni erga Filium suum; qui et ipse in brachia matris suae ultro se conjecit transferendum, quocunque illi placuerit.

O mi Deus, cujus bonitas et providentia de tam insignibus obedientiae exemplis mihi prospexerunt, adde gratiam eadem imitandi. Da, ut continuo ante oculos habeam Jesum, Mariam et Joseph, tanquam absoluta perfectae subjectionis, quam superioribus meis debeo, exempla, et ut ea imitando in terris ad tuum vivam beneplacitum, in coelis autem recipiam mercedem vere obedientium.

Feria V.

Christus redit ex Aegypto.

(Matth. 2, 19—23.)

PUNCTUM I.

Defuncto autem Herode. En epilogum et finem superbiae, ambitionis, astutiae, humanorumque moliminum! Herodes, iniquus regni alieni possessor, ut suum stabiliret thronum ac tyrannidem, nullum non movit lapidem, nullam non adhibuit machinam, artemque politicam. Ne sibi, aut occasioni deesset, vero regi recens nato maturam machinatus est necem et innumeris infantum caedibus partem Judaeae miscuit.

Quid autem profuit ei ambitio, fraudulentia, crudelitas? uno die jacturam regni, vitae et animae fecit, aeternum suam deploraturus infelicitatem cum impiis: *Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? transierunt omnia illa tanquam umbra ... in malignitate autem nostra consumpti sumus,* nec superest nobis, nisi dolor, lacrimae, supplicia, desperatio. (Sap. 5, 8. 9. 13.)

Filii hominum! quousque tandem fascinabimini crepundiis, bonisque perituris, quae vos impedient consequi aeterna? coronatis vos rosis: terrae inambulatis floribus stratae: at non videtis, quod in herba lateat anguis et Orcus, quo tenditis.

Porro admirari oportet mirabilem Dei providentiam, dum utitur furore Herodis, ut, quot iste occidit infantes, totidem faciat ss. martyres et coeli incolas.

Adoro, veneror te, o providentia Dei mei, et laetus agnosco tuas in bonum electorum dispositiones. Da, obsecro, ut eorum felicitatis particeps fiam, licet odia ac persecutiones impiorum forent sustinenda. Id ut merear, eorum odia et persecutiones posthac in gratiae ac favoris loco ponam.

PUNCTUM II.

Angelus Domini apparuit in somnis Joseph in Aegypto, dicens: Surge et accipe puerum et matrem ejus, et vade in terram Israel.

En Patris aeterni curam et sollicitudinem de Filio suo! Angelum nuper miserat, qui Josephum instrueret, in quod asylum Filius esset deportandus, ut declinet rabiem Herodis. Defuncto persecutore eundem misit angelum, nuntiatum, tempus exilii expirasse: proinde ocius rediret in terram Israel.

O quantum S. Joseph hac altera apparitione fuit confirmatus in sua erga Deum fiducia! quantum obstupuit admirandam erga se, sibique commissos providentiam Dei! Exemplum hoc nostram quoque potest solidare spem et perfectam resignationem in manus Dei, *in cujus manibus sunt sortes nostrae* (Ps. 30, 16.), qui prosperos adversosque casus in nostram poterit utilitatem convertere.

Benignissime Pater, qui tantam filiorum tuorum curam geris, tam sollicite eorum incolumitati intentus: permitte, quaeso, ut omnes meas curas, praeter unicam tibi serviendi sollicitudinem, in te conjiciam, ut per hanc in te fiduciam auxilium tuum in omni necessitate, praesidium in omni calamitate merear.

PUNCTUM III.

Percepto angeli mandato Joseph sine mora *consurgens accepit puerum et matrem ejus, et venit in terram Israel. Audiens autem, quod Archelaus regnaret in Judaea pro Herode patre suo, timuit illo ire: et admonitus in somnis secessit in partes Galilaeae et habitavit in Nazareth.*

Vide, quod Deus, suorum protector, licet clara suae protectionis signa edat ac argumenta, soleat tamen in eorum intellectu aliquid tenebrarum et obscuritatis relinquere, ut conservet humiles, cogatque in necessitate lumen ac opem postulare. Ita fecit S. Joseph in suo angore; et vix more suo ad orationem confugit, opem et angelum obtinuit.

En, quo recurrendum in dubiis et perplexitatibus nostris: ad Deum scilicet et ad orationem. Ita suam ille nobis aperiet mentem ac voluntatem, in viam nos reducet securam et uti Josephum certissime ad tranquillitatem animi, ad vitae sanctitatem perducet.

Caeterum providentia Patris aeterni puerum Jesum voluit *in Nazareth*, quod significat *sanctum* vel *floridum*, deferri non solum, ut ejus securitati prospiceret, sed etiam ut significaret nobis, divinum hunc infantem, quem Scriptura *Nazaraeum* appellat, esse *Sanctum eminenter*, imo *Sanctum sanctorum*, omnigenis exornatum virtutibus, ceu totidem floribus pulchritudinis ac odoris prorsus excellentis.

O Jesu, vere Nazarene, qui nominis adeo *floridi* mensuram imples, largire mihi proprietates vero novae legis Nazareno necessarias: perfectam mundi et omnium, quae puritatem animae laedunt, voluptatum fugam: nauseam omnium, quae cor humanum inebriant; copiam denique sanctarum cogitationum, quae repleant intellectum et cor perenni vinculo tibi uniant.

Feria VI.

De nomine Jesu.

(Vide supra pag. 4.)

Sabbato.

Repetatur quaedam hujus hebdomadae meditatio.

Dominica II. post Epiphaniam.

Primum Christi miraculum in Cana Galilaeae.

(Joan. 2, 1. sq.)

PUNCTUM I.

Nuptiae factae sunt in Cana Galilaeae et erat mater Jesu ibi; vocatus est autem et Jesus et discipuli ejus... Et deficiente vino dicit mater Jesu ad eum: Vinum non habent.

Considera benignitatem Jesu Christi, quod dignetur nuptiali interesse convivio, ut nos doceret 1. exemplo suo modestiam in mensa et reficiendo corpore servandam, ubi viro spirituali evitanda est omnis effusio in exteriora et profana, ut ad unguem impleat illud: *Justi epulentur et exultent:* at NB. *in conspectu Domini.* (Ps. 67, 4.) 2. Ut nos doceret in necessitatibus nostris recurrere ad matrem suam, cujus intercessione Jesus hodie primum edidit miraculum; videns enim illa, novos conjuges vino deficere, ut pudorem eorum et confusionem praeverteret, motu proprio et non rogata ad filium confugit, contenta tribus verbis eorum necessitatem proponere: *Vinum non habent.*

Quanta autem in Dei Filio eluxit bonitas, dum vitam publicam orditur a doctrinis adeo salutaribus! Studeamus ergo ejus imitari sapientiam, temperantiam ac modestiam, quas in conviviis, si adire oportet, praeseferre viro apostolico incumbit. Praecipue discamus fiduciam erga B. Virginem, considerando, quanta bonitate et ruborem sponsi praevenerit et sponte sua apud filium pro illis, a quibus ad nuptias fuerat invitatus, intercesserit. Certi simus, semper nostram fore advocatam, si humili cum fiducia fuerit invocata.

Et vero, o mater misericordiae, tu nostrum es refugium in omni necessitate nostra et per intercessionem tuam speramus obtenturos cunctas, queis egemus, virtutes. Perbene nosti, Virgo sanctissima, caritatem atque devotionem in Scriptura comparari *vino jucunditatis.* Vide, obsecro, quantam ejus penuriam patiamur: et quoniam tanta commiseratione ob defectum vini materialis tacta

fuisti, miserere potius eorum, qui laborant defectu vini spiritualis, quod animas conservat roboratque. Ut illud in corda nostra large effundat, tuum roga filium: dic illi: *Vinum non habent* amoris erga te, fervoris in tuo servitio, devotionis in spiritualibus exercitiis, studii in implendis obligationibus suis etc. Ut tuas exaudiat preces, nostras leniat miserias, suis nos ditet gratiis, solum opus est, ut nostras ei proponas necessitates.

PUNCTUM II.

Matri respondit Jesus: *Quid mihi et tibi est, mulier? nondum venit hora mea ... dicit Maria ministris: Quodcunque dixerit vobis, facite.*

Siccum, imo in speciem durius responsum matri dedit filius 1. ut se ostenderet non tantum Mariae, sed et Dei ipsius Filium esse et plus quam hominem: de coelo in terras descendisse, ut faceret voluntatem Patris, atque adeo nec mutaret, nec praeveniret tempus aut horam ad istud miraculum ab aeterno designatam. 2. Ut suo nos exemplo doceret a carnis et sanguinis affectibus nos expedire: id quod summe necessarium in vita spirituali, ubi (quod saepenumero bene perpendendum) profectus et rei cardo vertitur in eo, ut a teneris assuescamus nos conformare non naturali erga propinquos inclinationi, sed soli Numinis beneplacito juxta Moysis effatum: *Qui dixit patri suo et matri suae: Nescio vos; et fratribus suis: Ignoro vos: et nescierunt filios suos. Hi custodierunt eloquium tuum et pactum tuum servaverunt.* (Deut. 33, 9.) 3. Ut matri occasionem praeberet suam comprobandi virtutem et heroicos virtutum multarum actus exercendi.

Tuam, o Jesu, adoro sapientiam in modo agendi cum personis tibi carissimis. Amorem illis tuum amicitiamque demonstras non vane blandiendo, sed supra naturae imbecillitatem elevatis occasiones praebendo mortificationem, patientiam, humilitatem, fiduciam, resignationem exercendi. Has ipsas virtutes hodie exercuit Deipara; tantum enim abest, ut insuave Christi responsum offenderit matris animum, aut fiduciam imminuerit: ut etiam ita se gesserit, ac si Christus diserte promisisset,

preces ejus certo exauditum iri. Reipsa ex humilitate existimabat se et Christi annutu et tanto indignam filio; dixit tamen ministris: *Quodcunque dixerit vobis, facite.*

O quam mirabile firma et humilis spes tua exemplum simul et documentum patientiae ac fiduciae in Deum nobis praebet, Virgo sanctissima, quando ille videtur aut non audire preces nostras, aut differt exaudire! tunc scilicet imitari te oportet, Virgo prudentissima et recordari tecum illius effati: *In silentio et spe erit fortitudo vestra.* (Isaias 30, 15.)

Haec nimirum sunt arma, Domine, quae ipsemet nobis in manus tradis ad expugnandum cor tuum, ut, quamvis indignos, votis nos damnes. Quanta autem, o Pater misericordiarum, tua est clementia, quod ita te sinas a tuis flecti creaturis; tanta eorum preces indulgentia exaudiens, modo humili cum fiducia persolvantur!

PUNCTUM III.

Jesus dicit ministris: *Implete hydrias aqua;* et cum prodigiose aquam convertisset in vinum, ait illis: *Ferte architriclino.*

Expende, anima mea, prorsus divinam Christi in patrando hoc miraculo rationem agendi. Equidem patrare illud poterat, antequam rogaretur a matre, quin actualem vini defectum expectaret, aut juberet hydrias aqua impleri. At enim 1. voluit primum intercessioni matris suae tribui miraculum, qua interveniente jam prius in utero sanctificaverat Joannem Baptistam. 2. Summas sponsorum angustias expectavit, ut clarius suam manifestaret omnipotentiam nobis autem significaret, coeleste vinum, quo suos frequenter saginat electos, non dari, nisi evacuatis ab omnibus terrenis. 3. Caecam a ministris exegit obedientiam, ut religiosos praecipue ad hanc virtutem, qua sine nil magni efficient, excitaret.

Eheu! millenis quotidie necessitatibus premimur: cur ergo non convertimur ad media, quae Christus hodie digito nobis monstrat? Certe omnibus ad salutem necessariis abundabimus, si ea per potentissimam Mariae intercessionem petamus. Si cor terrenis evacuetur affectibus, divinis replebitur deliciis. Duo, ait S. Bernardus,

dantur vini genera, quae male inter se commisceas: consolationes coeli et voluptates mundi: his abstinendum, si illis frui est animus. (Serm. 3. de Ascens.) Manna coeli non datur, nisi post consumptam Aegypti farinam. Ante omnia nostram abnegare oportet voluntatem, si eam a Deo impleri cupiamus. Quodsi ministri non ocius obedissent Christo, aut multum super ejus imperio disputassent, forsan impediissent miraculum et quodammodo exsiccassent prodigiosum fontem, unde nectar deliciosum a Christo productum oportebat hauriri. Obedientia ad id fuit necessaria dispositio.

Hanc ipsam a me dispositionem exigis, Domine, ut tuas possim gratias recipere, dudum iis replendus, si verus obediens fuissem. Certe nisi inanes intellectus argumentationes, frequens cordis mei repugnantia et indocilitas obstitissent, pridem tua me luce illustrasses, amore succendisses. Heu me! quantam autem per hoc passus sum jacturam! Et qua ratione eam possim reparare, nisi implorando auxilium matris tuae, ac ejus intercessione coecam a te obedientiam impetrando cum voluntatis propriae abnegatione et sancta terrenarum voluptatum nausea? haec dubio procul trahet post se gustum et orexin rerum coelestium et tandem ingressum in *cellam vinariam* (Cant. 2, 4.), ubi animas, nullum amori tuo ponentes obstaculum, sancte inebrias.

Feria II.

Quid Deipara egerit, donec amissum reperiret Filium.

(Luc. 2, 44—49.)

PUNCTUM I.

Joseph et Maria *existimantes* uterque, puerum Jesum *esse* apud alterum, aut certe *in comitatu*, *venerunt iter diei* et in diversorio *requirebant eum inter cognatos et notos et non invenerunt.*

Nota hic mirabilem Dei dispositionem, sanctissimum par conjugum eo ipso tempore, quod devotione sua paulo ante nobilitaverant, haud leviter affligentis et

quidem in re, quae ipsis maximopere dolebat. Fecit hoc Deus, quia intime amavit eos; ea de causa occasionem illis obtulit heroicas exercendi virtutes: 1. *Patientiam*, se totos divinae ordinationi tranquille submittendo. 2. *Humilitatem*, filii amissionem suae cuidam negligentiae adscribendo, vel certe tali filio sese indignos aestimando. 3. *Diligentiam*, maxima sollicitudine, non minori dolore, simul ac eum abesse deprehenderant, amissum quaerendo inter cognatos notosque, quamquam inter illos eum minime invenerunt; si enim carnem et sanguinem respexisset, parentes fuissent ultimi, quos deseruisset.

O mater dulcissima, quis tibi tunc animus? quis fuit sensus tristissima nocte illa? quis tuum possit explicare dolorem, dum sola sine filio gemebas instar columbae, quae suam amisit prolem? quis ardentia enarret vota et desideria, quae ad coelos misisti, divinum enixe obtestata Patrem, ne carissimam tibi prolem reddere differret, neve diutius hoc pretiosissimum amoris sui pignus tibi subtraheret?

Heu nos! saepius, Domine, peccando te perdimus: at quantum haec nobis jactura dolet? an, ut Deipara, ad preces confugimus? Et quidem nostra te culpa perdimus, nostra maxima culpa. At quamdiu fortuna felicior et sereni soles nobis affulgent, tantam non advertimus jacturam, eandem non dolituri, nisi in nocte calamitatum, quas tua nobis immittit misericordia. Longe a tepidis, Domine, recedis: et tuum non sentiunt recessum, nimis proclives ad liberius vivendi licentiam. Ah! reduc eos in sacram solitudinem, in salubres profundae recollectionis tenebras: ibi aperient oculos et socordiam, suae causam infelicitatis, agnoscent. Tu ipse, o divine sol justitiae, non minus amas per vices tuis te subducere amicis, sensibili eos privando devotione, solatio, lumine: equidem eclipsis est; at plena benignitatis, eo solum fine immissa, ut eos aut humiles reddas, aut conserves in humilitate, ac pristino fervore; brevis est insuper, diu non durat et postquam illi fructus, quos expectas, protulere, priorem illis tranquillitatem et lucem reddis, divinam iterum ostendendo faciem. Benedictus sis igitur et glorificatus in omnibus providentiae tuae ordinationibus etc.

PUNCTUM II.

Die altera Maria et Joseph summo mane *regressi sunt in Jerusalem, requirentes Jesum. Et post triduum invenerunt illum in templo, sedentem in medio doctorum, audientem illos et interrogantem eos: et videntes admirati sunt.*

Perpende 1. quamdiu Jesus fuerit amissus; 2. ubi inventus; 3. quanta matris laetitia receptus.

1. Amissio Christi, quae ultra triduum non durabat, adeo longa tamen et gravis videbatur matri, erat typus jacturae filii, quam afflictissima parens debebat illo sustinere triduo, quod inter Christi sepulturam et resurrectionem intercessit.

Caeterum hodiernae amissionis mysterium docet justos sperare, tempus ariditatis et desolationum non diu duraturum. Longe melior est Deus, quam ut diu affligat, quos amat. Scilicet *vivificabit nos post duos dies; in die tertia suscitabit nos et vivemus in conspectu ejus.* (Ose. 6, 3.) 2. Inventus fuit Jesus *in templo*, in domo orationis et collectionis, *in medio doctorum*. Frustra eum quaesieris inter profanas mundi delicias; quia *non invenitur in terra suaviter viventium* (Job 28, 13.): frustra inter saeculi tumultus, negotiationes etc. Sic sponsa non invenit dilectum suum in lectulo nuptiali, non in plateis et compitis. Num tu quoque, anima mea, eum cupis invenire? quaere ergo eum in sacra solitudine, in silentio, in domo orationis, in medio magistrorum vitae spiritualis, quos Deus tibi dedit vitae doctores et viae duces. 3. Mater invento Jesu gaudiis perfundebatur paribus dolori, ex ejus amissione concepto. Idem fere contigit Annae, matri junioris Tobiae, quae filii absentiam *flebat irremediabilibus lacrimis.* (Tob. 10, 4.) Videns autem, quem mortuum credebat, reducem et incolumem, *coepit flere prae gaudio.*

Porro vehementiores cordis motus summa discretione moderabatur Deipara, nec naturali immodicae laetitiae impetu se abripi passa, nec vanae spiritu jactantiae, quod tanti esset mater filii, quem doctorum praecipui adeo festiva admurmuratione et applausu honorabant. Grates agebat Deo, quod eum sibi reddi-

derit; et quanto majoribus eum in honoribus apud omnes esse videbat, tanto minus se illo dignam aestimabat. Ad hujus exempli normam nostros quoque moerores ac laetitias dirigamus, magnanimi ac submissi in adversis, humiles et modesti in prosperis.

O Virgo sanctissima, quae nobis tam insignia in utrisque exempla praebes, impetra nobis apud filium tuum gratiam ea fideliter imitandi.

PUNCTUM III.

Ubi primum Maria potuit filium accedere, velut querela dixit ei: *Fili! quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus et ego dolentes quaerebamus te.*

Quot verba, tot mysteria et doctrinae! 1. *Fili! quid fecisti nobis sic?* Per haec verba noluit mater amare filium reprehendere, nec in vanum causam, cur Solymis remanserit, indagare, sed voluit affectu fiduciae et amoris pleno materni cordis dolorem exponere. Atque hic mos orandi, afflictumque cor suum in Dei conspectu effundendi sanctis hominibus perquam familiaris est et Deo pergratus nunquam non exauditur.

An ego quoque tibi ita loqui ausim, Domine Deus? ego, pulvis et cinis? vilis peccator? gemens sub potente et juste puniente manu tua? ausim enimvero. Liceat ergo cum Job tibi dicere: Deus meus! *quare posuisti me contrarium tibi et factus sum mihimetipsi gravis? cur non tollis peccatum meum? Cur faciem tuam abscondis et arbitraris me inimicum tuum?* (Job 7, 20. 21; 13, 24.)

Quodsi forte surdas gemitibus nostris aures praebeat, amplius cum Servatore cruci affixo clamemus: *Deus meus, Deus meus! ut quid dereliquisti me?* (Matt. 27, 46.) Atque ista orandi methodus efficax est, dummodo cum reverentia fiat et fiducia.

2. *Pater tuus et ego.* Haec matris verba ejus simul humilitatem et, quam erga conjugem suum fovebat, reverentiam demonstrant, dum primo eum loco nominat et mavult publice gloriosum *patris* titulum ei tribuere. quam suam ostentare virginitatem. Disce ex hoc, anima mea, proximo honorem deferre, praesertim superioribus tuis, etiam cum dispendio honoris proprii.

3. *Dolentes quaerebamus te.* Num aeque dolemus, si te amittimus, o Deus? et, si dolemus, hicne dolor ex puro tui amore procedit? tene eadem quaerimus sollicitudine? Hoc utique est infallibile te iterum inveniendi medium juxta promissionem tuam: *Quaeretis me et invenietis, cum quaesieritis me in toto corde vestro.* (Jer. 29, 13.)

Feria III.

De responso Christi et ejus vita in Nazareth.

(Luc. 2, 49—51.)

PUNCTUM I.

Respondet Christus matri: *Quid est, quod me quaerebatis?* quasi diceret: Quid opus erat tantis moliminibus et curis ad me quaerendum? nonne debebatis scire, me talem esse, qui errare haud potuit, nedum perire?

Iste loquendi modus primo intuitu videtur non solum jejunus ac insipidus, verum etiam asper in ore filii tam cari, tam morigeri, qualis erat Jesus: at plenus est sapientia et doctrinis. Jesus igitur quandam veluti vim consuetae suae infert mansuetudini 1. ut ostenderet, se plus quam hominem, se Deum esse. 2. Ut matri suae, cujus magnanimitatem habuit perspectissimam, praeberet occasionem heroicas patientiae et humilitatis virtutes exercendi. 3. Ut animarum rectores doceret, quod oporteat suos non raro, utut innocentes, asperioribus exercere verbis ad tentandam, firmandamque eorum patientiam, subditi vero cum humili subjectione ejusmodi mortificationes excipere debeant.

O quam pulchrum atque praeclarum est in simili occasione heroicas B. Virginis imitari virtutes! At si mecum illa comparo, totus pudore suffundor. Illa erat mater Dei et nihil non egit summa laude dignissimum: et tamen hanc mortificationem, qua filius eam exagitabat, sustinuit non solum sine omni contradictione et obmurmuratione, sed et cum reverentia et humilitate. Et ego, mille peccatorum reus, nequeo minimam hominis, qui

patris loco mihi est, reprehensionem tolerare! Profecto tantae me pudet imbecillitatis: quodque mali caput est, in illa longius haerendi manifesto in periculo versor, nisi animos, Domine, et robur mihi suppedites, matris tuae exemplum generoso pede sequendi. Illud, Virgo sanctissima, quoniam mihi reliquisti, a filio tuo gratiam mihi impetra te imitandi.

PUNCTUM II.

Adjecit Christus: *Nesciebatis, quod in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse?* quasi diceret: Cum non ignoretis, quis sim, oportebat pariter scire, quod, cum patre terreno caream, totum me debeam impendere amplificandae Patris mei coelestis gloriae.

Et sane haec tota fuit et unica Christi Jesu occupatio, unicus et universalis omnium ejus cogitationum, verborum, operumque finis, ut ipse subin testatus est: *Descendi de coelo, non ut faciam voluntatem meam, sed ejus, qui misit me.* (Joan. 6, 38.) Et rursum: *Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est* vitae meae mortalis. (Id. 9, 4.)

Ad ejus imitationem studeamus, anima mea, non mundi, carnis, aut amoris proprii commodis incumbere, sed promovendo Numinis honori. Hic unicus creationis nostrae finis est: ab eo deflectimus, quamprimum aliud intendimus, quam Deum glorificare sanctis operibus nostris.

O Jesu, qui tanquam certum supponebas, ad hoc, ut parentes tui agnoscerent, quod aliud non cogitaris, non quaesieris, quam Patris tui gloriam, aliud non requiri, quam scire, quis et unde sis: da mihi lumen et gratiam clare cognoscendi, quod ad eundem creatus finem eandem utique contraxerim obligationem, turpissime degeneraturus a nobilitate finis mei, si hominibus placere, aut meis quaeram satisfacere passionibus. Destrue in me abjectos ejusmodi fines: corrige imperfectas intentiones meas ad normam tuarum et noli permittere, ut aliud unquam cogitem, intelligam, aut velim, quam te amare, laudare, glorificare creatorem meum.

PUNCTUM III.

Quibus dictis statim *descendit* cum Maria et Joseph *et venit Nazareth et erat subditus illis.* In via, ut fas est credere, matri narravit omnia, quae triduo illo egit. At *Mater ejus conservabat omnia verba haec in corde suo.*

Haec nimirum erat B. Virgini materia perpetuae contemplationis: cur non et tibi, anima mea? scilicet nec Jesum amas, nec vitam interiorem. Si vel scintillam amoris, quo mater tua, Domine, flagrabat erga te, nos quoque haberemus, tua sane nunquam oblivisceremur dicta et facta, eaque continuo meditaremur et, quam in illis gustaremus, dulcedo ac voluptas deliciosissimam nobis redderet vitam interiorem, quam nunc eo ex capite nauseamus, quia inanes sumus bonarum cogitationum et affectuum.

Maria autem non contenta semper animo versasse Christi oracula atque prodigia, ipsam quoque personam ejus semper ante oculos habuit, nec amplius ex iis dimisit, ne rursus amitteret.

Utamur pari cautela, qui toties nostra eum culpa amittimus et, si eum jam amisimus, id saltem emolumenti capiamus ex jactura, ut majore imposterum vigilantia eum custodiamus, ne cogatur suam nobis auferre gratiam et praesentiam.

O Virgo sanctissima, quae tanta sollicitudine pretiosum hoc custodisti depositum, a Patre divino tuae traditum curae, parem idem custodiendi artem me doce. Ah! noli permittere, ut mea unquam mente elabatur aut corde: potius tam arcte tuo me filio adstringe, ut nihil nos separet in tempore, ac aeternitate.

Feria IV.

Dispositiones ad fructus ex providentia divina colligendos.

PUNCTUM I.

Ad id prima et maxime necessaria dispositio est *humilitas*, quam Christus toties in Evangelio depingit sub imagine *infantiae spiritualis*, dum ait: *Amen dico*

vobis: nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum. (Matth. 18, 3.)

Per quid melius, quam per assiduam infantis necessitatem, qua compellitur uti auxilio matris suae, poterat Christus declarare, quam essentialiter a divina protectione continuo dependeamus? sicut enim infantes suis duntaxat viribus se nec a lapsu cohibere possunt, nec erigere, ita et nos solis liberi arbitrii viribus tot pericula, lapsus et peccata, in quae natura corrupta propendet trahitque, evitare haud valemus, nedum eluere commissa. Opus est, ut Deus paternam nobis manum porrigat, atque ita vel a lapsu praeservet, vel erigat lapsos juxta illud: *Domus Israel cecidit: et non adjiciet, ut resurgat.* (Amos 5, 1.) Profecto tot inimicorum jaculis expositi certo certius sauciabimur, nisi suae clipeo providentiae nos protegat Deus.

Et haec tanta imbecillitas nostra, infinitaque a Deo dependentium necessitas rite perpensa quid aliud in nobis efficiet, quam ex parte nostra humilitatem et apertam nobismet diffidendi necessitatem: ex parte Dei vero filialem, generosum et fiduciae plenum amorem? sicut enim mater non potest deserere infantem suum, qui suae memor imbecillitatis expansis ambobus brachiolis in sinum matris convolat, ut recipiatur: ita Pater aeternus non potest non protegere humiles, qui de sua sibi bene conscii infirmitate in eo solum spem suam ponunt. Id sane promisit per prophetam his verbis: *Ad ubera portabimini et super genua blandientur vobis. Quomodo si cui mater blandiatur, ita egó consolabor vos.* (Isa. 66, 12. 13.)

O felicem justum, qui, ut hisce Patris consolationibus ac blanditiis possit frui, sese humiliat! o beatam humilitatem, quam Deus adeo eximiis remuneratur favoribus!

O pater misericordissime! ut meis succurras necessitatibus, satis est eas tibi pandere. Quo magis ego meas agnosco miserias, eo amplius diligo te; non enim alio eas fine permittis, quam ut tuam erga me miserum bonitatem possis exercere. Creasti me et more infantis prodii de manibus tuis: eodem per fiduciam meam redire cupio, certus, quod ibi solatium semper et protectionem sim inventurus.

PUNCTUM II.

Altera dispositio est plena sui *resignatio* in voluntatem Dei. 1. Infans non est sollicitus de necessariis, sed natura duce omnem sui curam matri relinquit. 2. Infanti perinde est nasci in palatio et aula, ac nasci in mapali et caulis: collocari in aureis, aut vilibus cunis: in hunc, vel illum deportari locum. Maternis cubat in brachiis: hoc satis est, ut quiescat secure.

Pari modo infantes debemus fieri coram Deo et facere ex motivo virtutis, quod illi agunt ex instinctu naturae. Ejiciamus igitur animo curas omnes superfluas et in sinu Dei sepeliamus, spe certa nixi, fore ut nos, ceu filios suos, paterne enutriat et omnibus corporis ac animae saluti necessariis instruat. Felices nos, quod Deum habeamus aeque bonum, ac potentem, qui nobis loco patris et matris est! Deum, cujus providentia et sollicitudo infinite excedit omnem parentum erga liberos suos sollicitudinem!

O Pater patrum amantissime, qui nos in filios adoptasti et dignaris de coelo nos respicere, tuam nobis manum porrigere, paternum aperire sinum! quantas possum, maximas tibi grates ago pro caritate hac incomprehensibili. In signum grati animi tuae me totum committo providentiae, sub omnipotente protectione tua abunde tutus. Ah! solam a me caecitatem Ephraim averte, *cujus tu quasi nutricius eras et portabas eos in brachiis tuis: et nescierunt, quod curares eos* (Ose. 11, 3.): et quoniam tu vere paterna me cura complecteris, da, ut vicissim te filiali amore complectar et gratitudine.

PUNCTUM III.

Ut autem hanc spiritualem infantiam magni faciamus, ejus praerogativas et emolumenta exponit Christus in Evangelio, dum ait 1. quod coelum pateat infantibus, seu humilibus, claudatur superbis thrasonibus: *Sinite parvulos ad me venire; talium enim est regnum coelorum.* (Matt. 19, 14.) Ait *talium, non istorum; ut ostenderet, non aetatem regnare, sed mores*, addit S. Ennodius 2. Quod eo majores sint futuri in coelis, quo fuerint humiliores: *Quicunque humiliaverit se, sicut parvulus*

iste, hic est major in regno coelorum. (Matt. 18, 4.) 3. Quod Christus ad suas ponat rationes, quidquid seu boni, seu mali fiat parvulis: *Qui susceperit parvulum talem in nomine meo, me suscipit.* E contrario *qui scandalizaverit unum de pusillis istis*, tanquam inimicus Christi *demergatur in profundum maris.* 4. Quod *angelos, qui in coelis semper vident faciem Patris* (Ib. v. 10.), custodes habeant, singulari cura pro parvulis sollicitos; hos enim norunt prae omnibus Deo caros esse ob humilitatem cordis et imbibendis virtutibus aptiores ob docilitatem intellectus.

Felix infantia, tam cara Deo et coelitibus! o beata humilitas, quae coelos nobis reseras, ipsumque cor Dei! o sancta parvitas, commensurata divinae verbi incarnati infantiae! tu mensura es et decempeda nostrae in terra perfectionis totiusque in coelo magnitudinis. In tui amatores Deus gratias suas profuse dispensat: sibi in illis mire complacet: suis illos thesauris ditare gaudet: si vel gemitum eorum audit, ocius angelum mittit auxilio, uti misit afflictae matri Agar ad fletum Ismaelis filioli. (Genes. 21, 16. sq.)

O Jesu, Fili Dei viventis, qui, ut, quantum innocentiam ames et humilitatem, demonstrares, mihique pariter amorem utriusque instillares, in forma parvuli mundum ingressus es, me quoque parvulum et humilem effice: sanctas mihi infantiae tuae inclinationes communica; fac, eam tenere amem, studiose sequar, imiter sedulo, ut, postquam te imitatus fuero in statu humilitatis, tibi similis efficiar in statu gloriae ac beatitudinis.

Feria V.

De vita Christi in Nazareth.

(Luc. 2, 52.)

PUNCTUM I.

Et Jesus proficiebat sapientia et aetate et gratia apud Deum et homines.

Etsi Christus a primo conceptionis suae momento plenus fuerit sapientia, gratia et sanctitate, ita ut re

ipsa in iis crescere non potuerit, crevit tamen in virtutum exercitiis, majora in dies sapientiae et sanctitatis internae indicia edendo. Solis ad instar, qui licet non crescat in se ipso, ejus tamen *lux* (ab aurora) *splendens procedit et crescit usque ad perfectam diem.* (Prov. 4, 18.)

Num tu quoque ita crevisti, anima mea, ex quo facta es filia Dei et Ecclesiae per baptismum, et rationis lumen tibi coepit illucescere? Numquid ex illorum sumus numero, qui non solum non crevere in via gratiae, sed vix aliquantulum progressi iterum retrocedunt, quorum *nemo*, ut Christus ait, *mittens manum suam ad aratrum et respiciens retro, aptus est regno Dei?* (Luc. 9, 62.)

Fors aliquamdiu in virtute progressi sumus cum fervore: at nonne hic fervor ita refrixit, ut nobis merito sit timenda terribilis illa, quam Deus in Ephesi episcopum contorsit, comminatio? *Caritatem tuam primam reliquisti. Itaque age poenitentiam et prima opera fac. Sin autem, . . . movebo candelabrum tuum de loco suo* (Apoc. 2, 5.), et tua te spoliabo dignitate. Si autem prima continuavimus opera, numquid continuavimus studio animi nimium remisso et ratione tanto, cui servimus, Deo indigna? si ita est, solum in oculis hominum crescimus, non Dei. Ut coram Deo crescamus, anima mea, justos imitari oportet, qui *ascensiones in corde suo disposuerunt et ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion.* (Ps. 83, 6.)

Hanc mihi, o Jesu, concede gratiam, ut cum illis tuo incitatus exemplo tanta alacritate, fervore et constantia progrediar in via virtutis, ut eo perveniam, ubi fervor ac perseverantia coronantur aeternum.

PUNCTUM II.

Christus toto ad annum usque trigesimum tempore *erat subditus* Mariae et Joseph.

Hic perpende, *quis obediat? cui? quibus in rebus? et quomodo?* Qui obedit, vere Deus est, Creator coeli et terrae, supremus universi rector. Quod Patri aeterno se qua homo subjecerit, mirum haud est: at nihil stupendum magis, quam quod subjiciat se matri suae

et pauperi fabro, utenti opera Domini ac Dei sui in omnibus abjectissimis, quae in domo pauperis fabri praestanda occurrunt. Obedit autem summa cum jucunditate et perfecta sui resignatione.

Ah! quanto hic superbia mea pudore suffunditur! Quid? Deus amore mei obedit hominibus! Et ego, terrae vermiculus, Deo aegre obedio? arduum mihi est amore Dei illis obtemperare, qui ejus in terris vices gerunt?

O mi Jesu, o divine sol justitiae, qui vel movebaris, vel subsistebas ad vocem ac nutum Mariae et Joseph, largire et mihi, quaeso, eundem obedientiae spiritum, ad perfectionem status mei adeo necessarium.

Ista autem perfectio, anima mea, non consistit in honorificis, praestantibus et splendidis actionibus, sed in eo solum, ut facias voluntatem Dei, sive illa, quae Deus vult, sint parva et abjecta, sive magna et gloriosa. En! Deus, qui poterat miracula patrare, totumque mundum convertere, hisce gloriosis operibus vitam obedientiae et subjectionis praehabet.

O mi Deus! quam utilis mihi haec est doctrina! Tu meis non indiges obsequiis: ego ad illa, si exigis, teneor. Si autem me velis in sola subjectione quiescere et otiari, totum, quod tunc debeo tibi, obsequium erit tuae voluntati acquiescere et hanc ipsam subjectionem ardenti animare desiderio totum, quod ab obedientia mea desideras, tibi humili animo consecrandi.

PUNCTUM III.

Considera mirabiles divinae providentiae fines in occulta Christi vita latentes. Possidebat Christus perfectissimo in gradu omnes thesauros sapientiae et scientiae Dei, omnia naturae et gratiae dona, interminatam miracula patrandi potestatem. Quid deerat, ut cum gloria et splendore palam mundo posset comparere? Mundo, angelis et hominibus spectaculum admirationis fieri? nil sane deerat: et tamen solidos triginta annos in paupere fabri officina exigit, abjectissimis occupatus officiis, mundo ignotus, ab ipsis adeo propinquis habitus pro idiota; ea de causa, cum prodigioso quodam zelo

ac insolita majestate concionantem *audissent sui, exierunt tenere eum; dicebant enim: Quoniam in furorem versus est.* (Marc. 3, 21.)

Quid aliud, anima mea, hoc raro humilitatis exemplo doceris, quam dona Dei occultare, donec tempus adveniat illa ad ejus gloriam manifestandi? Insitam a natura propensionem reprimere illa ante tempus ostentandi, indeque inanem aucupandi gloriam? tamdiu amare latebras, dum Deus in lucem evocet? Sane ex omnibus, quas Filius Dei tunc mundo dare poterat, doctrinis, ut homines evaderent sancti, utilissimam fore existimabat, eos docere humilitatem, silentium, solitudinem.

O magister divine! quam eloquens tuum est silentium! quam efficax ad persuadendum! Diuturna, in qua tuam abscondis lucem virtutum, solitudo tua, o quam valide nostram confundit superbiam! Modicum illud, quod possidemus, talentorum ostentare immensum cupimus, imo magnifice jactamus illa: cum tamen certum sit, nos melius illis, securiusque uti haud posse, quam occultando, donec Deo placeat in apricum et lucem publicam nos protrahere. Hanc summi momenti doctrinam et sanctum vitae occultae amorem mihi infunde, o Jesu! Dignare tuo me exeemplo ducere per solidiorem humilitatis viam, ut in ea fideliter te sequar usque ad metam immortalis gloriae.

Feria VI.

De cujuslibet hominis stella.

(Vide supra pag. 16.)

Sabbato.

Repetatur una praecedentium meditationum.

Quid agendum, si ante finem sex hebdomadarum post Epiphaniam celebretur Septuagesima, vide infra ante Dominicam Septuagesimae.

Dominica III. post Epiphaniam.

Christus leprosum sanat.

(Matth. 8, 2—4.)

PUNCTUM I.

Leprosus veniens adorabat Jesum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare.

Eximiae, quas leprosus hic ostendit, virtutes sunt 1. insignis *reverentia* tam externa, quam interna erga Christum: *adorabat eum* et quidem secundum S. Lucam *procidens in faciem suam* (c. 5, 12.), et Dominum agnoscens: *Domine.* 2. Viva *fides*, dum Jesum credit et confitetur omnipotentem, qui sola voluntate (*si vis*) sanare possit. 3. Integra voluntatis propriae *resignatio;* nihil enim *expresse* petit, contentus suam Christo necessitatem, morbum, ac sanitatis desiderium manifestasse.

Agamus idipsum, anima mea, et fide viva profundaque pleni reverentia procidamus ad pedes Jesu: exponamus illi diversas, quibus omnes corporis et animae facultates infectae sunt, lepras seu vitia, pravos habitus, inordinatas affectiones nostras. Ejus misericordiam adducet ipsa miseriarum nostrarum magnitudo, humilisque confessio, quod sanatio nostra absolute ab ejus voluntate dependeat.

Ita est, Domine: *si vis, potes me mundare*, consolari, sanare. In tua solius potestate et arbitrio positum est meam sanare superbiam, libidinem, gulam, iracundiam etc. *Si vis*, luce tua meam dissipabis ignorantiam et tenebras intellectus: calore illustrationis tuae meam cordis solves glaciem: totum me tuo succendes amore. Tu, tu me potes reddere humilem, castum, mansuetum, patientem, mortificatum, tuo in servitio ferventem. Et sane de seria voluntate tua, si nullum ego bonitati tuae ponam ob-

staculum, securus sum. Sola indignitas mea timidum me facit dubiumque; hinc in manus tuas me totum projicio, tuaeque committo misericordiae.

PUNCTUM II.

Jesus misericordia motus, *extendens manum tetigit leprosum, dicens: Volo. Mundare. Et confestim mundata est lepra ejus.*

Inter virtutes, quas Christus hic exercuit, praecipue eminuerunt. 1. *Misericordia*, quia ut vidit miserum, ut commota sunt viscera ejus: *Misertus extendit manum*, ait S. Marcus. (c. 1, 41.)

2. *Bonitas potentiae conjuncta*, ex aequo mirabiliter respondens fidei ac fiduciae leprosi; dixit enim Jesus: *Volo. Mundare:* quasi diceret: Tu ais ad me: *Si vis*, et ego tibi dico: *Volo.* Tu inquis: *Potes mundare*: et ego tibi dico: *Mundare:* esto mundus.

3. *Caritas*, qua incitante *extendit manum* suam absque omni leprae horrore, quam tamen Judaei adeo horrebant, ut leprosos vel accedere reformidarent, imo haberent immundos, qui vel tetigerint leprosum.

Quanto igitur, anima mea, nobis lepra peccati infectis solatio est, tam bonum, tam potentem, tam humanum habere Servatorem, qui non solum suos a miseriis nostris non avertit oculos, sed etiam ultro eas et clementer respicit, neque gravatur nostra tangere vulnera, ut sanet. Accedamus ergo cum fiducia: et ille omnipotentem suam extendet manum, nos a peccatorum lepra sanaturus.

Tuae nimirum, o Jesu, solius est misericordiae a meis iniquitatibus, supra omnem lepram tetris, non abhorrere, imo me ab illis liberare. O stupendum amorem! o bonitatem infinitam! o potentiam Jesu mei incomprehensibilem! manum extendit erga omnes derelictos: juvat miserrimos: fortiter et suaviter adimplet desideria confidentium in se. Igitur ausim et ego, Domine, quia multis repletus miseriis, comparere coram te. *Dic animae meae: Salus tua ego sum.* (Ps. 34, 3.) Dic: *Volo. Sanare:* Et salva res est: salva est anima mea; idem enim apud te est *dicere et facere.* Ad sanandum me unico solum verbo opus est: *Volo.*

PUNCTUM III.

Et ait illi Jesus: Vade: ostende te sacerdoti et offer munus, quod praecepit Moyses in testimonium recuperatae sanitatis.

Considera Jesu Christi zelum, urgentis observationem legis antiquae, quamdiu durabat adhuc. Imperat sanato, ut omnes leprosis in illa praescriptos ritus observaret: nimirum ut *ad sacerdotem adducerentur* dona et sacrificia offerrent Deo cum in gratiarum actionem ob acceptam sanitatem, tum in publicum receptae sanitatis testimonium. Igitur quam inique tui, o Jesu, inimici de violatis legibus accusarunt te, quas tamen summopere honorasti, stricte observasti, autoritate tua confirmasti!

Conclude ex hoc, anima mea, quo Christus zelo ab illis, quos in nova lege sanat a lepra peccati, observari exigat omnes, quos praescribit, apices in sacramento poenitentiae. Quamvis per contritionem perfectam justificati et mundati jam simus, opus tamen est nos ostendere sacerdoti, ut nostros ei aperiamus morbos, Christo Domino *sacrificium spiritus contribulati*, *cor contritum et humiliatum* offeramus (Psal. 50, 19.), sicque digni efficiamur et apti ad accipiendam cum absolutione gratiam sacramenti, confirmationem remissionis peccatorum et novam donorum spiritualium abundantiam.

Denique notandum ex S. Marco, quod Christus leprosum vetuerit divulgare restitutam sanitatem, ut nobis relinqueret humilitatis exemplum, nosque doceret fugere applausus hominum. Ille tamen, non inobediens (prohibitio enim solum erat declinatio laudis, non praeceptio legis) sed gratitudinis studiosus, ubique miraculum vulgavit et per hoc plurimam ad Christum audiendum turbam attraxit.

Et vero qui silere possit, Domine, quem tam eximiis cumulasti gratiis? Imperet humilitas tua silentium servis tuis: memor beneficiorum animus et gratitudo non potest non linguam solvere in laudes misericordiae tuae. Non, mi Jesu, non poterit zelus hic displicere tibi; non enim amare non potes gratos, odisse ingratos.

Feria II.

Christus baptizatur a Joanne Baptista.

(Matth. 3, 13—17.)

PUNCTUM I.

Postquam Christus trigesimum attigerat aetatis annum, seu tempus, quo vitam publicam inchoaret, *venit a Galilaea in Jordanem*, ubi Joannes praedicabat poenitentiam, ac ingentem publicanorum et peccatorum vim baptizabat. His se junxit Christus: audiit praedicantem: adiit baptizantem, *ut* et ipse *baptizaretur ab eo.* Fecit id ob tres rationes: 1. Ut ab heroico humilitatis actu officium magistri et praedicatoris auspicaretur. 2. Ut baptismum Joannis, sui praecursoris, commendaret. 3. Ut aquam sanctificaret, quam electurus erat in materiam sacramenti regenerationis nostrae.

Quid tibi cum baptismo Joannis seu poenitentiae, o Jesu, qui es *agnus Dei* innocentissimus et ipsemet *tollis peccata mundi?* Scilicet dandum erat nobis exemplum virtutis. Volebas Joanni honorem reddere, qui honoraverat te coram populo et sacerdotibus. Cupiebas praeterea in nobis magnam suscitare veri baptismatis aestimationem, dum ipsemet suscepisti baptisma, quod illius figura solum erat. Principalis tamen intentio tua erat, illos, qui ad munus apostolicum destinati sunt, instruere, quod ad illud accedendum non sit, nisi per portam humilitatis. Eandem doctrinam jam olim Spiritus S. dedit, dicens: *Mittet radicem deorsum et faciet fructum sursum* (Isa. 37, 31.): ac si diceret: Viri apostolici magnae sunt arbores, quae, ut copiosos ferant fructus, radicum instar debent profunde in terram descendere.

Quanta, Domine, tua est bonitas, quod te ita demittas. ut humilitatem nos doceas, faciasque nos hac ratione aptos ad glorificandum Patrem tuum! Fac, ut exempla tua sint efficacia et simul, dum nostris obversantur oculis, in cordibus ardens te imitandi desiderium excitent.

PUNCTUM II.

Joannes, qui Christum de facie non noverat *et nesciebat eum*, revelante tunc Spiritu S. agnoscens, petentem baptisma esse Christum et Messiam, ex reverentia *prohibebat eum, dicens: Ego a te debeo baptizari: et tu venis ad me? Respondens autem Jesus dixit ei: Sine modo: sic enim decet nos implere omnem justitiam.*

Superi! quanta tunc fuerit Joannis laetitia, videntis coram se Dominum ac Deum suum! At quanta simul reverentia fuerit laetitiae conjuncta! Hinc exclamavit: Quid? Domine! *tu venis ad me*, ut ego baptizem te? te mundi Redemptorem? te, qui solus potes tollere et delere peccata?

O profundissimam Dei et Servatoris mei demissionem! Studeamus et nos, anima mea, similes elicere affectus, cum ad s. Synaxin accedimus: dicamus cum Joanne Baptista: Quid? *tu venis ad me?* tu Deus et Creator omnium? tu venis, ut visites abjectum terrae vermiculum, vilem creaturam, mancipium tuum?

Nota responsum Christi: *Sic decet nos* (me et te) *implere omnem justitiam:* me quidem, humiliando et ad tuum usque baptismum me demittendo: te vero ex obedientia me baptizando, ut discant homines, *omnem justitiam*, hoc est, totam hominis perfectionem duabus hisce virtutibus contineri, *humilitate ac obedientia.*

Cupis sanctus fieri? solum opus est *humilem* fieri ac *obedientem.* Frustra sincerum acquirendae sanctitatis desiderium jactas, nisi vere humilitatem ames, atque obedientiam: nec vere amas, si harum virtutum aut occasiones fugis, aut refugis exercitium.

Age igitur, anima mea: serio in continuam humilitatis et obedientiae exercitationem incumbe: et omne feres punctum: omnem implebis justitiam.

PUNCTUM III.

Baptizatus autem Jesus confestim ascendit de aqua: et ecce aperti sunt ei coeli et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam et venientem super se. Et ecce vox de eoelis dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.

Sic Pater aeternus compensat humiliationes Jesu Filii sui: sic et nostras, nunquam non comprobans illud oraculum a Christo subinde prolatum: *Omnis, qui se humiliat, exaltabitur.* Videamus modo singillatim cum plena cordis laetitia, quot modis Pater Filium glorificarit.

1. *Aperti sunt ei coeli;* totusque aër prodigioso lumine colluxit, ut significaretur, quod Christus de coelo descenderit; quod nihil in eo, nisi coeleste ac divinum fuerit: quod coelum sit regnum ejus: quod coeli portas reserare solius sit Christi.

O mi Jesu! quam jure meritissimo tibi aperiuntur coeli, ut honorificeris ob humiliationes tuas! nobis quoque illorum portas aperi, nosque per humilitatis tuae imitationem illis dignos effice.

2. *Descendit Spiritus S.* (*corporali specie;* ait S. Lucas) *sicut columba in ipsum,* addemonstrandum, quod Christus totam sanctitatis atque perfectionis plenitudinem cum septem donorum Spiritus S. immensitate possederit. Descendit autem *sicut columba* ad denotandam Christi innocentiam, mansuetudinem et miram foecunditatem, quam Ecclesiae ad progenerandos spirituales filios erat communicaturus.

Alme Spiritus, sis benedictus in saecula, eo quod adeo magnificum de innocentia et sanctitate Servatoris mei testimonium dederis. O Spiritus caritatis et puritatis! dignare, obsecro, etiam in me descendere, meam purgare animam, tuisque replere donis, tui praesertim amoris.

3. *Ecce vox de coelis, dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui:* ac si Pater divinus dixisset: Hic est Filius meus non per adoptionem, sed per naturam: Filius meus unicus, quem ab aeterno genui, amoque super omnia, sicut me ipsum, quia ab aeterno mihi est aequalis, nec aliud desiderat in tempore, quam ut, *quae mihi placita sunt, faciat semper.* (Joan. 8, 29.)

Mille gratiarum actiones tibi reddo, divine Pater, quod ibi Filium ita glorifices, ubi amore tui se humiliat. Et quoniam tibi singulariter in ejus humilitate complacuisti, gratiam mihi largire hanc eximiam virtutem amandi atque semper exercendi, ut in me quoque tibi complaceas.

Feria III.

Christus instituit sacramentum baptismi.

PUNCTUM I.

Postquam Christus summam exercuit humilitatem recipiendo cum peccatoribus baptismum Joannis seu poenitentiae, non minorem exhibuit misericordiam suum instituendo baptismum, divinamque ei virtutem ac efficaciam tribuendo, tribus illis, quae primum recensuimus, prodigiis significatam; novum enim hoc baptismi sacramentum 1. *coelos aperit.* 2. *Spiritum S.* ejusque dona *confert.* 3. Illud suscipientes *efficit filios Dei adoptivos.* Patet in homine, qui statim post baptismum moritur; eodem enim instanti apertos ingreditur coelos, et quia filius Dei est, possessionem aeternae haereditatis adit, ut clara SS. Trinitatis visione, quae beatum efficit, fruatur.

Per quid autem, anima mea, tantum meruisti favorem? gratiam, ajo, baptismi, quam tot innumeri idololatrae ac gentiles ne quidem cognoscunt? per quid eam meruisti?

Imo tu solus, Servator amantissime, incomparabilem hanc gratiam tuo, quem pro me effudisti, sanguine mihi promeritus es et sicut infinita bonitas tua hoc sacramentum in Ecclesia instituit, ita et me ejusdem fecit participem. Grates ob id, quas par est, ago, agamque per omnem vitam immortales. Immensum hoc beneficium tua erga me providentia mihi largita est, de sinu matris meae transferens me in sinum Ecclesiae velut in *arcam*, in qua tuos salvas electos, dum interea sine numero pereunt infelices in paganismi diluvio. Ah! ne permittas unquam, Domine, ut tanta me indignum reddam, excidamque gratia. Da potius, ut ei fideliter respondens, postquam ut genuinus Patris coelestis filius vixi in terris, ejusdem haeres fiam in coelis.

PUNCTUM II.

Fas praeterea est credere et considerare, quod Christus institutum baptismi sacramentum ocius S. Joanni ipsemet contulerit, ut ejus votum impleret ardentissime

baptisma petentis hisce verbis: *Ego a te debeo baptizari.* Adeo nimirum propendet Servator noster ad benefaciendum nobis. Ut ejus gratias obtineamus, solum opus est illas desiderare. Promptior ipse est largiri, quam nos accipere.

O quanto singularis hic favor gaudio perfudit s. praecursorem! Quam bene collocatos existimavit austerioris vitae et praedicationis suae labores, utpote tanto compensatos praemio! Quam merito potuisset dicere cum S. Simeone: *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum.* (Luc. 2, 29—31.) Illud certum, quod Joannes in grati animi significationem totum se obsequiis sui benefactoris consecrarit et vitae reliquum promovendo ejusdem honori impendere decreverit.

Idem a te ego beneficium accepi, Servator benignissime: an parem tibi reddo gratitudinem? quae hujus dedi indicia? Ah! incipio tandem meas erga te obligationes agnoscere, o Jesu, et malim hodie mori, quam vel unico vitae momento tibi grates non agere ob beneficia etc.

PUNCTUM III.

Notat S. Lucas, omnia, quae enumeravimus, prodigia contigisse, dum Christus orabat: *Christo orante apertum est coelum* etc. Ut significetur 1. quod oratio sit instrumentum prodigiorum, clavis coelorum, canalis gratiarum Spiritus S., magnes cordis divini et medium efficax prolectandi vocem Patris aeterni, seu divinas ejus inspirationes. 2. Quod devotio omnes nostras actiones, praesertim usum sacramentorum, comitari debeat et animare. 3. Quod exercitium orationis sit proprium Christianis cum ad conservanda Dei dona, quae in baptismo accepimus: tum ad impetranda, quae speramus, nova, ut, ad quam nos voto in baptismo adstrinximus, vitam novam constanter possimus prosequi.

Quis jam miretur, tam rara dari hodie ejusmodi miracula gratiae? tam paucos reperiri vere Christianos? Major horum pars vitam ignorat interiorem: devotio

nostris temporibus omnino refrixit: quiescimus in virtute et fructu baptismi, quin curae nobis sit ejus obligationes adimplere: patimur nobis eripi ejus thesauros defectu orationis, quae sola eorum est custos.

Ah! Redemptor mi! excita in me ferventem sancti hujus et saluberrimi exercitii amorem: da mihi efficacem orationis spiritum; et quoniam tot gratias eidem alligas, doce me uti decet orare, ut ferventer orando, per tuam intercessionem, gratiam impetrem non solum nullo unquam dedecore characterem baptismi afficiendi, sed etiam vivendi ac moriendi, ut verum Ecclesiae filium decet.

Feria IV.

Repetitio unius ex praecedentibus meditationibus.

Feria V.

Christus in deserto jejunat quadraginta diebus.

(Matth. 4, 2.)

PUNCTUM I.

Regressus a Jordane Christus secessit in desertum 1. ut laudes hominum et populi applausus, quos prodigia in ejus baptismo facta excitatura erant, declinaret et doceret declinandos. 2. Ut vitae interiori vacare et in solitudine et procul omni tumultu fructibus S. Spiritus et gratiarum in baptismo acceptarum frui posset.

O quam diverso agendi modo tu uteris, anima mea! Perdis pro dolor! innumeros gratiae thesauros, quia tibi curae non est opera gratiae occultare: e contrario multos ipsamet quaeris spectatores exigui, quod praestas, boni: et hac ratione evanescit totum peritque. Vana scilicet gloria majoris operum tuorum partis anima est, imo mors. Prompte aggrederis, quae sub oculos hominum cadunt: negligis virtutes, quae solum Deum habent testem: frustra te consumis serviens mundo, qui

fumum gloriolae tibi promittit: neque his stabit promissis perfidus.

Quanta igitur stultitia, Domine, aliud quam tuum quaerere beneplacitum! Quam justa est horum inanis gloriae aucupum poena, dum puniuntur fumo oculos eorum excaecante et vacuo in cordibus relicto! Solus ille, qui te quaerit, Domine, puram invenit lucem, veram animi voluptatem, solidam mercedem, omne bonum, cum te inveniat omnis boni fontem. Quam bonum est igitur, Domine, tibi adhaerere soli, in te solo ponere spem, te solum habere testem ac remuneratorem actionum! Veritas haec a tot jam annis mihi fuit exploratissima: et tamen exiguos in me protulit fructus. Fac tandem, Domine, illam adeo clare et efficaciter meis illucescere oculis, ut omnes intellectus tenebras ac illusiones disjiciat et cordis vanitatem persanet.

PUNCTUM II.

Jesus autem non in Jerusalem, aut aliam civitatem populis frequentem, sed *ductus est in desertum a Spiritu* Sancto, antequam conversionem animarum et praedicationem Evangelii exordiretur. Nempe in deserto et solitudine debent evangelici operarii ad suum momenti maximi ministerium sese disponere. Absque fructu et non sine periculo id muneris suscipit, qui non in sacra solitudine ad id se praeparaverit et per familiaritatem cum Deo necessarium lumen et gratias ex alto hauserit. Non, nisi *in solitudine*, *ad cor* animae *loquitur* (Ose. 2, 14.) Spiritus Sanctus, quia ibi solum auditur vox ejus. Non inter tumultus saeculi, non inter negotiorum strepitus, nec in dissipatione spiritus ars orandi addiscitur: eam tantundem, et non amplius, addisces, quantum te subtraxeris mundi turbis: quantum portas sensuum exterioribus objectis, quae pacem et quietem animae possunt turbare, occluseris: quantum te ad audiendam Spiritus Sancti vocem intra te collegeris.

In hujuscemodi deserto tuos, o sol justitiae, anima radios accipit, tuis collustratur luminibus, tui accenditur amoris ignibus. Ibi animam a peccatis et omni faece

terrena purgas: angelis similem efficis, aptamque, ut angelorum more alios quoque possit purgare, illuminare, accendere.

PUNCTUM III.

Tota Christi occupatio in solitudine per quadraginta dies et noctes erat *orare e jejunare*, ut nos imbueret praeceptionibus *orationis* ac *poenitentiae*, quae sunt veluti duo poli et cardines, quibus tota spiritualis vita vertitur. Utrumque autem orationis ac poenitentiae exercitium Christus obiit modo prorsus excellentissimo, altissimam contemplationem suam nulla re interpellari passus. Corpore in terris morabatur inter bestias: Spiritu semper in coelis inter angelos. Oratio ejus jejunio conjuncta *sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae et thuris* (Cant. 3, 6.) continuo ad Patrem de deserto ascendebat. Jejunium erat strictissimum, solidos quadraginta dies noctesque tenens, nullum toto tempore alimentum admittens, nisi coeleste.

Amemus, o anima mea, exemplo divini magistri, amemus sancta orationis ac mortificationis exercitia, sine quibus nemo unquam evasit, evadetque spiritualis, nemo aptus ad magni aliquid pro Dei honore praestandum. Dicamus cum sponsa sponso animarum: Tecum *vadam ad montem myrrhae et ad collem thuris* (Cant. 4, 6.), ut ibi discam ex te amorem *orationis ac mortificationis;* utraque enim mihi aeque necessaria est, ut placere tibi possim et tuam promovere gloriam.

Bene habet. Tuo instructus exemplo et gratia adjutus, Domine, utramque semper conjungam et dum vixero ad tuum honorem et meam utilitatem exercebo. Id si grave accidat naturae, lubens patiar, ut imitari te queam et glorificare. Imo firmissime spero, fore, ut tua sequenti vestigia nil asperi posthac mihi accidat, sed unctio, quam tempore orationis effundes in me, adeo mitigatura sit horrorem poenitentiae, ut ejus molestiam et acerbitatem non sentiam amplius.

Feria VI.

Christus a diabolo tentatur in deserto.

(Matth. 4, 1. sq.)

PUNCTUM I.

Ductus est Jesus in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo: et quidem ipsemet voluit 1. tentari, et 2. tentari in deserto, et 3. tempore orationis ac poenitentiae.

Primum voluit, ut ipse *tentatus per omnia pro similitudine* (hominum) *absque peccato* (Hebr. 4, 15.), propria disceret experientia melius *compati infirmitatibus nostris*, simulque doceret, qui nos gerere debeamus tempore tentationum. Alterum voluit, quia eo *ductus est a Spiritu Sancto, ut tentaretur a diabolo.*

Si Spiritus Sanctus nos tentationi et telis inimici objicit, timendum nihil; *fidelis autem Deus est, qui non patietur nos tentari supra id, quod possumus, sed faciet etiam cum tentatione proventum.* (I. Cor. 10, 13.) E contrario timenda sunt omnia, aut certe nihil boni sperandum, si temere nosmetipsos exponamus; sicut enim tunc singulari Spiritus Sancti auxilio destituti a daemone, quia inermes, facile superamur, ita difficilius vincimur rariusque, si in solitudine sanctis poenitentiae et orationis operibus vacamus. Felicitatem status et conditionis nostrae invidens diabolus nullum non lapidem movet, ut ea nos dejiciat, taedium solitudinis ac orationis ingerat, arma poenitentiae manibus excutiat. At enim, ut ille in fugam conjiciatur, nos vero in virtutibus meritisque crescamus, solum opus est respicere ac imitari exemplum Christi.

Animo igitur et cogitatione confer te, anima mea, in desertum, ubi divinus magister, velut in schola *tirones* aeque ac *perfectos* erudit. Illis ut animos addat et robur, ipse dignatur primam probationem et experimentum subire, de quo his eos verbis monet: *Fili, accedens ad servitutem Dei, praepara animam tuam ad tentationem.* (Eccl. 2, 1.) Daemonem autem superat, ut sciant tirones, rem sibi esse cum hoste jam

prostrato in terram. Porro *perfectos*, ne aut ex praesumptione putent, se tentationibus esse impervios, aut in studio virtutum sensim torpescant, a daemone tentari permittit, ipse autem quadraginta diebus persistit in oratione ac jejunio, quia, ut postea monuit discipulos, certum datur *genus daemoniorum*, quod nec a perfectis *ejici* potest, *nisi per orationem et jejunium*. (Matt. 17, 20.)

Quam felices tui sunt discipuli, Domine, quod tuo ipsius ore ac exemplo in omnibus sanctioris vitae disciplinis informentur! Quanto ipsis emolumento est, ad hoc, ut in militia christiana rite instruantur, alia re opus non habere, quam in te oculos defigere! Quanta consolatio rem habere solummodo cum hoste per te jam debellato! Ne ego, si cum eo congredi reformidarem, aut nimium forem ignavus, aut si ultro me ab eo sinerem superari, nimis sim ingratus erga te, qui imbecillitatem meam tua suffulcis gratia.

PUNCTUM II.

Diabolus tentator est vafer, subtilis, pertinax, assidue occasiones tentandi captans jam ex necessitatibus nos prementibus, jam ex malis naturae propensionibus, nunc ex ipsis adeo operibus bonis, ut nos praecipites agat in peccatum, praesertim superbiae. Ita sane cum ipso Dei Filio egit, variis eum modis aggressus. Jam ter a Servatore devictus, arena non cedit, sed animosior instaurat pugnam, desumpta ex ejus jejunio occasione, ut eum incitet *ad gulam:* ex ejus solitudine, in qua hominum applausus fugiebat, ansam arripit eum *statuendi super pinnaculum templi* et inducendi ad *superbiam*, ut publicum ac praefulgens in hominum oculis operetur miraculum.

Denique Christi oratione et divinis laudibus utebatur ad eundem *in idololatriam* inducendum, *omnia regna mundi* pollicitus, *si cadens adoraverit se*, sibique cultum latriae exhibuerit, Deo soli debitum. En vafritiem et pertinaciam tentatoris! at simul vide modum, quo hanc triumphare, illam difflare nos docet coelestis magister. Primam tentationem dissipat dicens: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod pro-*

cedit ab ore Dei, exsatians animae, imo et corporis famem, si humili cum fiducia recurramus ad Deum. Alteram tentationem evertit modeste respondendo, miracula citra necessitatem, aut ob vanitatem nec patranda esse, nec petenda. Tertiam repulit sancto contra daemonis insolentiam zelo divini honoris, illum cum potestate et indignatione retundens: *Vade*, *satana; scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies.*

Tune eodem modo resistis diabolo, anima mea? An similibus contra eum armis te tutaris? Verbum Dei, fiducia in Deum, resignatio in providentiam Dei et humilitas praecipue, arma sunt validissima et *scutum inexpugnabile.*

Et sane admiranda humilitatis virtus, Domine, triplicis tuae fuit instrumentum victoriae, meque, si illa uterer, Orco redderet formidabilem. Tu eam in deserto (fateor) stupendum in modum exercuisti, patiendo suggestiones diaboli et, quo voluit, te asportandi facultatem ei concedendo, necnon ejusdem stultis propositionibus respondendo, solamque ejus insolentiae opponendo modestiam, cujus exemplum superbus hic spiritus viderat nunquam.

Imprime, o humilis Jesu, insculpe cordi meo sanctam hanc humilitatem, quam, dum exercuisti, propemodum omnipotentem reddidisti. Certe hac lorica tectus aut impenetrabilis ero telis diaboli, aut victor ero. Atque haec mea victoria effectus erit tuae, divine triumphator, ob quam aeternas tibi laudes decantabo.

PUNCTUM III.

Tunc reliquit Christum e trino certamine victorem *diabolus. Et ecce angeli accesserunt et ministrabant ei*, a Patre divino missi, ut Filio tergeminam congratularentur victoriam, simulque ad mensam in deserto stratam servirent manducanti. Felices autem se hac legatione reputabant, ideoque eam obibant summa sum exultatione ac reverentia illi debita, quem noverant esse regem coeli et terrae.

Ita nimirum debellans Orcum meretur coeli applausum et victor daemonum fit socius angelorum. Domi-

nus, pro cujus gloria pugnavimus, est Deus fidelis, liberalis et, si ita loqui fas est, morae impatiens remunerator. Ut fideles remuneretur servos, non expectat supremum judicii diem. Vix pugnam absolverunt, coronat victores et dulces victoriae fructus offert gustandos: quibus tamen ita frui oportet, ut arma nunquam deponamus. Hostis noster non cedit campo, sed retrocedit, ut acrius instauret pugnam. Sic teste S. Luca (4, 13.) *consummata omni tentatione diabolus recessit a eo usque ad tempus*, ut intelligamus, semper nobis vigilandum: daemonem vero, dum recedit, nova ad nos oppugnandos arma cudere, atque adeo opus esse, ut gladium spiritus, quod est verbum Dei, cujus vim et efficaciam hodie nobis Servator demonstravit, continuo teneamus manu.

Benedicta sit aeternum, o Pater coelestis, tua providentia, et laudetur ab omnibus angelis cum ob amorem eximium, quem tuo hodie exhibuisti Filio, tum ob efficacia perseverantiae motiva, quae nobis in ejus persona proponis.

Sed te quoque, Servator mi, omnes laudent creaturae, quod tam sollicite tuo nos exemplo instruas, animes et corrobores in tantis vitae periculis, christianae tradens regulas militiae. Me felicem, quod tantum tibi honoris et obsequii videam ab angelis impendi! Cumulus laetitiae accederet, si in gratam humiliationum, quas pro me tolerasti, memoriam illorum obsequiis mea possem conjungere!

Sabbato.

Repete unam vel duas ex praecedentibus meditationibus.

Dominica IV. post Epiphaniam.

Christus prodigio tempestatem sedat.

(Matth. 8, 23—27.)

PUNCTUM I.

Cum sero esset factum, post habitam coram numerosa plebe concionem, *ascendente Jesu in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus. Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus: ipse vero dormiebat.*

Vide 1. Christus non dormit, nisi *sero* et 2. post diurnam fatigationem. 3. Somnus ejus est modicus, brevis, levis et quasi furtivus. 4. Dum corpus dormit, cor ejus vigilat, nihil eorum, quae aguntur, ignorans.

Talem oportet somnum esse virorum apostolicorum, non ob voluptatem capiendam, aut ob mollitiem, sed solum ob necessitatem, atque hoc ipsum moderate. Sanctae cogitationes, quas interdiu fovent, piis in somniis recurrant animo, ut cum sponsa possint dicere: *Ego dormio: cor meum vigilat.* (Cant. 5, 2.)

Quid autem mysterii latet sub *nocte*, sub *tempestate* et *Salvatoris somno?* Illud scilicet, quod frequenter usuvenit in vita interiore. Dantur identidem in anima, uti in Ecclesia, durae probationes, fluctus, tempestates, tenebrae et noctes, a quibus nec justi, aut Deo ante alios cari, sunt immunes, illo ad probandam eorum fidelitatem permittente, ut consueta coeli lumina deficiant et obscurentur: tentationes, scrupuli et anxietates, furentium instar ventorum, eos perturbent, circumagant et praesentissimum minitentur naufragium. Dominus se fingit dormire, eosque tempestatis furori permittere: re ipsa de tali justo ait: *Cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum et glorificabo eum.* (Psal. 90, 15.) Certe *non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel.* (Psal. 120, 4.)

Ego quidem dignus non sum, Domine, ex illorum numero esse, quos, ceu justos aut carissimos, *ex amore* non nunquam vexas. Hinc uti eorum virtutibus ac

meritis carens non raro easdem cum illis vexationes experior, ita eas agnosco esse justam meorum defectuum et tuo in servitio negligentiarum poenam. Agnosco paternam manum tuam, percutientem, ut meum excutiat torporem ac somnum, resuscitet fervorem, humilitatem inspiret et cogat ad te per preces recurrere. Omni cum reverentia beneficam exosculor manum, ferientem, ut sanet, tuaeque penitus me committo providentiae. Ne avertas faciem tuam a me, sed animam meam considera ut naviculam ventis agitatam: esto illi navarchus; dirige eam juxta beneplacitum tuum; certus sum enim, quod hac ratione, obluctantibus nequidquam ventis, secure in portum felicitatis sit deducenda.

PUNCTUM II.

Et accesserunt ad eum discipuli ejus et suscitaverunt eum dicentes: Domine, salva nos: perimus. Et dicit eis Jesus: Quid timidi estis, modicae fidei?

Duo hic perpendenda. 1. Discipuli a tempestate in extremum vitae discrimen adducti per orationem ad Christum confugere, velut unicam spem suam et portum salutis. 2. Christus sine mora surrexit, ut periclitantibus succurreret: prius tamen modicam fidem ipsis exprobravit: *Quid timidi estis, modicae fidei?*

Anima mea! exemplo discipulorum confugiamus ad Christum in periculis et necessitatibus nostris: dicamus illi: *Domine, salva nos: perimus.* Aut, an non tanget te jactura animae meae? Quid autem? animam derelinques tuo redemptam sanguine? animam, quae magis tua est, quam mea? *tuus sum ego*, Domine: *salvum* igitur *me fac.* (Psal. 118, 94.) Clamemus cum eodem Psalte: *Exurge: quare obdormis, Domine? exurge, et ne repellas in finem. Quare faciem tuam avertis? oblivisceris inopiae et tribulationis nostrae? exurge, Domine: adjuva nos* etc. (Psal. 43, 23. sq.)

Fateor, Domine: parum prudens mea foret timiditas et fides nimis modica, si sub umbra alarum tuarum protectus me crederem perditum. Qui vel tantisper tuam considerat potentiam, bonitatem, sapientiam, nil habet, quod timeat, quam ne diffidat tibi. Ita est. Etsi amarae

tribulationum *aquae intrassent usque ad animam meam* (Psal. 68, 2.), submergi nunquam posset. Imo *si ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es* (Psal. 22, 4.), defensor omnipotens, sub cujus protectione mihi semper tranquillo esse licet.

PUNCTUM III.

Tunc surgens Jesus imperavit ventis et mari: et facta est tranquillitas magna.

Admirare hic 1. omnipotentiam Christi et supremum in omnes creaturas imperium et 2. earum promptam ad nutum obedientiam. Ex una parte exultare oportet, quod totum hoc universum sub potenti manu Dei se humiliet et creaturae sensu carentes vocem ejus audiant: ex altera vero parte non minorem ruboris et pudoris materiam perfecta illarum obedientia, si cum nostra prorsus imperfecta comparetur, nobis suppeditat.

Erubescamus sane, anima mea, quod libertate tam male abutamur, a Deo concessa, ut quam perfectissimum ei obsequium, ac excellentissimam praestare possemus obedientiam. Pudeat, inquam, libertate abuti, ut divinae voluntati resistere et leges ejus violare possimus. Quid autem dicemus aliquando, si contra nos tot creaturae sint insurrecturae ad exprobrandum nobis abusum libertatis, quae tantam nobis supra illas praerogativam ac utilitatem confert? Vah! Quanto nobis erit probro surdas praebuisse aures verbo Dei, quod tanto illis in honore semper fuerat! Eheu! quoties nos Deus jussit cupiditates nostras compescere, domare passiones, animi motus sedare? num obsecundavimus?

Agnosco, mi Deus, et ingenue fateor, quod tuae rebellis obstiterim voluntati et gratiae: at en! Tuis advolutus pedibus detestor crimen. Verum enim vero detester millies, quantum potuero et lacrimis suffusus meum tibi de praeteritis dolorem contester, quid totum proderit, Domine, nisi tu supremum, quod in cor habes, dominium exerceas? Nosti utique hoc rebelle cor meum; cor, quod *quasi mare fervens, quod quiescere non potest et redundant fluctus ejus* (Isa. 57, 20.), cor evagationum, scrupulorum, anxietatum, passionum etc.

Impera igitur, Domine, ut turbulentum hoc mare quiescat: furentes hi venti obmutescant: et erit tranquillitas magna; tuum enim verbum est omnipotens, et efficiet, ut in omnibus tibi prompte obtemperem.

Feria II.

De vocatione Apostolorum.

(Matth. 4, 18. sq.)

PUNCTUM I.

Considera dispositiones seu dona *naturae*, quibus instructi erant Apostoli ad obeundum sublime Apostolatus officium.

Christus Dominus, postquam decreverat duodecim Apostolos eligere, ceu duodecim *fundamenta* Ecclesiae, non elegit sapientes secundum carnem, non potentes opibus, non nobiles, non doctos, sed elegit homines prorsus contemptibiles ruditate, moribus incultos, natalibus ignobiles, viles opificiis, abjecta arte victum comparantes.

Divino illustrati lumine ingrediamur nonnihil profundissima divinae providentiae consilia: infinitam admiremur sapientiam et digitum Dei suspiciamus. Divinae solum potestatis est principes mundi subjugare per pauperes, sapientes vincere per idiotas et simplices. Hisce utitur instrumentis, ut suam commendet omnipotentiam et *ne glorietur omnis caro in conspectu ejus.* (I. Cor. 1, 29.)

Ita enimvero est, Domine: tibi soli debetur honor et gloria stabilitae Religionis. Vere divina est, quam conspicimus adeo prodigiose divulgatam, mirabilius propagatam et per simplicissimos piscatores confirmatam. Quantam mihi gratiam contulisti ad illam vocando! Quanta consolatio scire, quod, ut tui simus amici et primores in regno tuo, nec titulis et nobilitate, nec opibus et scientiis opus sit, sed quod conversatio tua et *sermocinatio sit cum simplicibus* (Prov. 3, 32.): quod mysteria *abscondas a sapientibus et prudentibus, et reveles ea*

parvulis (Matth. 11, 25.): quod ad fruendum beneficiis et favoribus tuis sola requiratur et sufficiat humilitas.

PUNCTUM II.

Considera *mores* seu dispositiones morales hominum, quos ad summam Apostolatus dignitatem elegit Christus. Quidam eorum erant valde boni ac probi, ut S. Andreas, assumptus e schola S. Joannis Baptistae, ex qua jam hauserat 1. sincerum perfectionis propriae desiderium, quod demonstravit sequendo Christum, simul atque a magistro suo Joanne audierat, Christum esse verum Messiam et *agnum Dei.* (Joan. 1, 36.) 2. Ardentem animarum, alienaeque perfectionis zelum, quem luculenter ostendit, dum *fratrem* suum Simonem Petrum *adduxit ad Jesum* et sequelam ejus. (Ibid. 2, 42.)

Alii, quos vocavit, dispositiones afferebant si non optimas, uti S. Andreas, saltem bonas et ad apostolicum munus aptas, ut Petrus, Joannes, Jacobus, ad omne bonum propensi, honestis laboribus intenti, sancto mutuae caritatis vinculo inter se conjuncti. Denique alii dispositiones officio Apostolorum plane contrarias praeferebant, utpote homines non modo saecularibus impliciti negotiis, sed et vitiis; uti Matthaeus et Paulus, Christi persecutor, quos tamen adeo sancta et sublimi vocatione dignatus est Servator, ut et peccatorum desperationem et justorum impediret superbiam, hac ratione utrisque demonstrans, eam vocationis gratiam opus esse et effectum solius misericordiae divinae.

Discamus ex hac admirabili Apostolorum electione causas nostrae electionis in sinu et corde Patris misericordiarum investigare, non in operibus nostris: et, licet Christiani, religiosi, sacerdotes simus, agnoscamus, hanc ipsam electionem nostram, qua nos tot innumeris praetulit aliis, effectum esse solius divinae bonitatis et fructum meritorum Jesu Christi, quorum intuitu Deus nos *vocavit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum et gratiam, quae data est nobis in Christo Jesu ante tempora saecularia.* (II. Tim. 1, 9.)

Ah! agnosco utique, mi Jesu, agnosco, cui felicem meam vocationem debeam: tuae soli nimirum misericordiae. Ob amorem adeo purum et omne meritum meum praevenientem laudent te coeli et terra. Non minus angeli, quorum aliquando socii erimus in gloria, socii jam nunc sint nostrae gratitudinis, nobiscum sine fine concelebrando tuae prodigia bonitatis et misericordiae.

PUNCTUM III.

Diverso autem *modo* Christus suos vocavit Apostolos: quosdam sensim et paulatim, ut Andream et Petrum: quosdam repente et in ictu oculi, eo tamen discrimine, quod suaviter attraxerit filios Zebedaei, eos invitando: *Venite post me et faciam vos fieri piscatores hominum:* Matthaeum vero simpliciter imperando: *Sequere me.* (Matt. 9, 9.)

O admirabilem Numinis providentiam, per media adeo diversa nos ad obsequia sua trahentem! O quam amabilis ejus est indulgentia, nostris sese accommodantis dispositionibus! Quam infinita est bonitas, dum ex immensis gratiarum thesauris seligit aptiores et magis idoneas ad cor nostrum seu suavitate trahendum, seu imperio subigendum, hac ratione in utrisque mirabiliter conjungens et absolutum in nos dominium suum et perfectam obediendi libertatem nostram.

Ita sane Apostoli obedierunt vocanti Christo. Sicut ea vocatio erat sine violentia et necessitate, ita fuit libera et prompta sine ulla excusatione, mora, exceptione: *Relictis omnibus continuo secuti sunt eum:* neque contenti totum, quod Christus mandaverat, exequi, id praestiterunt insuper ex animo et corde sincero, cum plena judicii ac voluntatis subjectione: qui supremus est perfectae gradus obedientiae. Non audiebant, quas pseudo-politia oggerebat, speciosas non obediendi rationes, sed solum coeleste lumen, quod ex ore et verbis Christi elucebat, respiciebant, ejus gratia interim animos illustrante et corda efficaciter movente.

Numquid autem, Domine, id ipsum ego expertus sum, quando me vocabas ad te? Si vocantem secutus sum, tu traxisti me: tu meum subegisti intellectum: tu

cor meum rapuisti et affectum omnem, adeo, ut nunquam de mea ego obedientia, sed solum de amabilitate et illecebris illius Domini, quem sequi tam dulce mihi videbatur, possim gloriari. Quodsi vero voci tuae obedire mihi accidisset arduum, infinita sane bona vocationi alligata omnem debuissent abstergere difficultatem, imo jucundam reddere, ac suavem; etenim quam felices sunt discipuli, quod electi fuerint in Apostolos, in ministros s. Evangelii, in dispensatores verbi divini et mysteriorum, in tuos salutem animarum procurantes adjutores! Quanta eorum est gloria exaltari ad primas usque regni tui sedes et in die universalis judicii *sedere super sedes duodecim et judicare duodecim tribus Israel!* (Matt. 19, 28.)

Verum enimvero quis ego sum, Domine, ut particeps fiam sortis adeo gloriosae, adeo beatae? Possitne mihi magnum videri, quod te secutus sim vocantem et omnia tui amore reliquerim, dum tuo in servitio et mea renuntiatione tantos reperio favores, emolumenta, praerogativas?

Feria III.

De vocatione hominum in genere.

PUNCTUM I.

Vix daemon per peccatum suum amicitia conditoris sui, ac aeterna, ad quam creatus fuerat, felicitate excidit, illico seditiosum perduellionis vexillum erexit, obfirmatus regnum Dei in mundo evertere et homines a debita illi obedientia totis viribus retrahere, ut, postquam eos reddiderit perduellionis suae socios, redderet etiam aeternae damnationis consortes. Ex illo tempore non destitit nos oppugnare jam ut leo violentia perterrefaciendo, jam ut serpens astutia seducendo.

Praecipuum nos sternendi medium adhibuit triplicem concupiscentiam: videlicet *concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum et superbiam vitae* (Joan. 2, 16.), illos tres venenatos fontes, ex quorum primo profluit gula et luxuria: ex secundo avaritia et ambitio: ex

ultimo ipsa vitae superbia, plurium mater et radix vitiorum. Per hanc triplicem catenam homines sine numero in suas partes, in scelera, in exitium trahit, quos S. Paulus *flens dicit inimicos crucis Christi, quorum Deus venter est et gloria in confusione ipsorum.* (Philipp. 3, 18. 19.)

Ploremus cum Apostolo, anima mea, et merito deploremus tot hominum stultitiam, quorum alii se inescari sinunt hamo foedae voluptatis, alii fallaci splendore divitiarum et inanis gloriae infatuari, militantes sub vexillo daemonis, a quo nil nisi falsa bona et vera mala possunt expectare. An ego quoque de horum numero sim, judicent et sententiam ferant *amor et aversio*, quibus feror in lenocinia cupiditatum mearum.

Ah! illis nimiopere irretitus, timeo, Domine, nec abs re timeo, ne, cum tuum debeam, sequar daemonis vexillum. Qui vero credere unquam potuissem, me passiones meas, voluntatem propriam, naturae inclinationes sequendo, sensim sine sensu eo devolutum iri, ut daemonis militiae darem nomen et, dum cupiebam meus esse dominus, mancipium fierem diaboli? Ah Domine! disrumpe, antequam me totum constringant, vincula stygia per tuam omnipotentem gratiam, et noli permittere, ut amplius in adeo probrosam servitutem me induam et vias ambulem adeo exitiosas, quae in aeternam ducunt perniciem.

PUNCTUM II.

Filius Dei in hunc mundum delatus, ut regnum Patris sui stabiliret, daemonis everteret, suum quoque vexillum, sub quo fideles subditos colligeret, elevavit. Eum in finem tribus utitur mediis, triplici, quo daemon nos impugnat, telo directe oppositis. *Si quis*, ait, *si quis vult post me venire, 1. abneget semetipsum: 2. tollat crucem suam: et 3. sequatur me.* (Matth. 16, 24.) Quasi diceret: Daemon offert voluptates: ego earum abnegationem: ille promittit divitias: ego earum suadeo contemptum: proponit ille mundi pompam et fallacem gloriam: ego pedibus calcandam doceo.

Totum hoc in se complectitur *abnegatio sui ipsius*, ad quam Christus obligat pugnae spiritualis milites sub vexillo crucis secum dimicaturos.

An autem hucusque sensum divini hujus oraculi et conditiones, sub quibus Christum sequi oportet, rite penetravi? Num bene intellexi, quod Christi esse non possit, qui non desiit suus esse? Quod sancta haec sui ipsius abnegatio sit essentialis nota et character Christiani? imo quod hanc ipsam abnegationem jam olim in baptismo spoponderim, nec servus Christi sim, nisi quantum abrenuntio pompae et voluptatibus mundi? Si illis cor affigere praecipuum est daemonis instrumentum, quo destruat in me regnum Dei, numquid evidens est, quod iisdem renuntiare sit verum et efficax medium sub obedientia perseverandi, meamque salutem reddendi securam? Opus est sane, anima mea, ut hanc summi momenti veritatem intime penetres, frequenti memoria revolvas et praecipue in praxin quotidie deducas, strenue fugiendo, quae mundus tanto ardore amplectitur: generose amplectendo, quae tanto horrore fugit.

Ut hanc veritatem nobis inculcares, in terras descendisti, divine magister: necessariam hanc abnegationem tuis nos docuisti et designasti exemplis: prior viam crucis ambulasti, ut nobis stratam redderes amoenamque. Si detrectarem sequi, tam ingratus essem in tuam bonitatem, quam meae inimicus felicitatis. Lubens igitur (ita fixum est ratumque) lubens te sequar, quia *gloria magna est sequi Dominum.* (Eccl. 23, 38.) Esto: pati oporteat rerum omnium jacturam, tolerare paupertatem, dolores, morbos, infortunia, contemptus, omnia haec tanquam insignia tua lubens toto cordis affectu amplectar. Si autem (quod naturali meae imbecillitati perquam familiare) horror quidam aut animi dejectio superveniat, meam, Domine, corrobora animositatem, memor continua, ut me constanter vincam, mihi opus esse gratia.

PUNCTUM III.

Ut autem electio deliberantium, cui ex memoratis duobus dominis (*nemo* enim, teste Christo, *potest* simul *duobus dominis servire* (Matth. 6, 24.) contraria imperantibus) adhaerendum, bona sit, considerare oportet, quem eorum elegisse vellemus in supremo et formidabili mortis articulo constituti.

Et vero cujus partes tenuisse tunc gauderemus, Christi, an Luciferi? Christi, portando ejus crucem, mortificando passiones, abnegando propriam voluntatem? An vero Luciferi, fruendo voluptatibus, divitiis, honoribus, sequendo inclinationes naturae? Qui dubitem, o Deus, quas partes tenuisse illo momento essem optaturus? Cur ergo illas hodie non sequor, dum sequi in mea potestate est positum? Num prudenter electionem differo in tempus, ubi distulisse, sed frustra, poenitebit?

Quodsi forte mihimet blandiendo, me adhuc a morte procul abesse, adverterem, quod haec falsa mortis remotae persuasio illam veritatem minus perspicuam mihi reddat, solummodo opus est nunc comparare inter se diversam illis duobus dominis servientium sortem et statum. Utique promissa daemonis sunt speciosa: num autem tantundem habent soliditatis, quantum habent splendoris? tantundem lanae, quantum clamoris? si vera essent, nos redderent beatos: si beatos redderent, num infelices damnatorum manes in Orco assidue ingemiscerent? *Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis et ambulavimus vias difficiles*: praeclare omnino concludentes: *Ergo, ergo erravimus!* (Sap. 5, 7.)

Contra Christus proponit crucem, onus, jugum: at crucem unctione plenam, *onus leve*, *jugum* per gratiam adeo *suave*, ut iis onerati debeant fateri et fateantur, nihil esse facilius, jucundius nihil, quam adeo bono servire Domino.

O millies igitur infelices Babylonis filios, qui fallace bonorum hujus mundi splendore decepti, tyrannidem Luciferi tuo, o Jesu, suavi jugo anteferunt! Ah! quantum erubescent in die judicii, quando cum glorioso crucis tuae vexillo in nube splendida venturus es judex! Quantum de stulta electione sua dolebunt! Quanta eos desperatio obruet, eo quod ex superbia et corporearum voluptatum amore fuerint inimici crucis tuae! O quam satius est eam in vita amplecti per sinceram omnium terrenorum abnegationem! Ad hanc, Domine, en paratum cor meum! malim ego tecum esse in cruce, quam sine te in deliciis. Toto cordis affectu tuae adstipulor sententiae: *Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet*

illam: nam qui perdiderit animam suam propter te, salvam faciet illam. (Luc. 9, 24.) Da ergo, Domine, ut, quod in morte optarem elegisse, eligam nunc in vita et referam in die judicii tuae coronam gloriae.

Feria IV.

Tres hominum classes Christum sequi volentium.

PUNCTUM I.

Prima eorum classis revera cupit Christum sequi et suam consequi salutem: at necessaria ad eum finem nolunt adhibere media; quia ob adjunctam illis difficultatem non possunt a se ipsis impetrare, ut bona saeculi ipso opere abnegent, aut saltem affectu plene relinquant, aegro similes, qui vellet sanari, media autem adhibere non vult. Sicut ergo talis frustra sperat salutem corporis, ita illi animae, cum coelum sit *merces* (Matth. 5, 12.) operum, non sterilium desideriorum. Imo qui non vult media, nec finem vult, sed ut *piger vult et non vult* (Prov. 13, 4.): velleitatem habet, non voluntatem.

Ita major hominum pars in mundo est comparata. Numquid et ego navigo in eadem navi? Si linguam consulo, utique Christum sequi volo: coelum suspiro; nihil enim frequentius in ore meo natat hisce verbis: *Volo salvari. Volo.* At si cor penitius inspicio, ibi deprehendo vitae rationem ab instituto Jesu Christi adeo alienam, tantum in ejus servitio teporem, tantam bonorum operum penuriam, ut aliud inde non possim concludere, quam exiguum Jesu Christi, meaeque salutis amorem.

Et hic est deplorandus animae meae status, quem flens tibi confiteor, Domine. Me ipsum eheu! Millies decepi, blande assentando, quod *velim* tibi obedire, te sequi et essentiales status mei obligationes adimplere. Poteramne autem et tibi imponere, tuisque subducere oculis fucos et mendacia cordis mei? Imo tu es *scrutans corda et renes Deus;* totam ejus malitiam intueris luce meridiana clarius. Num vero istud me excusabit, aut culpam minuet? Saltem tuam merebitur et impetrabit commiserationem, quia cor meum, utut pravum, plus

habet imbecillitatis, quam malitiae. Vellet, vellet tibi servire, te amare, omnia tibi sacrificare: at imbecillis et aegra est voluntas, quam tu solus potes sanare; idque nullo poteris negotio: unica opus est pretiosi sanguinis tui guttula: hanc aegrae applica: et efficies sanctam, efficacem, generosam voluntatem: hoc ab infinita bonitate tua spero.

PUNCTUM II.

Altera Christum sequi volentium classis praedita est meliore prioribus voluntate vocationi suae respondendi et ad salutis curam incumbendi: hunc in finem media quoque arripiunt. Totus eorum error malumque vertitur in eo, quod ipsimet media velint eligere genio suo conformia, non fini aut divinae voluntati, haud absimiles aegro, qui vero recuperandae sanitatis desiderio impulsus non recusat absolute pharmaca: attamen suo illa arbitrio ac palato vult accommodari, medicorum voluntatem ad eadem approbanda pertrahere allaborans. Supremus animarum medicus, qui spirituales cujusvis morbos novit omnium perfectissime, sine ulla exceptione omnibus praecipit, ut *saltem affectu* renuntient cunctis terrae bonis: quibusdam vero praescribit, ut *ipso opere* renuntient, clare praevidens, illa non retenturos sine peccato et inordinato erga illa affectu. Urget ergo divina inspiratio, ut *actu* deserant: incassum; tantum enim non possunt a se impetrare, sed vellent Deum esse contentum sola *mentali* renuntiatione, quam male praesumunt cum eorum possessione conjungi posse.

Eheu! quot hujus generis dantur homines in mundo! quot juvenes praestantibus instructi naturae donis ac dispositionibus ad virtutes acquirendas, quos Deus ad sublimem sanctitatis gradum eveheret, si tantum haberent animi, ut bona fortunae calcarent! Retinentur a parentibus et amicis continuo occinentibus, etiam in mundo dari locum sanctitati: neque ad hoc, ut Christum sequantur, necessarium esse religionem ingredi etc. Id quidem, absolute loquendo, verum est: illi autem exemplo suo hanc veritatem comprobabunt nunquam. *Possunt* in mundo salvi et sancti *evadere:* at *non evadent.*

Totos poscit Deus, non divisos. Hoc autem ipsis non sapit, ut evangelico iuveni, qui, eo quod *erat habens multas possessiones*, *abiit tristis*, quia Christus ei dixerat: *Si vis perfectus esse, vade: vende, quae habes et da pauperibus.* (Matth. 19, 21. 22.) Quis autem dixit unquam, dicatve, hunc juvenem non evasisse improbum, eo quod vocationem neglexerit et perfectionem? Quis me reddat securum, quod non idem mihi sit obventurum, nec divitiae, quas abnegare detrecto, mihi futurae sint laqueus, occasio peccatorum, catenae in Orcum me detracturae!

Quantum ergo tibi devinctus sum, Domine, quod me ad actualem et perfectam omnium abnegationem vocaveris: ipsemet catenas, queis mundo eram adstrictus, disruperis et velut manu prehensum in veram libertatem transtuleris! At enim, ut sanctus sim, satis non est, mi Deus, me in loco sancto esse: opus est, ut et sancte ibi vivam, tuam implendo voluntatem, measque obligationes. Quid prodesset, quaeso, mundi bona dereliquisse, at eorum retinere amorem? Frustra sim pauper, si castus non sim: frustra castus, si superbus sim; cui enim bono erit superba paupertas, castitas superba? Necesse est, Domine, ut totus sim tuus sine divisione. Hoc ipsum est, quod ardenter desidero et semper rogabo te usque ad ultimam vitae periodum.

PUNCTUM III.

Tertia denique classis eorum est, qui sinceram afferunt voluntatem, Christum, quo demum cunque eos duxerit, sequendi: per omnes, quas monstraverit, vias tendendi ad perfectionem et in omnibus divino sese conformandi beneplacito, aegroti exemplo, qui prae nimio recipiendae sanitatis desiderio se totum in manus medici projicit, obfirmatus omnia promiscue adhibere remedia, quae ille judicaverit ad finem utiliora.

O bellissimam dispositionem, o foecundum non modo altissimae perfectionis, sed et summae tranquillitatis, solidique gaudii fontem! In hac perfecta abnegatione invenitur, quam propheta promittit, felicitas: fiet *sicut flumen pax tua et justitia tua sicut gurgites maris.*

(Is. 48, 18.) Igitur tam sancti, tam felicis status amore allecti projiciamur ad pedes Servatoris nostri et cum Saulo recens converso dicamus: *Domine, quid me vis facere?* (Act. 9, 6.) Ecce servum tuum, solo te sequendi, tibique serviendi desiderio flagrantem! Loquere igitur, impera, suggere, tuamque mihi voluntatem manifesta. *Quid me vis facere?* En! *paratum cor meum* ad imperia, ad omnes nutus tuos: *paratum cor meum!* (Psal. 107, 2.) Sicut autem haec animi promptitudo tuae partus est gratiae, ita tuum erit eam reddere constantem.

Denique sunt, quos Deus ad eminentiorem adhuc perfectionis gradum evehit: et sunt illi, qui ex desiderio Christum modo quam perfectissimo sequendi malunt cum illo esse pauperes, afflicti et contempti, quam cum pluribus etiam sanctorum abundare divitiis, honoribus, solatiis, ita quidem, ut amore Jesu Christi (salva tamen perfecta resignatione sua) malint cum Christo crucifigi et Christi insignia portare, quae nostri amore ipse portavit.

Et vero possitne quis amare te, Jesu, quin amet, quod ambobus brachiis amore nostri amplexus es? Ego certe cum Apostolo dicam semper: *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est et ego mundo.* (Galat. 6, 14.) Ut autem cor respondeat linguae, generosum crucis amorem mihi inspira, o Jesu, et profunde eum cordi meo insculpe, ut ille solus recte vivendi leges et regulas mihi praescribat.

Feria V.

De primo Christi miraculo.

(Vide supra pag. 35.)

Feria VI.

Christus negotiatores e templo ejicit.

(Joan. 2, 14. sq.)

PUNCTUM I.

Jesus invenit in templo vendentes ... et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo,

comprobans ipso opere veritatem facti de se vaticinii: *zelus domus tuae comedit me.* Ardentissimus hic zelus, non minus, ac amor erga Patrem immensus ita totum occupaverat Christum, ut promovendo templi et Patris honori die noctuque intentum velut ignis consumeret, ac in se transformaret metalli ad instar, quod, ubi ignitum fuerit, jures in ignem transisse.

Obstupesce, anima mea, divinam hanc transformationem. Admirare Jesum alias placidum, suavem, moderatum, subito jam transisse in hominem ignitum, ira et sancta animositate plenum, flagello armatum negotiatores e templo pellere *numulariorum aes effundere et mensas subvertere*, quin vel tantillum formidaret tantae furorem multitudinis, quae, ut omnia loquebantur indicia, facto impetu in eum irruere parabat, adeo audax facinus vindicatura. Hic nimirum verus amoris character est: divina *caritas foras mittit timorem* humanum (I. Joan. 4, 18.), *et fortis est ut mors dilectio.* (Cant. 8, 6.)

Ah! tot respectus humani, qui mea labefactant utut firmissima animi proposita: tot panici timores, qui ad conspectum vel minimae difficultatis a via virtutis me avocant et in medio cursu sistunt, utique certa sunt signa exigui mei pro gloria divina zeli.

Tu, Redemptor zelosissime, tu eum accendere potes et animare; hic enim est ille ignis, quem *venisti mittere in terram: et quid voluisti, nisi ut accendatur* in animabus hominum? (Luc. 12, 49.) Unde ergo venit, quod tuum hoc desiderium in mea non impleatur anima? scilicet obstacula invenis. Num autem tanta, quae perrumpere nequeat omnipotens bonitas tua? Stabulantur in me, fateor, passiones indomitae, amor saeculi, amor terrenorum etc. En ergo digna zelo tuo obstacula! Pelle igitur, ejice illa de corde meo, quia templum est Spiritus Sancti. Noli permittere, ut profanetur; fac illud et conserva semper perfecte sanctum.

PUNCTUM II.

Judaei a Christo signum, seu miraculum petunt in testimonium autoritatis, qua vendentes ejecit etc. Duo Christus dedit signa: scilicet *mortis et resurrectionis*

suae: quae jam alias dederat illis, comparando se cum *Jona*, qui, ut navem a naufragio vindicaret, in mare projectus et a balaena absorptus, post triduum in vitam et auras rediit. Non aliter ait Christus: *Solvite templum hoc* corporis mei *et in tribus diebus excitabo illud.* (Joan. 2, 19.)

O prodigia solatii feracissima, 1. quod Deus-Homo hostibus suis potestatem dederit templum corporis sui, in quo *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*, flagellis, spinis, clavis destruendi, ut redimeret animas, redemptasque viva Dei vivi templa efficeret! 2. quod idem Homo-Deus per inusitatum omnipotentiae suae prodigium morte sua ipsam mortem destruxerit et vitam resurgendo reparaverit! En, anima mea, prorsus certissimum divinitatis Christi argumentum, simul et Religionis tuae fundamentum.

O quam immensum tibi sumus obstricti, Servator amantissime, quod duo haec signa, duo haec ineffabilis tuae caritatis ac omnipotentiae prodigia edideris: primum *moriendo*, ut nobis vitam reparares: alterum *resurgendo*, ut nos de sepulchro peccatorum resuscitares! Ah! utriusque effectum per tuam conserva gratiam. Prohibe, obsecro, ne posthac in peccata, quae mihi vitam gratiae possent adimere, infelix relabar, aut, si denuo contingeret, relapsum sine mora erige, ne daemon, qui tuam tibi gloriam, meam mihi salutem invidet, gloriari possit, quod admirabiles amoris tui inventiones in me reddiderit inutiles.

PUNCTUM III.

Alia adhuc vice Christus e templo vendentes ejecit, at majori mansuetudine, sine flagello, contentus dixisse illis: *Nonne scriptum est: Quia domus mea domus orationis vocabitur omnibus gentibus? vos autem fecistis eam speluncam latronum.* (Marc. 11, 17.)

Duplex haec, at diversa, agendi ratio, quarum prima erat propria legi antiquae, utpote legi timoris atque rigoris: altera legi novae, legi amoris et gratiae: duplex, inquam et diversa haec methodus agendi denotat duplicem viam ac modum, quo Deus purgat animas: uno, per

poenas: altero, per amicas et paternas reprehensiones, nonnunquam per beneficia et favores.

Porro si ex singulari Dei gratia ministri simus Jesu Christi *in cura animarum*, discamus ab ipso discretum exercere zelum et mansuetudine rigorem temperare, quibus homines fortiter et suaviter ad virtutem amplectendam trahuntur. Sive autem tales ministri simus, sive non, descendamus in nosmetipsos: recolamus animo opera Domini; et inveniemus cum Davide, quod universa illius opera *veritas et judicium* fuerint (Psal. 110, 7.): *Veritas*, toties nos illuminando, ut vitam interiorem nobis persuadeat. *Judicium*, dum salutari nos metu perculit et vi amica compulit e cordibus nostris terrenas affectiones ejicere, velut impedimenta, ne templa et domus orationis evaderemus.

Ah! si cor meum necdum satis mundum sit et quietum, ut queat esse templum et locus orationis, non tua id culpa accidit, Domine; tu enim modo suavibus amoris tui blanditiis illud demulcebas: modo terrificis justitiae tuae minis percellebas, ut tumultum sedares passionum, animae pacem perturbantium. Non poeniteat te laboris, Servator mi, nec ab incoepto desiste. Nil dubita: ad finem optatum tua circa me consilia feliciter perduces. Pares et tuae bonitati et severitati tuae grates habeo, utpote tua aeque plenis misericordia. Sentio jam, sentio in corde meo nauseam terrenorum: omnipotentem tuam audio vocem: atque hoc spem mihi facit, quod perfectam cordis munditiem et necessariam ad orandum tranquillitatem sis largiturus; oratio enim debet esse assidua occupatio mea, ut aeternas tibi laudes possim decantare in templo gloriae tuae.

Sabbato.

Repetatur una ex praecedentibus meditationibus.

Dominica V. post Epiphaniam.

Parabola de zizaniis.

(Matth. 13, 24. sq.)

PUNCTUM I.

Simile factum est regnum coelorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo, cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus et superseminavit zizania in medio tritici.

Ipso Jesu interprete sunt in hac parabola *seminans*, ipse Deus; *ager*, mundus; *bonum semen*, justi, quos in cruce per gratiam genuit, imbre sanguinis sui irrigavit et ab aeterno ad possidendum coeleste regnum praedestinavit. Denique *inimicus homo*, qui bono semini superseminavit zizania, est diabolus, qui malos bonis commiscet, ut horum virtutes corrumpat per malitiam illorum. Haec zizania sunt etiam typus malarum suggestionum, quibus bonos impetit, ut pervertat, observando tempus opportunum, quo in profundum soporem, seu animi teporem prolabuntur.

Oculos modo in te ipsam reflecte, anima mea, et vide, an *triticum* esse velis, an *zizanium?* hoc est, quas sequi partes velis: an Jesu Christi, veri animarum sponsi, qui unice desiderat eas salvare et coelesti Patris sui horreo inferre, an vero daemonis, jurati animarum hostis, qui solummodo quaerit eas perdere, in Orcum deturbare, perennes suppliciorum suorum socias efficere?

Quis autem, o dulcissime Jesu, quis haesitare possit in electione tam facili? Ah! volo utique tuus esse et in omnibus tuas sequi inspirationes. Noli, quaeso, permittere, ut unquam diaboli suggestionibus morem geram cum tuae gloriae et salutis meae jactura. Noli unquam *obdormire*, sed fac, ut providentia tua vigilem semper mei curam gerat, ne juratus gloriae tuae meaeque salutis inimicus destruat, quod operari in me coepisti. Fac insuper, ut ego quoque sedulo invigilem profectui meo, ne unquam ab inimico repente opprimar, sed potius inveniar semper ad me defendendum expeditus.

PUNCTUM II.

Accedentes autem servi patrisfamilias dixerunt ei: Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? unde ergo habet zizania? Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit.

Viri apostolici, per zelosos hujus patrisfamilias servos adumbrati, dum vident praegrandem impiorum multitudinem, aliaque sine numero mala, seu per errorem, seu per malitiam hominum in mundo nascentia, intimo doloris sensu tanguntur, ad Deum suspirantes: Qui fit, Domine, ut, qui non nisi bonum semen in mundo seminasti, tantam zizaniorum vim permiseris succrescere, bonum semen suffocantium? cur tot peccatores dantur in medio justorum? cur tot scandala inter virtutes invalescunt? unde hoc, quod in Ecclesia tua, quae est *hortus conclusus* (Cant. 4, 12.), tot lolia et spinas nasci sinas inter lilia? ut quid in ipsis adeo claustris et domibus religiosis inter innumeros sanctos toleras tantam tepidorum, suoque statu ac professione indignorum catervam?

Adora hic, anima mea, providentiam Dei, monstrosam hanc utrorumque confusionem tolerantis, at toleraturi nunquam, nisi sciret inde majorem suam suorumque electorum gloriam eruere. Nimirum *melius judicavit de malis bene facere, quam mala nulla esse permittere.* (S. Aug. in Enchir.) Ulterius noli curiose scrutari arcana Dei judicia ac fines, sed animo humili dic: *Justus es, Domine, et rectum judicium tuum.* (Psal. 118, 137.) Disce simul cavere et daemonis fallacias et malitiam eorum, queis tanquam instrumento utitur, ut te in peccatum pertrahat. Non fide tibi et amori proprio: *inimicus* est eo periculosior, quo tibi propior, est enim domesticus, in omnem vigil occasionem seminandi in corde tuo zizania et divinum suffocandi amorem.

Enimvero, o Jesu, hic ille est formidandus animae meae *inimicus*, qui toties divinam sementem tuam cordi meo immissam corrupit, bonaque tibi ferventer serviendi proposita suffocavit. Instilla mihi igitur, Domine, sanctum mei odium et fortitudinem animi, ut sine ulla intermissione meae frangam impetus naturae et solos gratiae

tuae motus sequar, ne posthac *inimicus homo* possit bonum semen tuum porro suffocare.

PUNCTUM III.

Servi autem dixerunt ei: Vis, imus et colligimus ea? Et ait: Non, ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis et triticum. Sinite utraque crescere usque ad messem.

In hac servorum interrogatione considera intempestivum, praecipitem et indiscretum quorundam zelum, qui debet vitari.

In responsione vero patrisfamilias expende infinitam Dei erga homines misericordiam. Adeo severum erga angelos, semel tantum et prima vice peccantes, se exhibuit Deus, ut eodem, quo discordiarum zizania in coelo seminavit Lucifer, momento illum cum omnibus inobedientiae sociis radicitus evulsum, in aeternos ignes projecerit: homines vero tanta tractat bonitate et indulgentia, ut diu, et frequenter eos toleret, imo spatium poenitentiae concedat, serio desiderans zizania convertere in triticum et destruendo peccata salvare peccatorem. Quanta haec est misericordia! quanta longanimitas!

Num autem tu aliquando, anima mea, rite perpendisti infinitam Dei bonitatem? Per ipsum duntaxat stetit eodem, quo eum offendisti, momento te ocius perdere, aut non perdere. Urgebant daemones facultatem ab ipso peccati commissi momento te ex agro Ecclesiae evellendi et in gehennam praecipitandi. Offensum a te Numen suam suspendit Nemesin: daemonum repressit furorem: tibi indulsit tempus per salutarem poenitentiam ex zizanio transeundi in triticum, coelesti electorum horreo inferri dignum.

O Pater misericordiarum! grates tibi ago infinitas, agamque in saecula, quod summam hanc misericordiam prae tot aliis mihi exhibere dignatus sis. Merui (quid enim dissimulem?) millies promerui crudelibus Orci messoribus tradi, vitae meae filum resecare volentibus, meque in sempiternos ignes projicere *ad comburendum*. Tu, mi Deus, tu semper meus eras defensor, asylum,

protector, spero igitur, quod ex zizanio, quale eram per peccata, me conversurus sis in triticum, coelesti horreo invehendum, ibique in perpetuas aeternitates asservandum.

Feria II.

De prima parte sermonis Christi in monte.

(Matth. 5, 1—12.)

PUNCTUM I.

Hodie Filius Dei publice incipit exercere commissum sibi triplex officium: scilicet *magistri*, *legislatoris et consiliarii.* Excellens modus haec officia exercendi optime praesignatur altitudine *montis*, in quo hunc de octo beatitudinibus sermonem instituit.

Qua magister discipulos docet non inanes mundi scientias, quae multum inflant, parum prosunt: sed scientiam docet omnium utilissimam, scientiam salutis, *scientiam sanctorum.* (Sap. 10, 10.)

Qua legislator novae legis sublimes ejus proponit doctrinas simulque corrigit obscura, imperfecta et minus spiritualia legis antiquae.

Qua consiliarius admirabilia docet consilia, seu octo beatitudines, compendium et summam totius perfectionis.

Numquid autem totum, quod tunc Apostolis Christus praestitit, quotidie et tibi praestat, anima mea? Suam, ut illis, coelestem doctrinam tibi inculcat de divinis legibus suis evangelicisque consiliis, simulque, ut eorum intelligentiam et sensum penetres, lumine suo intellectum, sancta unctione sua cor tuum implet, ut et difficultates emolliat et praxin persuadeat. Ita sane Scriptura loquitur: *Accedite ad eum et illuminamini.* (Psal. 33, 6.) Et alibi: *Qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius.* (Deut. 33, 3.)

Pater aeterne! aeternas tibi debeo, dicoque grates, quod Filium tuum nobis dignatus sis dare *magistrum*, *legislatorem*, *consiliarium*. Tuus jam honor et gloria in eo vertitur, ut dociles simus ad ejus doctrinas, ob-

edientes praeceptis, generosi ad sequenda ejus consilia. At a quo has virtutes poterimus sperare? Tu scilicet, o Jesu, eas non poteris denegare petentibus eo solum fine, ut in schola tua proficiant. Bonus magister, zelosus legislator, fidelis consiliarius satis contentus est beatusque, si videat doctrinas suas deduci in praxin, leges observari, consilia fideliter impleri: et hoc ipsum, Domine, desidero quam ardentissime.

PUNCTUM II.

Considera *materiam et thema sermonis dominici*. Hic rex virtutum et sanctus sanctorum, *in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi* (Coloss. 2, 3.), octo nobis tradit regulas morum et perfectionis, ceu totidem scalae coelestis gradus, per quos anima ad supremum sanctitatis gradum et, quod consequitur, ad veram ascendit felicitatem: unde et *beatitudines* nuncupantur. Tunc impletum fuit sponsae effatum: *Labia ejus lilia distillantia myrrham primam* et exquisitam (Cant. 5, 13.); tunc enim primo *aperiens os suum* Christus prorsus coelestem distillavit myrrham, seu octo regulas virtutis stupendae et odoris excellentissimi, animas a corruptione peccatorum praeservantis.

Ah! quam parum perspectae sunt mundo hae perfectionis regulae! tantum abest, ut illas investiget: ut fugiat etiam, in contrariis ponens felicitatem. Quanta igitur Dei bonitas est, quod earum pretium nobis revelaverit, sanctissimo ore eas commendaverit, glorioso *beatitudinum* nomine condecoraverit, illustrissima eas exercentibus praemia spoponderit et, quod praecipuum est, de coelo descenderit, ut suomet exemplo earum pretium et aestimationem doceret.

Enimvero, ut illae nobis in amore ac pretio essent, tuo, o Jesu, nobis opus erat exemplo. Poterant equidem verba tua intellectui nostro has summi momenti veritates persuadere: poterant; ac inventura erant magnam cordis atque voluntatis repugnantiam, nisi tuo illas exemplo faciles, planas, amabiles reddidisses. Respuat, damnet, spernat eas mundus, quantum voluerit: meam ego illius opinioni haud inaedifico. Fugiat per me, rideat,

aspernetur illas; ego quidem aestimabo sincere, amabo ardenter, quaeram assidue, o Jesu, eo quod tanta aestimatione, amore, studio ipse eas fueris prosecutus.

PUNCTUM III.

Tria sunt in qualibet octo beatitudinum consideranda: 1. quam contrariae sint mundo; 2. quam conformes exemplo et vitae Christi; 3. quam largis remunerandae sint praemiis. Singulas jam considera.

I. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum.* Actus hujus paupertatis sunt renuntiare ipso opere, aut saltem affectu omnibus terrae bonis, existimationi propriae, sibimet ipsi. Virtus haec mundo exosa est, at Christo carissima, cui promisit regnum Dei, quod pauperes spiritu (*regnum enim Dei est justitia, pax et gaudium in Spiritu Sancto* (Rom. 14, 17.), jam in terris possidere incipiunt, consummandum in coelis per possessionem bonorum aeternorum. O sancta paupertas, adeo exosa mundo, quam cara mihi et amabilis es!

II. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Virtus haec, quae cohibet caecos naturae ac irae impetus, animam conservat perfecte tranquillam, redditque in medio injuriarum etc. imperturbabilem, debet necessario, ut genuina sit, fundari in humilitate cordis. Virtus tam incognita mundo, quam cara Christo, qui ejus exemplar esse voluit, dum ait: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde: et invenietis requiem animabus vestris.* (Matth. 11, 29.) Atque haec prima est *terra*, quam possidendam mitibus promittit Christus, scilicet se ipsos et *terram cordis sui* in hac vita, Deum vero post mortem possidendum in *terra viventium.* Quamquam, o mi Jesu, agne mansuetissime, si nullum aliud mites praemium maneret, quam honor et gloria te imitandi, ne ego contenderem patientiam et mansuetudinem exercere, quae tam mirabiliter in vita tua eluxerunt.

III. *Beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Justi cum Filio Dei *lugent*, sibique interdicunt omni gaudio et oblectamentis mundi. Perennis flendi fons et causa sunt peccata propria et aliorum, necnon diuturni

consideratio exilii: attamen plus consolationum percipiunt suo in luctu, quam mundus in gaudiorum oceano. Praeterea loco aeterni fletus et stridoris dentium, qui *extrema gaudii occupat* (Prov. 14, 13.), justi post brevem luctum et afflictionem aeternis innatabunt deliciis. Quis credere potuisset, o Deus, quod possimus beati esse in luctu, lacrimis, privatione omnium oblectationum? Hoc scilicet *arcanum* in schola Filii tui discimus, felici tot justorum experientia luculenter comprobatum.

IV. *Beati, qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Fames et sitis justitiae aliud non est, quam inexhausta quaedam aviditas spiritualis omnia adhibendi nutrimenta animae, ut crescat in bono et sanctitatis gradum attingat a Deo designatum: aliud non est, quam fervor quidam nos impellens, ut ad sublimissimas virtutes aspiremus, curramus ad fontes gratiae et lactis divinarum consolationum, ardentissime desideremus sacramenta, praesertim Eucharistiae, in qua realiter est Christus, *qui nobis justitia facta est.* (I. Cor. 1, 30.) Omnes hae dapes insipidae sunt carnalibus: ut sapiant, opus est vivere secundum spiritum exemplo Christi, qui fatigatus ex itinere et esuriens discipulis suis dixit: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me.* (Joan. 4, 34.) Nec ego vellem alium, o Jesu. Vellem, ut omnes mundi cupediae desiperent mihi, nihilque saperet, quam te amare in terris et possidere in coelis. Ibi, Domine, ibi animae, quae hic ultro se abstinent a voluptatibus terrae, *inebriabuntur ab ubertate domus tuae et torrente voluptatis tuae potabis eos* (Psal. 35, 9.): ibi *satiabuntur, cum apparuerit gloria tua.* (Psal. 16, 15.)

V. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Misericordia haec est effectus sanctae erga proximum commiserationis cor nostrum impellentis, ut miseris ex solo motivo caritatis, ab omni proprio commodo immunis, succurrat. Tale fuit tuum, o Jesu, venerabile cor, purissimo erga nos amore et commiseratione plenum; siquidem, ut nostris nos liberares miseriis, te ipsum iisdem onerasti sponte susceptis. Ah! similem caritatis spiritum nobis largire et cordis duritiem emolli.

Vitium istud e saeculo tuli mecum in domum religiosam; at cupio exuere, ut misericors erga fratres meos consequi merear misericordiam Patris tui.

VI. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Perfecta cordis mundities aliud nihil est, quam perfecta caritas, quae procedit *de corde puro et conscientia bona et fide non ficta.* (I. Tim. 1, 5.) Admirabilis haec virtus, mundo prae omnibus aliis virtutibus incognita, excludit omnem cordis maculam, mundam requirit conscientiam, casto ac filiali repletam timore, una cum simplicitate et amabili candore, qui fucos, simulationes, dolos nesciat. En genuinum agni sine macula characterem, quem capitales inimici nec de minimo peccato arguere poterant (Joan. 8, 46.): omnium exemplar praedestinatorum, cui conformes nos fieri oportet, si cupimus cum eo frui visione beatifica Patris; dicit enim Scriptura: *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? innocens manibus et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.* (Psal. 23, 3. 4.)

VII. *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Hi sunt, qui pacem conservare student 1. *secum ipsis*, carnem subjiciendo spiritui, passiones rationi, rationem Deo: 2. *cum omnibus aliis*, ad litteram implendo illud Apostoli: *Quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes* (Rom. 12, 18.), imo et inter inimicos eandem instaurantes per vinculum sanctae pacis. Pax haec donum est adeo pretiosum, ut ipse rex pacificus illam in terras e coelo detulerit, homines Patri suo reconcilians, partamque pacem suo sanguine corroboraverit. Insistamus vestigiis tantae caritatis, quae naturalis Dei Filius nobis reliquit, ut mereamur dici et esse filii ejus adoptivi.

VIII. *Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum caelorum.* Ut hujus beatitudinis reddamur participes, satis non est persecutionem pati sive a daemone, sive a mundo, daemonis administro, sed necessarium est *pati propter justitiam*, et quidem non solum patienti, sed et hilari animo pati, exemplo Apostolorum, qui *ibant gaudentes* . . .,

quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. (Act. 5, 41.) Id virtutis a te didicerunt, magister divine, cum ad heroicam animaturus patientiam illis dixisti: *Non est servus major Domino suo. Si me persecuti sunt et vos persequentur.* (Joan. 15, 20.) O faustam sortem, quam vehementer ambio, o Jesu! Hanc unicam a mundo gratiam peto, ut eodem, quo tecum egit, modo me tractet: ejus persecutiones mihi longe utiliores sunt, dulcioresque blanditiis, quae me possent seducere et regno privare, quod non promisit Pater tuus, nisi servis fidelibus, tuarumque persecutionum sociis.

Feria III.

Pars altera sermonis Christi in monte.

(Matth. 5, 13—17.)

Seu triplex Apostolorum munus: *purificare*, *illuminare*, *perficere.*

PUNCTUM I.

De munere *purificandi. Vos estis sal terrae*, ait Christus ad Apostolos, innuens, quod, uti sal cibos a corruptione servat sapidosque reddit, ita officium sit viri apostolici, animas praemunire ac defendere a corruptione vitiorum, easque sapidas et divino palato gratas efficere doctrina sua, praecipue autem optimis vitae exemplis; si enim horum loco scandala praeberet, atque adeo animarum perniciem promoveret, salis instar, qui evanuit, *ad nihilum valeret ultra*, *nisi ut conculcaretur ab hominibus* et rejiceretur a Deo velut cibus omni carens sapore.

Quodsi forte sal non sim *qua Apostolus*, sum, et esse debeo sal *qua superior*, *praepositus*, *paterfamilias*, imo *qua Christianus*, quod nomen eandem mihi imponit obligationem verbo et opere proximi salutem promovendi. At eheu! quot animas neglecto debitae instructionis, adhortationis, aedificationis munere passus sum aeternum perire ob exiguum alienae salutis zelum! quot animas

meis pessumdedi scandalis! Vah! quam indigne gero hunc, quo ita glorior, ministri evangelici characterem et officium, cujus sanctitatem profanavi, obligationes neglexi! Agnosco, Domine, et profiteor, quod merear ab hominibus, imo et a daemonibus ignominiose conculcari. Tu vero, Domine, qui solus es sal per excellentiam, non solum a corruptione peccati servans animas, sed et sanans corruptas, meam quoque sana ab omni corruptione: primae illam restitue puritati communicando salis evangelici proprietates, scilicet puritatem, simulque virtutem alios quoque purificandi.

PUNCTUM II.

De munere *illuminandi. Vos estis lux mundi.* Munus plane divinum est sua mundum illuminare doctrina; etenim *qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates.* (Dan. 12, 3.) Illorum est radiis doctrinae et luce sanctitatis suae tenebras peccati ac ignorantiae, quibus sepulti jacent homines, pellere, ut ex filiis tenebrarum efficiantur *filii lucis.* (Ephes. 5, 8.)

Si per singularem Dei gratiam sum minister Dei, totus debeo esse in isthoc munere. Quodsi ignavus timor lucernam seu talenta doctrinae meae absconderet sub modio, heu me! quot rudes, haeretici, gentiles, quos Deus voluit mea illuminari doctrina, aliquando insurgerent contra me, exprobraturi, se in tenebris a me relictos fuisse? Sin minus sum ad tam sublime evectus officium, non desino propterea *filius lucis* esse per gratiam baptismi. Sancta haec regeneratio obligat me ad facienda lucis opera, *ut, qui ea vident, glorificent Patrem nostrum, qui in coelis est.* Ast pro dolor! fors non invenio in me, nisi opera tenebrarum, per quae aliis fui offendiculo, scandalo, exitio.

Tu, splendor aeterne Patris, tu nosti, qualia hactenus fuerint, vitae meae opera: si pro eo, quod proximo debuissent esse incitamento ad te laudandum, ei occasionem dederint sanctum blasphemandi nomen tuum, oblittera, quaeso, eorum memoriam et corrige principium;

cor meum, inquam: tuo illud lumine illustra, inflamma amore. O sol justitiae, lucis tuae radiis intima cordis mei penetra, ut posthac imiter felices stellas, *quae dederunt lumen in custodiis suis, et laetatae sunt, vocatae sunt et dixerunt: Adsumus: et luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit illas.* (Baruch 3, 34. 35.)

PUNCTUM III.

De munere *perficiendi. Non potest civitas abscondi supra montem posita*, ait Servator, tertia hac similitudine declarans Apostolis, ad id muneris vocatos non esse, ut sint eremicolae, solitarii, suae duntaxat salutis studiosi, sed magnae instar civitatis, in quam omne genus hominum confluit: *positae* non in humili et obscura valle, quae typus est vitae imperfectioris, sed *positae supra montem*, qui figura est versantis in omnium oculis et ad sublime perfectionis culmen a Deo destinati.

An unquam adeo excelsam consideravi vocationem? num clarissima prophetae verba, meas mihi obligationes inculcantis, rite expendi? *Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion: exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Jerusalem.* (Isa. 40, 9.) Si hoc Spiritus Sancti effatum saepius perpendissem, certe in cordis mei adyto audissem, quod *factus sim spectaculum mundo et hominibus:* quod tenear eos ad sublimem promovere sanctitatem et, istud ut efficiam, me ipsum reddere perfectum. Neque meam excusabit ignaviam dicere: *Non sum Apostolus;* communis enim omnibus Christianis obligatio est incumbendi ad promovendam salutem et perfectionem proximi juxta status sui conditionem; ea de causa Christus, uti mox dicemus, nos exhortatur: *Estote perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est.*

Ad tantum virtutis fastigium ut ascendam, opus est elevari supra naturam: id quod tu solus praestare potes, Domine Jesu. Destrue igitur humiles, quibus ad terram deprimor, cordis mei inclinationes: praecelsas et nobiles substitue, quibus ad coelum erigar: ardentem adde zelum cum firmo animi desiderio totum terrarum orbem ad sanctitatem, ad perfectionem, ad tui amorem pertrahendi.

Feria IV.

Tertia pars sermonis Christi in monte de excellentia legis evangelicae.

(Matth. 5, 17.)

PUNCTUM I.

Promulgationi legis evangelicae praemisit Christus declarationem, quod non spernat legem antiquam Moysis, sed accuratam ejus observationem intendat: *Non veni solvere legem, sed adimplere.*

Praeclara sane divini magistri doctrina! Ejus meminisse oportet, anima mea, in omni occasione, ubi opus erit servare leges Dei et religiosi status tui. Non veni (oportet dicere) in mundum, ut meo vivam arbitrio, aut excutiendo legis divinae jugum inclinationes meas mandatis Dei praeferam, sed ut ea perfecte adimpleam. Non veni ad statum religiosum, ut meam sequar, sed ut divinam exequar voluntatem, quam mihi superiores Dei vicem gerentes et instituti mei regulae declarant. Has violare, quia de minimis videntur agere, est se periculo exponere in majora proruendi scelera. Et sane ruina Christianorum aeque ac religiosorum plerumque ex contemptu minimorum nascitur. *A minimis incipiunt, qui in maxima proruunt* (S. Bern.), totque ad propinquam perniciem sternuntur gradus, quot leves ejusmodi transgressiones iterantur.

Deinde quomodo majores a te gratias, legislator supreme, mereatur accipere, qui acceptis tam male utitur? quo jure, aut qua fronte singularia ad observandas majoris momenti leges auxilia speret, qui obtemperare detrectat in minimis? Quamquam parvine sint momenti, quibus ultro temetipsum subjicere non dedignaris? *Donec transeat coelum et terra, jota unum, aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant,* dicebas de te ipso.

Adeo perfectam intuendo obedientiam tuam, heu! quantum confundor, aspiciens ex adverso meam undequaque imperfectam! Corrige eam ad regulam tuae, tuoque exemplo me verum effice obedientem.

PUNCTUM II.

Post commendatam legem antiquam duo Christus in medium affert, quae praeparent animos ad audiendam legem novam. Dicit 1. ad hoc, ut quis infimum in regno suo locum obtineat; hoc est, ut eo tanquam indignus excludatur, sufficit vel unum transgredi mandatum, aut alios ad idem faciendum doctrina vel exemplo inducere. *Qui solverit* (ex contemptu formali), *unum de mandatis istis minimis et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno coelorum.* Ait 2. ut autem quis in regno coelorum magnus sit, requiritur *facere et docere:* h. e. opus est, ut et ipse mandata observet et alios doceat esse observanda.

Nota admirabilem, quae in his duabus sententiis latet, doctrinam. 1. *Quicunque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus* (Jac. 2, 10.), quia, transgrediendo unum ex mandatis legislatorem, qui *omnia* constituit servanda, gravi injuria afficit et caritatem, quae *est plenitudo legis* (Rom. 13, 10.), destruit, atque adeo meretur *minimus* esse in Ecclesia militante et penitus excludi triumphante. 2. Inde ulterius consequitur, quod omnis, qui ita rebellis fuerit contra legislatorem, simulque alios in partes rebellionis suae pertraxerit, duplici nomine mereatur non admitti in regnum Dei: qui vero sancta ambitione contendit in eo magnus esse, non solum ipse debeat legem servare, sed etiam efficere, ut observetur ab aliis: *qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno coelorum.*

Ita est: nihil majus, imo magnum nihil est coram Deo, quam esse sanctum et proximi sanctitatem verbo promovere ac exemplo. Huc sane omnia vitae tuae momenta collimarunt, o Jesu, ut omnem Patris tui voluntatem quam accuratissime adimpleres et alios ad idem praestandum induceres: h. e. ut temetipsum, nosque sanctificares. *Pro eis* (dicebas) *ego sanctifico me ipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate.* (Joan. 17, 19.) O divinum sanctitatis exemplar, quod in temetipso nobis ad imitandum proponis! Effectus hic est *nimiae caritatis tuae, qua dilexisti nos* (Ephes. 2, 4.),

majorem nobis damnationem allaturus, nisi ardens te imitandi desiderium excitet.

PUNCTUM III.

Ut autem supremam legis novae perfectionem Christus clare Apostolis ante oculos poneret, non contentus seipsum proposuisse exemplar sanctitatis, aliud insuper numeris omnibus absolutissimum proposuit; scilicet Patrem suum coelestem omnibus Christianis imitandum: *Estote*, ait, *perfecti*, *sicut et Pater vester coelestis perfectus est.* Sicut ergo sanctitas Dei in his tribus consistit, quod 1. omni careat culpa defectuque. Quod 2. omnes omnino, quae vel cogitatione possunt fingi, perfectiones in se complectatur: et quidem 3. in gradu prorsus eminentissimo: ita universa Christi lex ad tria reducitur, ceu totidem characteres filiorum Dei per adoptionem: debent nimirum omnia vitare peccata utut minima: omnes acquirere virtutes, easque in summa possidere excellentia.

O incomparabilem legis evangelicae perfectionem! o legem Deo infinite sancto dignissimam, quae nec minimae labis patiens nos ducit ad omnis prorsus generis virtutes et quidem in summo perfectionis gradu possidendas!

Atque haec est lex evangelica, lex nova, quam nobis daturus descendit in terras Christus. Non ait: Estote perfecti sicut Abraham, Moyses, David etc. aut sicut Angeli, Cherubim, Seraphim. Horum et similium sanctitas, utut perfecta, non sufficit tamen, ut Christianis, religiosis, filiis legis gratiae in exemplar sanctitatis proponatur, sed vult Christus, ut *perfecti sint*, *sicut Pater coelestis perfectus est:* vult, ut ad imitationem exemplaris infinite perfecti summam, quae in hac vita obtineri possit, perfectionem assequi contendant: vult, ut semper eorum puritas, humilitas, mortificatio, *caritas magis ac magis abundet in omni sensu.* (Philip. 1, 9.)

Grates, quas possum ac debeo, maximas tibi ago, mi Redemptor, quod, ut nos modum doceres e terra ad coelum nos extollendi, inde descendere sis dignatus, legemque ad nos detuleris adeo sanctam, quae nobis

in Patre tuo tam perfectum absolutissimae perfectionis exemplar monstret. Doce me, quantae utilitatis et gloriae ferax sit perfectio, ad quam me vocas. Adde fervorem, ut amem, quam adeo mihi commendas: robur, ut, quam amo, quaeram: praecipue constantiam, ut quaesitam assequar.

Feria V.

De oratione dominica.

(Matth. 6, 9.)

PUNCTUM I.

Christus Dominus, postquam sua Apostolis officia et totam legis perfectionem exposuerat, ad docendum orandi modum transiit necessarium ad obtinendam Dei gratiam, ut suo fungi munere et legem sanctissimam explere possent. Oratio autem, quam Apostolos et in illis nos docuit, est et vocatur *dominica oratio*, quia ejus auctor est ipse Dominus Jesus Christus: id quod nobis magnam hujus orationis aestimationem simulque fervorem orandi debet ingerere.

Licet autem ea oratio dirigatur ad Patrem: *Pater noster*, potest tamen aeque ad singulas et omnes tres simul sacrosanctae Trinitatis personas dirigi. Nihil autem poterit magis seu nostram accendere devotionem, seu excitare fiduciam, quam si nostram cum oratione Christi uniamus. Et sane fas est credere, quod Christus eandem orationem et ipse recitaverit et suos recitando praeiverit discipulos. Certe, uti notat S. Augustinus, quotidie illam repetit *pro nobis* ut summus Pontifex, *in nobis* et una *nobiscum* ut caput, nobis qua membris suis communicans verum orationis spiritum: *Dicimus cum illo hanc orationem et ille nobiscum.*

Constituamus nos igitur filiorum instar, quos divinus magister docet orare, in conspectu creatoris et ante orationem cogitemus, quod Pater coelestis vehementer desideret nostras exaudire preces, eo quod ab unigenito ejus Filio singula nobis verba suggerantur ad impetrandam Patris misericordiam opportuna.

PUNCTUM II.

Pater noster. Pater. En! tot inter nomina, titulos et attributa, queis abundat Deus, non vult a me, dum ad orationem accedo, aliud praemitti nomen, quam Patris : *Pater.*

O quantam hoc verbum potest et debet mihi ingenerare fiduciam! Et re vera mille titulis meus est *Pater:* videlicet 1. per creationem, seu *in esse naturae*, quia creavit me ad imaginem suam. 2. Per justificationem, seu *in esse supernaturali gratiae*, dum suam primo in baptismate, dein saepius in sacramento poenitentiae mihi communicavit gratiam, meque in filium recepit adoptivum. 3. Per glorificationem, seu *in esse gloriae*, dum me ad illam destinavit et haredem regni sui instituit. 4. *Per conservationem*, dum me paterne educavit, liberaliter enutrivit, providentia plus quam paterna protexit. Quis, amabo, quis patrum in terris tot nominibus est Pater? Quam merito igitur dixit Christus! *Patrem nolite vocare vobis super terram; unus enim est Pater vester, qui in coelis est.* (Matth. 23, 9.) Si autem ille *Pater* meus, igitur ego filius.

O Pater coelestis! fierine possit, ut homo mortalis, de limo terrae formatus, tanto honore frui et praecelso Filii tui nomine valeat gloriari? Quis caritatis excessus te abripuit, ut tam vile mancipium tuorum numero filiorum insereres? Ah! utinam digne possem tantae bonitati respondere per reverentiam, amorem et obedientiam vere filialem! Tu, o Pater mi coelestis, in cumulum beneficii suavissimo filii nomini spiritum, cor et affectum filii adde, ut omnes boni filii partes erga Patrem expleam.

PUNCTUM III.

Pater noster. Coelestis Pater nonnisi unicum habet et habere potest Filium *naturalem:* vult tamen plures et innumeros habere *per adoptionem*, tam angelos, quam homines. Ea de causa vult Christus a me dici: *Pater noster*, non autem *Pater mi*, ut me doceat 1. quam immensum sit cor Dei, qui absque divisione aut diminutione affectus sui, sine ullius detrimento omnes et singulos

aequali complectitur amore. 2. Quam universali ego pariter caritate prosequi debeam omnes adoptivos Dei filios, fratres meos.

Quodsi eo ingratitudinis prolaberer ac inhumanitatis, ut hos fratres meos non amarem, aut omnino contemnerem, qua fronte, mi Deus, quo jure possem te vocare *Patrem nostrum?* numquid tanta erga filios tuos crudelitas me quoque indignum redderet nomine filii? Ne igitur unquam in corde nostro universalis ista caritas deleatur, ei profunde insculpamus verba prophetae: *Numquid non Pater unus omnium nostrum? numquid non Deus unus creavit nos? quare ergo despicit unusquisque nostrum fratrem suum?* (Malach. 2, 10.)

Addit Christus: *Qui es in coelis.* Quamvis Deus per immensitatem sit ubique, voluit tamen Christus eum a nobis considerari ut regnantem *in coelis*, ut cor nostrum majore erga divinam Patris majestatem devotione ac reverentia imbueret, necnon a terrestribus desideriis ad coelestia surrigeret, ubi Pater noster et nostra haereditas est. Quid ergo aliud cogitandum suspirandumve? Quamvis corpore luteam adhuc terram inhabitemus, corda tamen nostra semper fixa esse deberent in coelesti patria. Cur ergo non continuo suspiramus mortem velut coeli portam? Studeamus saltem, dum felix illud momentum adveniat, quandoquidem Scriptura animam justi appellet *coelum* et sedem Dei, per gratiam justos inhabitantis, studeamus nos ita puros reddere et ab omni affectione terrena mundos, ut Deus coeli dignetur habitare in nobis et corda nostra in paradisum convertere, in iis tanquam throno suo residere et suae thesauros gratiae dispensare.

Utinam ego quoque ejusmodi coelum essem! Fateor quidem, mi Deus, me hominem esse *de terra terrenum;* quia Adae terreni filius: exopto tamen per gratiam tuam coelum fieri, et *homo coelestis*, tanquam filius Adae coelestis, Christi Jesu. Veni ergo, Domine, ad servum hunc tuum, quem tua praesentia efficiet coelum.

Feria VI.

De primis tribus petitionibus orationis dominicae.

(Matth. 6, 9. 10.)

PETITIO I.

Sanctificetur nomen tuum. Deus nihil aeque aestimat et vult, ac sanctitatem, sanctus esse et vocari. Ex ea praecipue suam quaerit et accipit gloriam in coelo per angelicum illud Trisagion: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum.* (Isa. 6, 3.)

Et vero in sanctitate Deus omnem suam collocat et ego meam collocare debeo gloriam, si verus esse filius et Patris aeterni vestigiis cupiam insistere. Quanto igitur mihi probro est inanem sectari gloriam! laudem quaerere in frivolis honorum titulis!

Extingue, o Deus, in me omne honoris et gloriae desiderium. Unice *sanctificetur nomen tuum*, non meum! Sanctificetur in coelo et in terra! Cognoscant te omnes populi credendo revelata a te, revereantur te servando praecepta, ament faciendo opera, quae si quis viderit, glorificet te et sanctificet nomen tuum. Cognoscant te etiam, revereantur, ament omnes creaturae; aequissimum est enim, ut in mundo hoc aspectabili, cujus tu *Alpha et Omega, principium et finis* es (Apoc. 1, 8.), nihil non suo modo glorificet nomen tuum et nomen unigeniti Filii tui Jesu Christi.

PETITIO II.

Adveniat regnum tuum. Petimus, ut Deus regnet in nobis hic 1. per gratiam, per justificationem et jurisdictionem suam et plenum in omnes facultates nostras imperium: 2. ibi per suae communicationem gloriae. 3. Petimus, ut consummatum illud perfectumque Dei regnum adveniat nobis, quod erit in fine mundi, quando nimirum omnia destruentur regna carnis, mundi, ac diaboli, Deus autem solus erit absolutus in omnium voluntates Dominus.

Ah, Domine, accelera felix illud tempus: destrue, quidquid in me tuo contrarium est supremo dominio:

totum cor meum in tuam redige potestatem: erige in illo, o summe adoranda Trinitas, thronum tuum, ibique debitum recipe honorem, obedientiam, adorationem.

PETITIO III.

Fiat voluntas tua, sicut in coelo, et in terra. Voluntas Dei nobis manifestatur per praecepta decalogi et Ecclesiae, per consilia evangelica, per regulas status nostri, per ordinationes superiorum. Haec omnia adimplendi gratiam debemus perenixe a Deo petere, eique cum fiducia, humilitate, ardentique obediendi desiderio dicere:

Pater adorande! nolo aliam sequi voluntatem, praeter tuam: nolo aliam sequi. Omnium igitur aliorum renuntio voluntati: meae, quia perversae: carnis, quia impurae: daemonis, quia iniquae: mundi, quia vanae. Uti sola voluntas tua infinite sancta est ac justa, imo totius sanctitatis norma et amussis, ita cupio tanta eam promptitudine, gaudio, amore, constantia et perfectione exequi, quanta illam *in caelo* angeli exequuntur ac beati: imo quanta illam homo coelestis, Jesus Christus, olim in terra executus est. *Doce me* igitur *facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.* (Ps. 142, 10.)

Sabbato.

De reliquis petitionibus orationis dominicae.

(Matth. 6, 11—13.)

PETITIO IV.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Triplicem hic petimus panem. 1. *Supersubstantialem*, ut S. Matthaeus expresse vocat, sacrosanctae Eucharistiae panem, cibum et robur animae nostrae. Petimus ergo, ut Pater coelestis nos pane eucharistico ejusque fructu dignos efficiat, eum quotidie seu *in* re et sacramentaliter, seu *in voto* saltem ac spiritualiter manducando. Proin quotidie dicamus Servatori nostro: *O panis vitae, qui di caelo descendisti pro mundi vita*, esto cibus noster, ut in te et per te semper vivamus. 2. *Spiritualem*,

seu auxilia gratiae, ad conservandam spiritualem animae vitam quotidie nobis necessaria. Item internas illustrationes, intelligentiam mysteriorum fidei etc.: praecipue illum panem, de quo Christus: *Cibus meus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me.* (Joan. 4, 34.) 3. *Materialem*, ad vitam corporis sustentandam necessarium, quem more infantum et *hodie* et *quotidie* a Patre nostro, at sine nimia anxietate, petimus, certi nihil defuturum nobis, quod vitae sustentationi fuerit necessarium.

Ita est, Domine: ut triplicem hunc panem filiali cum fiducia expectemus, *panem quotidianum* voluisti a nobis appellari, seu fuerit ad animae conservationem coelestis ille et *supersubstantialis*, quia infinite nobilior omni substantia materiali: seu fuerit *materialis*, quem sustentandae corporis vitae producis in terra; hunc, inquam, panem jubes appellari *quotidianum*, ad significandam necessitatem nostram: et *nostrum*, ad excitandam spem eum fidenter petendi tamquam *nostrum*, quippe quem Filius tuus nobis condigne suis comparavit meritis, tuus vero *Patris* titulus, ut illum nobis quotidie largiaris, te obligat; fere uti quovis mane olim in deserto, ut filios Israel enutrires, panem de coelo, seu manna, praestitisti eis, constituens, *ut colligerent, quantum sufficere posset ad vescendum.* (Exod. 16, 21.)

PETITIO V.

Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Quantacunque niteamus justitia et sanctitate, semper tamen peccatores sumus, qui divina indigeant misericordia ad obtinendam quotidie *debitorum*, h. e. peccatorum (saltem venialium) veniam et remissionem poenarum. Ad utrumque semper pronus est Deus, si ut ejusdem Patris filii vel obliviscamur, vel certe condonemus debita offensionum et injuriarum, a proximo nobis irrogatarum. Optimus hic Pater aequali ardore cupit et nobis ignoscere et a nobis ignosci proximo, quia sustinere non potest, ut *sol occidat super iracundiam nostram* (Ephes. 4, 26.): hinc suam misericordiam alligat nostrae erga proximum, quam cum Dei gratia facile possumus exercere.

Adeo nimirum, o Deus, ad condonanda mihi, quae apud divinam majestatem tuam contraxi, debita propendes, ut eorum veniam huic alliges conditioni: *si et ego dimittam debitoribus meis.* Numquid autem hoc idem est, ac meorum veniam peccatorum ponere in mea potestate? Quis unquam, mi Deus, similem vidit bonitatem? Tibi nempe soli proprium est ita misereri et parcere. o Pater misericordiarum. Ah! tantae (supplex te obtestor) me bonitatis fac participem. Ne illa omnino sim indignus, quantum in me est, tuam mereri studebo amicitiam amicitia, quam cum omnibus inimicis meis instaurabo, fovebo, conservabo semper.

PETITIO VI.

Et ne nos inducas in tentationem. Non petimus eximii esse ab omnibus carnis, mundi et daemonis tentationibus, queis justo divinae providentiae consilio exponi oportet: sed petimus, ne Pater coelestis nos permittat illis succumbere, aut talibus exponat, quibus succubituros praevidet.

O Pater infinitae bonitatis! tuos respice filios, intra et extra se hostibus undique cinctos. Non detrectamus laborem et molestiam pugnae, non; expedit enim nobis juxta adorandam providentiae tuae dispositionem proeliis esse obnoxios: id solum petimus supplices, tua ut gratia victores evadamus; victoria enim filiorum est gloria Patris.

PETITIO VII.

Sed libera nos a malo. Amen. Liberari petimus ab omnibus malis corporis et animae temporalibus ac aeternis, praeteritis, praesentibus et futuris: adeoque petimus, ut Deus nostra deleat peccata praeterita, praesentes corrigat errores, moderetur passiones, miserias mitiget, gratiam largiatur vincendi daemonem et praecipue ab aeterno damnationis malo nos liberet.

Et hoc est summum, a quo liberari petimus, malum, o Deus. Quod calamitates attinet, et mala hujus vitae, en! parati sumus ad ea patienter sustinenda: ab his liberari non petimus, nisi quantum ad tuam gloriam et nostram salutem proderit. At, quod efflictim petimus,

ne permittas unquam, ut peccatum in nobis regnet in tempore, aut ira tua nos opprimat in aeternitate.

Vox *Amen*, seu *fiat*, *fiat*, est repetitio et summa omnium, quas adornavimus, septem petitionum; hinc singulari cum devotione et affectu illud *Amen* pronuntiandum est coram Deo, qui *non est oblitus clamorem pauperum* (Ps. 9, 13.), nunquam repudiaturus orationem, quam a dilecto ejus Filio didicimus ad illius duntaxat gloriam et salutem nostram; haec enim, ait Apostolus, *haec est fiducia, quam habemus ad Deum, quia, quodcunque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos, et scimus, quoniam habemus petitiones, quas postulamus ab eo.* (I. Joan. 5, 14. 15.)

Dominica VI. post Epiphaniam.

De grano sinapis.

(Matth. 13, 31. 32.)

PUNCTUM I.

Granum sinapis denotat Jesum Christum. Exiguum est, imo inter semina minimum: magnas tamen in se virtutes continet, quas prodit ac exerit contritum, contusum, dentibus mansum. Similiter Christus in sua incarnatione parvus voluit apparere et abjectus, ita, ut de se secundum humanitatem dixerit: *Ego sum vermis et non homo: opprobrium hominum et abjectio plebis.* (Ps. 21, 7.) At interius quoad animam, et multo magis quoad divinitatem semper erat maximus ob infinitos, qui in eo residebant, thesauros sapientiae, bonitatis et caritatis Dei. Per hanc caritatem accendit tepidos dando gustum devotionis et suo inflammat amore. Hi effectus magnam habent analogiam cum grani sinapis effectibus, quos Christus in excellenti gradu produxit, quando fuit in cruciatibus passionis suae contusus, contritus, comminutus et in cruce velut in pulverem redactus.

En, anima mea, typum sponsi tui, necnon animarum, quae sunt sponsae ejus. Parvae debent esse et despectae in oculis hominum, at magnae coram Deo in virtute, et

semper crescere ob spiritus fervorem tunc maxime elucescentem, quando pedibus teruntur, maledicis dentibus proscinduntur, exemplo sponsi ab omnibus pessime tractantur. In hunc sensum Ecclesia dicit de se, quod (extrinsecus) *nigra sit*, intrinsecus autem *formosa sicut tabernacula Cedar*, *sicut pelles Salomonis*. (Cant. 1, 4.)

Hic ipse est character et nota Religionis, quam instituisti, Domine. Exterius nihil habet, nisi in speciem parva, abjecta, exilia. Ast quando ejus veritates ac mysteria meditando conterimus, rimamur, mandimus, tum enimvero arcanas deprehendimus virtutes: tui amoris ignem succendi advertimus et experimur, *Jesum Christum crucifixum Judaeis quidem esse scandalum*, *gentibus autem stultitiam: ipsis autem vocatis Judaeis atque Graecis* cunctisque fidelibus, *esse Dei virtutem*, *et Dei sapientiam*. (I. Cor. 1, 23. 24.)

O prudentem simul, magnamque parvitatem, supremis mundi dignitatibus majorem! hanc unam animus est quaerere et per reliquum vitae amplecti. Fac me igitur, Domine, similem grano sinapis, cui te ipsum comparare non dubitasti, ut ad illius exemplum ignominiis, contemptionibus et adversis probe contritus in mundo particeps fiam tuarum virtutum, in coelo perennis gloriae.

PUNCTUM II.

Granum sinapis mittitur in terram: ibi mortuum radices agit et, *cum creverit*, *majus est omnibus oleribus*. Pari modo Dei Filius, postquam in incarnatione se exinanivit, triginta et amplius annis vixit in terra, mortuus et in horto sepultus, ad inferos usque descendit. Ob id gloriosus resurrexit, a Patre suo ita super omnes creaturas evectus, ut *novissimus virorum* sit factus caput hominum et angelorum, *in cujus nomine omne genu flectatur coelestium*, *terrestrium et infernorum*, adeptus *nomen*, *quod est super omne nomen*. (Philip. 2, 9. 10.)

Agnoscisne, anima mea, quod Christus, qui amore tui se exinanivit, hac exaltatione sua veterem impleverit prophetiam: *In die illa erit germen Domini in magnificentia et gloria et fructus terrae sublimis?* (Isa. 4, 2.) Sacrum hoc, at humiliationibus tamdiu obscuratum germen,

nunc gloria fulget in coelo. Licet sterile apparuerit, in foecundam tamen succrevit matrem tot spiritualium filiorum, Patri suo in virtutibus et sanctitate similium.

Quam vehementissime gaudeo, Redemptor mi, de tam sublimi tua in coelis exaltatione, qui tam abjectus videbaris in terris. Quanta animi laetitia intueor infinitam spiritualium, quos in cruce moriens genuisti, filiorum multitudinem! Felix mors, qua sine, ut ipse dixisti, *mansisses solus:* cujus beneficio autem tam copiosos protulisti fructus, ut coelum et terram impleant! Per s. crucem tuam te obtestor: ad amorem humiliationum trahe me adeo efficaciter, ut tibi perfecte similis evadam.

PUNCTUM III.

Caulis e grano sinapis exurgens adeo amplos extendit *ramos*, *ut volucres coeli veniant et habitent ibi.* Jesus Christus est vera arbor vitae: rami sunt *doctrinae Evangelii*, quod praedicavit, *lex perfectionis*, quam proposuit, nova *consilia*, quae dedit, *sacramenta*, quae instituit: heroicarum *exempla* virtutum, quae praebuit, *miracula*, quae patravit, omnia denique ejus vitae *mysteria* usque ad gloriosam in coelos ascensionem. In hisce ramis non habitant aquilae, typus superborum, sed minores coeli volucres, symbolum et figura humilium, qui ope contemplationis sese elevant ad claram mysteriorum Christi cognitionem, imo ad perfectam cum Deo unionem.

Sanctas id genus animas imitari oportet, anima mea, et cum illis habitare in grandi hac arbore, ut dulces ejus fructus decerpere, nosque contra solis ardores tueri possimus. Ita sane fecit sponsa, dicens: *Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi et fructus ejus dulcis gutturi meo.* (Cant. 2, 3.)

Quis dabit mihi pennas hujus castae ac ferventis *columbae* (Ps. 54, 7.), ut volitem ad hanc arborem, cujus rami erunt mihi asylum, fructus nutrimentum, umbra solatium? O divina arbor! licet altissima sis, me tamen, uti spero, usque in ramos tuos elevabo per alas contemplationis, si quidem illis me instruxeris, Spiritus autem Sanctus suo me afflatu adjuverit. Debilem hunc conatum tuo sustenta auxilio, alme Spiritus: attolle me supra me

ipsum usque ad arborem vitae, ut requiescam sub umbra ejus et illuc tandem perveniam, ubi aeterna requie fruuntur sancti.

Feria II.

Christus mittit discipulos ad praedicandum.

(Matth. 9, 37. 38; 10, 1. sq.)

PUNCTUM I.

Considera *necessitatem* apostolicos mittendi operarios; Christus enim discipulos ad praedicandum mittens expresse ait: *Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.*

Admirare hic et caritatem Servatoris infinitam et ardentem animarum humanaeque salutis zelum. Multitudo hominum, qui instructione indigebant et ignorantia mysteriorum, qua laborabant, Christi viscera ad commiserationem movit, commiseratio ad opem accelerandam. Ad utrumque ut suos discipulos permoveat, ait ad illos: *Messis quidem multa, operarii autem pauci.* Exhortatur simul eos ad rogandum messis Dominum, ut operarios mittat ad colligendam messem. Imo, quoniam ipsemet erat Dominus messis, non expectatis eorum precibus ultro eos mittit ad illud summi momenti ministerium.

Quantae est gloriae pauperibus operariis, quales Christi erant discipuli, a Domino ad tam sublime officium eligi et in Jesu Christi collegas adscisci, ut ei sociam in procuranda animarum salute operam navent! Quanta ergo mea foret temeritas tanto me, nisi *mittar*, ingerere negotio! Si autem ad hoc *missus* sum a Deo, quam intolerandus esset languor non tota animi ac virium contentione in illud incumbere! Aut num tolerabilius foret ex vanitate, aut intuitu proprii lucri illud munus obire et hac ratione meum simul laborem et spem Domini messis irritam reddere?

Ah, Domine! quam paucos numeras operarios tuo imbutos spiritu et per apostolicos labores suos nil, nisi gloriam tuam et animarum salutem quaerentes! Interea

immortales tibi grates dico, quod nullo non tempore aliquot fideles tibi selegeris operarios tuae duntaxat gloriae zelo accensos, quos ad extremas infidelium terras misisti, ut ibi semen Evangelii spargerent. Adauge (per ego te tot animarum salutem, per tuum rogo honorem, cum *Dominus messis rogari* velis) adauge eorum numerum. Multiplica prudenter ejusmodi generosos, nullius lucri cupidos et sanctitate illustres operarios. Quodsi me ad tam sanctum et sublime munus eligere dignaris, *ecce ego! mitte me* (Isa. 6, 8.); si enim ad tantum honorem, quem omnibus mundi dignitatibus longe antefero, me eligas, nulli parcam labori, ut tibi rite serviam.

PUNCTUM II.

Considera *virtutes* evangelicis *necessarias* operariis earum quinque suis in discipulis requirit Christus. 1. *Caritatem fraternam;* hinc vult, ut *bini et bini* eant, non soli et singuli. Mittit *binos*, ut illis daretur occasio fraternam exercendi caritatem, sese mutuo juvandi in laboribus, consolandi in aerumnis, custodiendi in periculis: nam *vae soli, quia, cum ceciderit, non habet sublevantem se!* (Eccl. 4, 10.) 2. *Patientiam ac mansuetudinem. Ecce ego mitto vos*, ait, *sicut oves in medio luporum. Sicut oves*, ut nec laesi noceant, aut ulciscantur. 3. *Humilitatem*, quam ne amitterent Apostoli, seque sinerent excaecari potestate miracula patrandi, non alio collata fine, quam ut eorum zelus, verba et veritates Religionis ab ipsis propositae confirmarentur, dixit quidem Jesus: *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, daemones ejicite:* at mox subjecit: *Gratis accepistis: gratis date*, significans, donum patrandi miracula non ipsorum concedi, aut deberi meritis, sed omnino *gratis* conferri, atque adeo nullam debere ipsos mercedem aut praemium quaerere, praeter gloriam Dei. Ob eandem causam cum *reversi* essent *cum gaudio, dicentes: Domine, etiam daemonia subjiciuntur nobis in nomine tuo, ait illis Jesus: Videbam satanam sicut fulgur de coelo cadentem* (Luc. 10, 17. 18.), quo dicit: discite a daemonibus sapere, qui vobis obediunt, at e coelo olim ejecti fuere ob superbiam, qua sibi tribuebant, quod soli Deo erat proprium.

4. *Prudentiam* sanctae *simplicitati* junctam. *Estote*, ajebat Christus, *prudentes sicut serpentes et simplices sicut columbae. Prudentes*, ne imprudentes et temerarii animas aliorum lucrando perdatis vestras *et*, *cum aliis praedicaveritis*, *ipsi reprobi efficiamini*. (I. Cor. 9, 27.) *Prudentes sicut serpentes* animas vestras servando, licet corpora pati et mori debeant: fere ut serpens corpus exponit vulneri, ut vitam et caput servet incolume. Pariter *simplices sicut columbae*, sine felle et acrimonia, puros intentionis oculos in sola Dei gloria defigendo. 5. *Paupertatem* strictissimam: *Nolite possidere aurum*, *non peram in via*, *neque duas tunicas etc.* Vetat ergo *superflua*, uti sunt pretiosa, aurum, argentum etc., et in communibus *non necessaria*, ut peram, duas tunicas etc., suosque operarios vult ab omni sollicitudine temporali liberos et a terrenis, quae zelo animarum obstant, avulsos.

Etsi forte ad munus praedicandi legem evangelicam non sim vocatus, semper tamen admirari oportet perfectionem ministerii, adeo sublimes in operariis suis virtutes postulantis. Si autem ad id vocatus sim, opus est memetipsum coram Deo inspicere, an in me necessarias tanto muneri virtutes deprehendam: caritatem fraternam, patientiam cum mansuetudine ovis, simplicitatem columbae junctam serpentum prudentiae, paupertatem ab omnibus terrenis proprioque commodo immunem.

O quot, quantasque virtutes a me expectas, Domine, et exigis! at quam parum, aut nihil earum reperis! Ego contentus honore, qui apostolicae comes est vitae, ejus labores, molestias, incommoda refugio, aliisque relinquo exantlanda. Alios humilitatem doceo, ipsemet superbus: contemptum mundi et terrenorum suadeo: et ego omnibus volo abundare: patientiam ovium inculco, ipse ferox lupus: jam laxus et mollis, jam rigidus, imo indiscretus una manu animas attraho, repello altera. Domine! aut dele in fronte mea augustum viri apostolici characterem ac nomen, aut vires concede illud implendi exercitio virtutum, quas in Evangelio tam dilucide signasti. Fidelem me fac ministrum, nec permitte, ut amplissimae dignitati aliquid labis ultra aspergam.

PUNCTUM III.

Perpende *themata et materias* praedicationis evangelicae a Christo praescriptas. *Euntes*, ait, *praedicate, dicentes: Quia appropinquavit regnum coelorum.* Apostoli exibant sine mora et *praedicabant, ut poenitentiam agerent.* Voluit ergo Christus populis praedicari 1. *necessitatem poenitentiae*, sine qua non est remissio peccatorum: quod Christus postea clare asseveravit dicens: *Nisi poenitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* (Luc. 13, 5.) 2. *Magnitudinem mercedis*, fidelibus Dei servis in coelo praeparatae. 3. *Facilitatem* immortali gloria per brevem poenitentiam potiundi, cum prope manibus illam possint contingere, *quoniam prope est regnum Dei*, praesente jam Servatore: *appropinquavit.* Nostra in potestate jam est illud divina opitulante gratia, quae liberaliter nobis offertur, adipisci: nec diuturni temporis pugna opus; etenim *momentaneum et leve tribulationis nostrae aeternum gloriae pondus operatur in nobis.* (II. Cor. 4, 17.)

En tria Christi motiva, ad persuadendam hominibus poenitentiam sane efficacia, quibus tamen me ipsum prius oportet incitari, ut alios possim movere. Scilicet aut hic salubriter poenitendum, aut ibi perpetuo ardendum. Dulcis est poenitentiae lacrima cogitanti, fontem esse jugis laetitiae. Quodsi amarae nonnihil acerbitatis habere videatur, tantillo durat tempore et nullius animi vir esset, qui tantillam aut nollet, aut non posset ferre.

O rex coeli, qui regnum tuum adeo propinquum et prope nos constituisti, ut difficile non sit illud consequi: ah! adjuva nos, ut assequamur. Si emere oportet pretio poenitentiae, perfecta cor meum contritione imple. Si *vim patitur*, et nemo, nisi *violenti rapiunt illud* (Matth. 11, 12.), coeleste mihi robur inspira me ipsum vincendi, pravas inclinationes edomandi, peccati illecebris resistendi, ut pretiosam coeli margaritam merear, nulli a te, nisi vincentibus, dandam.

Feria III.

Christus quinque panibus quinque milia hominum pascit.

(Joan. 6, 5—14; Marc. 8, 1—9.)

PUNCTUM I.

Causa hujus prodigii est caritas Christi ad misericordiam semper propensa. Perfrequens populus, miraculis et divina Christi eloquentia illectus, sequebatur eum usque in solitudinem, oblitus sui, famis ac lassitudinis. Jesus commiseratione tactus ajebat: *Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent, quod manducent: et, si dimisero eos jejunos in domum suam, deficient in via; quidam enim ex eis de longe venerunt.*

Pari misericordia motus non probat angusta Apostolorum consilia, volentium, ut turbas in vicinos dimitteret pagos, ubi facilius sibimet de victu possent prospicere. Respondit autem Jesus, alias hunc populum nutriendi suppetere vias: ipsorum esse illi de victu providere sive utendo collata potestate patrandi miracula, sive per preces suas et intercessionem impetrando miraculum ab ipsomet Christo.

Pensemus discrimen infinitum, quod datur inter commiserationem hominum et Jesu Christi erga miseros. Superi! quam angusta et limitata est illa, quam sterilis et inefficax! quam parum illi fidendum! Contra quam alia est commiseratio Christi, immensa in suis providentiis, tenera in suis motibus, efficax in mediis ad juvandum opportunis! Numquid hoc intueris, anima mea, clare hodierno in Evangelio expressum? Christus tangitur necessitate pauperis plebeculae: sibimet vivaciter proponit motiva ad succurrendum efficaciter impellentia: adhibet Apostolorum operam, velut misericordiae suae instrumentum.

Ita quotidie nobiscum agis, a Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis! magis in nostra vigilas commoda, amplius nostris calamitatibus tangeris, vehementius ad levandas necessitates nostras propendes, quam sit, aut esse possit ullus pater. *Nemo, nemo sic Pater.* (Tertull.)

Quid ergo, amabilissime Servator, quid magni facturum me credam, si sequar te, *triduo sustineam* te, aliquot diebus morer tecum, qui dignatus es nos quaerere et tot annis versari inter nos? Quid mirum, si *de longe veniamus* ad te sequendum, postquam tu e coelo descendisti, ut nobiscum versari et nobis posses assimilari? Non, Servator mi, ego quidem non amplius me separabo a te. Millies peccatum detestor, quod separavit me. Lubens poenitentiam amplector, quae reducat ad te. Ah! noli imbecillem hanc repudiare voluntatem, sed tuo eam sustenta auxilio, ne in medio viae deficiam.

PUNCTUM II.

Quaerenti magistro, quot haberent panes, *quinque ordeaceos* valde insipidos *et duos pisces* obtulerunt discipuli. Haec tota erat penus Christi et duodecim Apostolorum. Ut autem eorum distributio ordinate fieret, praecepit Jesus Apostolis, ut accumbere facerent omnes super viride foenum; et discubuerunt in partes per centenos et quinquagenos quinque milia virorum, in censum non venientibus parvulis et mulieribus. Jesus autem acceptis quinque panibus et duobus piscibus intuens in coelum gratias de more egit: benedixit panem et multiplicavit in manibus suis, ita ut quoties frangebat, major copia existeret.

Discamus ex his ordinem ac modum sancte et religiose cibum sumendi. An autem observamus? num corda oculosque ad coelum tollimus, ut agnoscamus ibi, et adoremus, qui nobis alimenta suppeditat, Patrem coelestem? Sumimusne ea cum gratiarum actione? num ante eorum sumptionem juxta sanctam majorum consuetudinem oramus, ut Dominus benedicat nobis? cogitamusne, quod ille suo sedens in throno observet, qui ejus donis utamur? Hae profecto, et ejusmodi considerationes nostram refraenarent sensualitatem, gulam reprimerent, conservarent decorum, ex actione terrena et animali facerent spiritualem sanctamque. Hunc in sensum teste Apostolo *omnis creatura Dei bona est, et nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur; sanctificatur enim per verbum Dei et orationem.* (I. Tim. 4, 4. 5.)

Millenas tibi debeo agoque grates, divine magister, pro salutaribus hisce doctrinis. Omnes tuae actiones sunt regula mearum. Illas si assidue prae oculis haberem, ego facile spiritualem vitam addiscerem, simulque, dum corpus reficio, spiritualem animae refectionem praeberem. Da mihi, Domine, interiorem hunc spiritum, quem ut nobis afferres, de coelo descendisti. Fac me hominem perfecte spiritualem: largire mihi majorem verbi divini, quod verum est manna, appetentiam et orexin, quam crassiorum Aegypti ciborum, quos hactenus immodice appetii.

PUNCTUM III.

Panes in manibus Christi, Apostolorum et populi prodigiose multiplicabantur, donec omnes fuerint saturati, adulti aeque ac parvuli, invento in illis panibus prodigioso sapore, quem Israelitae in manna olim deprehenderant. Post communem omnium saturitatem Apostoli, ut Christus praeceperat, collegerunt reliquias: et tantum invenere, ut duodecim corbes impleverint.

In isto Christi miraculo admiremur stupendam Patris divini providentiam, servos suos et tanta liberalitate et modo tam prodigioso nutrientis. Si media ordinaria incipiant deficere, non est, quod timeamus in necessitatibus nostris, modo fideliter Dei promissis credamus et debitam illi fiduciam non amittamus; aut quid, obsecro, majore nos solatio possit replere, quam quod Christus in Apostolis promisit nobis? *Nolite solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? haec enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Quaerite ergo primum regnum Dei et justitiam ejus: et haec omnia adjicientur vobis.* (Matth. 6, 31—33.)

O rex coeli! quis non felicem se aestimet, si tibi possit servire? tibi, qui ipso *in deserto* nosti *parare mensam* populo tuo? (Psal. 77, 19.) Ubicunque tuam aperis manum, esto in *solitudine terribili* et omni hominum auxilio destituta, tuam servis tuis demonstras munificentiam: *educis* aquae *rivos de petra durissima* (Deut. 8, 15.), *et mel de petra* (Ibid. 32, 13.): *pluis*

super eos sicut pulverem carnes, et sicut arenam maris volatilia pennata, et manna ad manducandum. (Psal. 77, 24. 27.) O Pater, aeque amabilis ac potens! grates tibi ago amplissimas pro adoranda hac providentia, cujus tam luculenta praebes argumenta tibi servientibus et sperantibus in te. Da, ut ego quoque tanta tibi fidelitate et fiducia serviam, quanta verum decet filium, quo paterna se cura et sollicitudine tua reddat dignum.

Feria IV.

Christus sedat tempestatem maris.

(Vide supra pag. 66.)

Feria V.

Jesus ambulat super mare.

(Matth. 14, 22. sq.)

PUNCTUM I.

Compulit Jesus discipulos ascendere in naviculam et pracedere eum trans fretum: ipse autem *dimissa turba ascendit in montem solus orare.* Circa quartam autem vigiliam noctis *navicula in medio mari jactabatur fluctibus; erat enim contrarius ventus.*

Tria hic bene ponderanda. 1. Singularis in Christo *amor orationis*, et studium eam peragendi mente tranquilla, in loco a turba remoto, in noctis silentio, dimissis cum turba discipulis. Item *perseverantia* Christi in oratione per noctem integram producta. Sine hoc orationis amore nemo spiritualis evasit: nemo amabit illam, nisi amet solitudinem et animi collectionem.

Obsecro, Domine, *ut fiat in me duplex* (orationis et solitudinis) *spiritus tuus* (IV. Reg. 2, 9.), quem tanta bonitate me doces. Da simul robur vincendi inimicos toties orationem meam perturbantes: et quoniam tu fervore tanto pro aliis orasti, gratiam mihi largire saltem pro mea salute ferventer orandi 2. *Dolor Apostolorum*, aegerrime a magistri latere

avulsorum: *coegit eos*, ait S. Marcus, *ascendere navem*. Maluerant utique apud Christum manere: vicit tamen obedientia naturalem eorum propensionem. Ita nempe meam voluntati divinae oportet postponere in iis etiam, quae videntur ad perfectionem status mei facere; Deum enim relinquens propter Deum nil perdit, lucratur plurimum. 3. *Mysterium tempestatis*, quae Apostolos Domino absente occupavit, uti alia eos obruerat praesente ac dormiente: utraque ad fidem Apostolorum magis magisque probandam.

Non, mi Domine, utique non intendis nos deserere, licet videaris te nobis subtrahere cum sensibili devotione. Amica est probatio nostrae fidelitatis: neque cessas invisibili manu tua nos protegere in periculis, in quae nos prolabi permittis, sed potius nos doces, animos et spem per gratiam tuam evadendi nunquam abjicere.

PUNCTUM II.

Jesus, licet in monte et noctu procul Apostolis fuerit, vidit tamen laborantes in remigando contra vehementiam venti et commiseratione motus *venit ad eos ambulans super mare*. Adeo tenere amabat illos, suosque hodiedum amat afflictos servos. Sine mora igitur laborantibus succurrit ambulans super aquas. Illi autem *videntes turbati sunt, dicentes: Quia phantasma est:* et, quibus furor tempestatis nec vocem expresserat, *prae timore clamabant*, solo *phantasmatis*, ut ajunt, conspectu perterrefacti.

En incredibilem hominis imbecillitatem ac miseriam! magnos non raro difficultatum montes generose superamus: mox terremur colliculis aut umbris. Constans haec inconstantia affatim nobis demonstrat, o Deus, quid simus, quid possimus nostris viribus: demonstrat, quod tota virtus et fortitudo in ejusmodi occasionibus tua sit, nostra vero imbecillitas. O quam periculosis obnoxia illusionibus est vita et via spiritualis, nisi praelucens veritatis aeternae lumen eam ingredientibus facem praeferat! Quidam imaginationis suae phantasmata, chimaeras et somnia pro veris habent revelationibus, passiones pro

virtutibus, irae impetum pro zelo. *Saepe putatur* ab iis *esse caritas* et amor spiritualis: *et est carnalitas.* Alii contra habent Christum pro phantasmate, veras visiones pro phantasia et delirio, virtutem pro passione, divinas inspirationes pro impulsu proprii spiritus. Utrumque hoc extremum aequaliter timeas necesse est ac devites; neque enim minus perniciosum est, pro Christo habere phantasma, et Christum pro phantasmate.

Ut mediam, adeoque securam ineas viam, anima mea, consilium sequere Apostoli: *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint.* (I. Joan. 4, 1.) Praeterea pete humillime donum, quod S. Paulus vocat *discretionem spirituum:* et eris extra teli jactum et discrimen, ne decipiaris a *satana se transfigurante in angelum lucis*, neve rejicias angelum lucis, ceu esset spiritus tenebrarum.

Tu solus potes, *spirituum ponderator* Deus, fatales hasce illusiones a nobis avertere, tuam nobis, ut Apostolis, in perturbatione praesentiam indulgendo per haec verba: *Habete fiduciam: ego sum; nolite timere.* Vel sola vox tua animam terroribus perculsam tranquillitati potest restituere et reddere securam, quod tu vere in ea operéris. Loquere igitur nobis, Domine, at voce adeo clara, ut nullum in intellectu dubium, nullam in voluntate nostra relinquat imbecillitatem, sed ut talem te agnoscentes, qualis es, solummodo cogitemus omnem tibi amorem, obsequia, spem consecrare.

PUNCTUM III.

Percepta Christi voce *respondens Petrus dixit: Domine, si tu es, jube me ad te venire super aquas. At ipse ait: Veni. Et descendens Petrus de navicula ambulabat super aquam, ut veniret ad Jesum. Videns vero ventum validum, timuit, et cum coepisset mergi, clamavit dicens: Domine! salvum me fac. Et continuo Jesus extendens manum, apprehendit eum, et ait illi: Modicae fidei! quare dubitasti?*

Anima mea! perpende hic in amore discipuli erga magistrum quinque proprietates fervidae caritatis, simul-

que admirabilem divini magistri sapientiam et modum agendi cum discipulo. Prima proprietas est cognitio clara et ingens aestimatio Dei-Hominis, ejusque infinitarum, quae in hac voce *ego sum* latent, perfectionum. Petrus divino illustratus lumine illas tam clare cognovit, ut exclamaverit: *Si tu es:* h. e. *quandoquidem tu es, Domine*, en promptum me ad tibi obtemperandum. Secunda est animae ingenerare ardens desiderium rem arduam pro Dei obsequio aggrediendi, ut suum testetur amorem; hinc amans Apostolus ajebat: *Domine, si tu es, jube.* Tertia est animam incitare ad intimam cum Deo unionem, cui assidue cum Petro dicit: *Jube*, o dilecte mi, *jube me venire ad te*, etsi opus foret super aquas ambulare. Quarta est amanti robur et animos sufficere ad quaevis, etiam naturae viribus majora, generose audenda, non quidem propriis viribus, sed Dei virtute sua metiendo desideria; caritas enim, licet sit fervens, non tamen est praeceps et temeraria, sed (atque haec est quinta proprietas) prudens ac discreta est, non ulterius, quam possit, caeco se modo projiciens, nisi adsit Dei licentia, mandatum, aut inspiratio. Sic Petrus in medio caritatis aestu ardenter desiderans ad Jesum venire super aquas, non prius se conjecit in mare, quam Christus jusserit: *Veni.*

O mi Jesu! quando autem me pariter tuo ita succendes amore? quandonam suscitabis in me hunc prudentem aeque ac ardentem ignem, quem simul et tua regis sapientia et bonitate accendis?

Porro admirare, anima mea, divinam plane coelestis magistri rationem agendi cum discipulo. Non reprehendit, quod alias fecerat, nimium Petri fervorem et vivacitatem, quippe conjunctam hodie submissioni, obedientiae, humilitati et diffidentiae sui ipsius: quae certa sunt signa et comites sancti fervoris. Nihilominus ad impediendam animi superbiam ac praesumptionem Petrum Christus aliquo timore turbari permisit; at statim *extendens manum, eumque apprehendens*, manifeste ei ostendit, quod ex se et viribus suis prorsus nihil possit, prodigiosa autem ejus ambulatio super aquas soli harum Domino et conditori sit adscribenda.

Stultorum enimvero stultissimus forem, Domine, si meam centies expertus imbecillitatem, adhuc de me arrogantius sentirem. Millies aquis tribulationum haustus interiissem, nisi tua me tenuisset manus. Ita est: dum proxime ab interitu aberam, tu incolumem servasti. Tuam clare sensi opem. Tu me tua rexisti manu, ut tuto potuerim aquis inambulare, fluctus tentationum perrumpere, portum tranquillitatis subire. Grates propterea et laudes tibi immortales! Perge tua me gratia sustentare: et intrepide *super aspidem et basiliscum ambulabo et conculcabo leonem et draconem.* (Psal. 90, 13.)

Feria VI.

S. Petrus palam profitetur divinitatem Jesu Christi.

(Matth. 16, 13. sq.)

PUNCTUM I.

Jesus interrogabat discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse Filium hominis? at illi dixerunt: Alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex prophetis.

Considera ex una parte humilitatem ac misericordiam Jesu Christi, qui nuncupando se *Filium hominis* sensim ducit Apostolos in cognitionem, se esse *Filium Dei*, ex qua cognitione salus nostra dependet, ut ipsemet alibi asseruit: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et, quem misisti, Jesum Christum.* (Joan. 17, 3.) Ex altera parte deplora ignorantiam et caecitatem majoris hominum partis tunc degentium. Plebs nihil sciebat de Christo, nisi quod oculis usurpabat. Summa, quam de ipso fovebant, idea erat, quod sit *Joannes Baptista, aut unus ex prophetis*, homo prodigiosus: de ejus divinitate nemo cogitabat.

Et quot in orbe hodiedum non agnoscunt illum, anima mea! Quot impii eum, ac si Deus non esset, tractant insolentissime, calcando ejus misericordiam, ridendo justitiam! Quot etiam personae spirituales et

religiosae (nomine tenus) cognitionem de Christo et ejus spiritu sibi fingunt nimis limitatam, prorsus angustam, infinitae ejus majestati et perfectionibus minime convenientem! Certe aliqui eum apprehendunt ut Joannem Baptistam, aut Eliam, atque sic volunt spiritum Christi duntaxat esse spiritum asperitatis, poenitentiae, horroris. Alii Christo solummodo affingunt spiritum Jeremiae, miseris compatientem et populi aerumnas deflentem. Denique sunt, qui ex Christo sibi formant prophetam suo ipsorum genio ac phantasiae accommodatum et Christi spiritum metiuntur decempeda particularis spiritus sui, gratiam Christi contrahendo ac limitando ad solam sanctitatis, quam ipsi profitentur, viam ac methodum.

O quam praepostere hi omnes de te sentiunt, o Jesu! quam misere hallucinantur, qui tam falsas imbibunt sparguntque ideas de spiritu tuo, qui est *unicus:* at simul *multiplex*, quia mille docet vias ac modos Deo serviendi, omnes autem in uno eodemque caritatis spiritu fundatos, et ad unum finem, qui Dei gloria est, directos. O sapientia aeterna, fons et principium omnis spiritus, quo tot sancti in variis statibus diversimode animantur! Illum, quaeso, mihi spiritum largire, quo magis tibi placeam: illum vero cuilibet justorum, qui ipsis ad te glorificandum magis expedit. Vindica intellectum meum ab omni errore, ut talem agnoscat te, qualis revera es, ne unquam vano imaginationis meae idolo honorem exhibeam, qui tibi debetur soli.

PUNCTUM II.

Dicit illis Jesus: Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus, Filius Dei vivi.

Christus cum audisset, quid homines sentirent de ipso, voluit etiam cognoscere, quid ipsi sentirent discipuli, in ejus schola eruditi et testes tot miraculorum ejus.

Tot hominum milia, quos Christus de communi hominum turba extractos singulari gratia ad sui sequelam pertraxit, ut ad sublimem sanctitatis gradum eveherentur, possunt et debent frequenter cogitare, se quoque cum

Apostolis interrogari a Christo: *Vos autem quem me esse dicitis?* Et vero quid tu respondes, anima mea? quem tu dicis esse Christum? quam de illo foves ideam? quid sentis de ejus bonitate, sapientia, humilitate, obedientia, mortificatione, deque tot aliis virtutibus, quas exercuit, ut earum tibi amorem, studium ac aestimationem ingeneraret? Nostine, quod Christus sit *Filius Dei vivi*, qui suo tibi exemplo tot sanctas dedit doctrinas?

Petrus Christi divinitatem confessus est: non expectato aliorum Apostolorum responso, solus nomine omnium respondit. Totus prae reliquis amore magistri sui flagrans profitetur, non solummodo adoptivum, sed naturalem esse Filium Dei, qui eum ab aeterno genuit Deum sibi aequalem: qui est verus Messias Israelitis promissus, *desideratus cunctis gentibus*, *sanctus sanctorum*, *unctus Domini.* Haec omnia Petrus coelesti lumine illustratus cognovit et gloriosa confessione sua complexus est.

Idem ego quoque sentio, ac palam coelo et terra profiteor, o Jesu: *Tu es Filius Dei vivi.* Imprime haec verba cordi meo, ut, quod ore profiteor, manifestem opere. Immensum de infinitis gaudeo perfectionibus tuis: eas adoro et confiteor, toto cordis affectu desiderans, ut eas per totum terrarum orbem promulgare possem.

PUNCTUM III.

Respondens Jesus dixit ei: Beatus es Simon Bar Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est.

Perpende, quae confessionem Petri exceperunt; scilicet approbatio Christi, elogia Petro adornata, praerogativae et praemia confessionis splendidissima. 1. *Beatum* Christus appellat, quia a Patre fuit electus, ut illustre de Filii divinitate testimonium proferret: *Beatum*, quia tam gloriosae electioni fideliter respondit. 2. Appellando *Simonem*, quod *obedientem*, *Bar Jona* seu *filium Joannis*, quod *gratiam* significat, Petrum edocuit, gratuitum Patris aeterni donum esse et singularem prorsus bonitatis divinae gratiam, quod ipse prae caeteris tam sublimem de Christi divinitate notitiam acceperit, infinite superiorem

omni carnis et sanguinis cognitione: item ejus *beatitudinem* consistere in *obedientia* modo praestita inspirationi Spiritus Sancti, qui ipso uti dignatus est tanquam instrumento ad manifestationem mysterii adeo augusti et eo usque hominibus tam parum cogniti. 3. Subinde nomen *Simonis* mutavit in nomen *Petri*, significans, se in praemium factae confessionis illi jam communicare firmitatem *petrae* et super immobilem hanc petram aedificare Ecclesiam suam, cujus ipse erit caput et columen: se tradere jam ipsi *claves* seu potestatem aperiendi portas coelorum claudendique.

Obstupesce, anima mea, infinitam coelestis magistri erga discipulum liberalitatem et summum in terris gloriae gradum, quo evexit Petrum, quia suo ipsum glorificavit testimonio. Gaude pariter de honoribus S. Petro collatis: gratulare hos illi et satage ejus fidem ac zelum imitari pro gloria Jesu Christi, obsequia sibi praestita nunquam non liberaliter remuneraturi.

Gaude igitur, o gloriosissime Christi Apostole, de singularibus gaude gratiis, quibus te ante alios omnes Filius Dei cumulavit. Esto felici auspicio post divinum magistrum fundamentalis petra Ecclesiae, terror daemonum, cláviger coeli, hominum laetitia et angelorum. Sed et mihi ab illo, qui super te suam fundavit Ecclesiam, gratiam impetra, eidem fidelem me filium in omni vita exhibendi. In morte autem clavibus tibi concreditis utere: portas, inquam, claude inferni: aperi mihi portas coeli, ut tecum valeam aeternum glorificare coelestem Patrem et unigenitum ejus Filium Jesum Christum.

Sabbato.

Repetatur una praecedentium meditationum.

NB. Si Epiphaniam inter et Septuagesimam pauciores quam sex hebdomadae fuerint, assignatas hic, quippe superfluas, meditationes omitte: attamen ante Dominicam XXIV. post Pentecosten eas resume juxta anni illius Evangelia Dominicarum: ut jam indicavi supra pag. 51.

Dominica Septuagesimae.

De operariis in vineam missis.

(Matth. 20, 1. sq.)

PUNCTUM I.

Simile est regnum coelorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. Exiit ob eandem causam diversis ejus diei horis, et quosdam inveniens otiosos ante solis occasum increpavit eos et misit in vineam suam.

Paterfamilias est *ipse Deus*, qui eadem facilitate totum hoc gubernat universum, ac tenuem familiam. Vinea est *Ecclesia*, cui excolendae Deus operarios mittit, praesertim evangelicos. Porro singulis hominum excolenda obvenit pars hujus vineae, sua videlicet unicuique anima, de qua oportet singulari studio et mortificationis falce superfluos aut noxios stolones resecare, ut copiosos ferat fructus et paterfamilias coelestis excellentes inveniat uvas: hoc est opera perfecta, divinisque ejus oculis placentia.

Egone autem serio, et quamdiu allaboravi spiritualem hanc vineam excolere in meae sanctitatem et perfectionem animae incumbendo? Sane nulla in Patre coelesti residet culpa, si minus a primo rationis usu huic me culturae applicaverim. Exiit ille *summo mane*, ut me vocaret et conduceret. Diversis vitae meae temporibus invitavit me nunc aeternam promittendo mercedem, nunc meam increpando desidiam.

Utique nihil, Domine, nihil reliquisti intentatum, ut me mature ad tuum traheres servitium. Si tuis fideliter obtemperassem inspirationibus, tot annos inutiliter non consumpsissem, tam sero te non amassem. Ah! quantum doleo tamdiu surdas praebuisse aures internis, quibus toties me ad perfectum tui amorem vocasti,

inspirationibus! At quantum jam desidero perditum reparare tempus! O si daretur mihi indefessis annumerari operariis, qui in ultimis terrae angulis animas quaerunt et apostolico pleni zelo desudant, ut quam plurimos fideles sanctificent, haereticos in gremium Ecclesiae reducant, idololatras convertant, tuam amplificent gloriam et imperium!

PUNCTUM II.

Cum sero factum esset, dicit Dominus vineae procuratori suo: Voca operarios et redde illis mercedem. Et receperunt singuli denarium, novissimi aeque, ac primi.

Considera 1. quod Pater coelestis Christum Dominum constituerit, qui et nos judicet et operariis mercedem reddat sub vesperum h. e. sub finem vitae, quae vocari potest *dies*, *quoniam* respectu aeternitatis *mille anni ante oculos Dei tamquam dies hesterna.* (Psal. 89, 4.) 2. Quod omnibus et singulis merces fuerit reddita, nec hora laboris utut brevis absque mercede abeat. Illud autem mirandum, quod novissimi, qui *una* solum *hora* laborarunt, tantundem mercedis fuerint promeriti, quantum alii, qui *portarunt pondus* totius *diei et aestus;* ut discamus, a Deo magis considerari fervorem laborantis, quam diuturnitatem laboris.

Eheu! quantum ergo senectute decipimur, si in homine christiano annos, quos vivit in Ecclesia, si annos in religioso, quos in claustro exegit, computamus! quantum decipimur! Quod alios sanctitate superemus in mundo, gloria superaturi in coelo, non longiori servitio Dei adscribendum, sed virtutibus, quas christiani aut religiosi majore humilitatis et caritatis fervore exercuimus.

O mi Deus! si in coelites tuos dolor caderet, ah! quantum dolerent, vel unicum vitae diem tepide et negligenter transegisse! Num consolari se possent intuentes immensae gradum gloriae, quam fuissent consecuturi, si eodem ardore atque constantia Deo servissent? Illis jam tempus non est amplius jacturam resarciendi: at mihi adhuc spatium suppetit illam aut reparandi, aut praevertendi, si nimirum tuis fideliter ac ferventer utar

gratiis, quas mihi quotidie largiris. Id ut faciam, o Deus, meam sustenta imbecillitatem, adauge fortitudinem, inflamma amorem et, si forte pauci vitae dies mihi sunt reliqui, fac, ut saltem istos tuo penitus consecrem amori, teque amem ex toto corde, ex tota mente, ex totis viribus.

PUNCTUM III.

Primi in vinea operarii, ista mercedis aequalitate offensi, *murmurabant adversus patremfamilias. At ille respondens uni eorum dixit: Amice, non facio tibi injuriam: nonne ex denario convenisti mecum? Tolle, quod tuum est et vade. Volo autem et huic novissimo dare, sicut et tibi. Aut non licet mihi, quod volo facere? Sic erunt novissimi primi et primi novissimi; multi enim sunt vocati, pauci vero electi.*

Grande mysterium Christus nobis manifestat sub finem parabolae. Docet nos non scrutari arcanum praedestinationis sanctorum, nec investigare, cur uni plus, minus alteri dividat gratiarum: dari universales, quas nemini denegat: dari particulares gratias, quibus non nisi paucos donat, sine ullius injuria: quod mercedis est, a se dari promerentibus: quod gratiae, cui voluerit. Si pauci dentur perfecti, non inde oriri, quod plures non vocet ad perfectionem, sed quod pauci tam excelsae respondeant vocationi: tepidos et imperfectos esse multo plures: electam autem ferventium animarum turbam, quae felicem sanctitatis terminum attingant, esse exiguam.

Primi in domo patrisfamilias coelestis sunt personae Deo sacrae et vi status sui divino consecratae cultui. *Novissimi* sunt personae saeculares, non ita stricte ad sectandam perfectionem obligatae. Nihilominus quoties contingit, primos, quia erant Deo perfidi, tepidi, sui ipsorum amantes, fuisse superatos, aut superari sanctitate a novissimis, qui in mundo, ceu extra mundum essent, vivunt in continua animi collectione, corporis mortificatione, puritate cordis, exercitio sublimissimae perfectionis! *Quanta autem confusio sacerdotum et omnium clericorum* (maxime religiosorum), *quando* in die judicii *laici invenientur fideliores et justiores*, in soliis gloriae

sublimioris, dum interea illi vix merebuntur illuc admitti. (S. Chrys.)

Heu me! tepida et imperfecta, quam tot annis vivo, vita mihi est causa timendi, ne in ultimam imperfectorum turbam me rejicias, Domine. In neminem autem, nisi in me solum, culpam possum conjicere. Omnia ad sanctitatem me invitant, animant, trahunt omnia; vocatio, qua me beasti: occulti, quibus me continuo fodicas, conscientiae stimuli: exempla, quae mihi ante oculos ponis, aliaque innumera, quae nunquam non sentio, ad purum tui amorem illicia. Gloria tua, utilitas mea, omnia mihi sanctitatem suadent: omnia ad sanctitatem impellunt trahuntque omnia. Pertrahe tandem cor meum ad illam adeo efficaciter, ut porro trahenti non possit resistere.

Feria II.

De praecipuis passionis dominicae circumstantiis.

PUNCTUM I.

Considera, *quis* patiatur: *quid* et *pro quibus* patiatur. 1. Patitur agnus sine macula, *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus* (I. Pet. 2, 22.): Sanctus sanctorum, aeternum Patris Verbum, ipso inimicorum testimonio *vere Filius Dei*, factus pro nobis homo, *in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei absconditi* (Coloss. 2, 3.): Deus-Homo, qui totum se bono totius mundi impendit et *pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo.* (Act. 10, 38.) Hic ipsissimus est, qui amoris loco et honoris, quem meruerat amplissimum, nil retulit ab hominibus, nisi injurias, opprobria, vulnera, et quidquid odium plus quam Vatinianum, aut stygia poterat suggerere rabies.

Num autem, nisi fide magistra, crederemus, quod hic Sanctus sanctorum, amantissimus hic benefactor adeo enormia pati voluerit pro salute inimicorum? quod suum dederit sanguinem etiam pro iis, qui fuderunt eum?

Passus est pro omnibus universim et pro singulis speciatim. Omnium nomina gerebat impressa memoriae,

insculpta cordi, inscripta corpori vulneribus operto. Singillatim eorum noverat peccata, miserias, necessitates et salus abjectissimi omnium tam cara ei erat pretiosaque, ut illi tanto se immolarit affectu, ceu nemo alius fuisset redimendus. Hinc cum omni veritate et toto gratitudinis sensu mihi fas est exclamare cum Apostolo: *Dilexit me et tradidit semetipsum pro me* in mortem. (Galat. 2, 20.)

O anima mea, si locum videres, quem in corde Jesu possidebas, quando tam horrenda pro te sustinebat tormenta, possetne cor tuum prae summo animi dolore, prae tenerrimo commiserationis affectu, prae nimia lacrimarum vi non disrumpi, quod Deum adeo bonum et toties et tam graviter offenderis?

O mi Jesu, vere Deus et homo, qui infinities mereris, ut coelum et terra te supplici poplite adorent: cur permisisti, ut modis adeo indignis te vilissima tractent mancipia? Itane vero dolores et opprobria ei conveniant, cui debetur omnis honor et gloria, omnia angelorum hominumque obsequia? O quam merito peccata detestamur, unicam passionis tuae, ac mortis causam! Quam merito in tui amorem exardescimus, eo quod subieris mortem, ut ingratis peccatoribus afferres salutem! *At quam gravia simul fuerint*, oportet, animae meae *vulnera*, *pro quibus necesse erat Dominum meum vulnerari!* (S. Bern. Serm. 3. de Nativ. Christi) O Servator mi! laudetur propterea in aeternum misericordia et caritas tua!

PUNCTUM II.

Quo affectu passus est? Affectu scilicet amoris tenerrimo, non vi aut necessitate coactus, sed passus est, in mortem *oblatus est, quia ipse voluit.* (Isa. 53, 7.) Ad ista permovit eum sitis ardens et exaestuans desiderium nostram procurandi salutem, nosque cum divino Patre reconciliandi. En certa hujus desiderii atque affectus argumenta! Continuo de sua passione loquebatur: eam impedire volentibus, uti Petro, indignabatur: ejus moram ac dilationem aegre ferebat: torquebatur expectatione temporis: *Baptismo*, ait, *habeo baptizari: et quomodo coarctor, usquedum perficiatur?* (Luc. 12, 50.)

An autem aliquando penetrasti hoc amoris portentum, anima mea? Non aquae, sed sanguinis baptismum desiderabat Redemptor tuus: Sanguinis et sui sanguinis, quem crudelissimi carnifices vi tormentorum ex ejus venis debebant elicere. Totum praeterea voluit effundere, quia ardentissimus amor ipsius, velut *ignis nunquam dicebat: Sufficit* (Prov. 30, 16.), donec ultimam fuderit guttulam. Nimirum *quod potuit gutta, hoc voluit unda.* (S. Bern.)

O si daretur mihi, amabilissime Jesu, cor tuum ingredi et *comprehendere, quae sit latitudo et longitudo et sublimitas, et profundum* infinitae caritatis tuae! (Ephes. 3, 18.) Possemne intueri immensam amoris tui fornacem, quin pari axardescerem igne ac desiderio omne poenarum et tormentorum genus sustinendi pro Deo, qui omnia pro me pati dignatus est? Grates tibi, o Jesu, propterea dico immortales, dicturus, si possem, infinitas. At quaeso, Domine, noli contentus esse sterili gratiarum actione, sed dona mihi cor amore tui inflammatum, cor beneficiorum memor, cor vices tuas et mortem dolens, cor desiderio flagrans similia pro te patiendi.

PUNCTUM III.

Christus, qui in mundum venerat, ut nobis esset magister et omnium exemplar virtutum, vere heroicas in sua passione exercuit, earumque exemplar, ac velut epilogum omnibus ad perfectionis fastigium aspirantibus reliquit.

Inspice ergo, anima mea, *et fac secundum exemplar, quod tibi in monte* (Calvariae) *monstratum est.* (Exod. 25, 40.) Vide et contemplare Deum in cruce morientem, omnibus spoliatum, ab omnibus derelictum, contemptum, irrisum, blasphematum, flagellis concisum, vulneribus opertum, opprobriis saturatum. Vide, inquam, haec omnia cum morte sustinentem, quin vel verbulo queratur aut de rigore Patris, cui obediebat, aut de ingratitudine hominum, pro quibus moriebatur, aut de rabie inimicorum qui ipsum interficiebant. Quin moritur *inclinato capite*, ut suam demonstraret reverentiam erga Patrem, nec non erga mortis sententiam in aeterno Patris consilio

contra se latam. Singulas praeterea sanguinis guttas Patri offert pro peccatoribus: inimicos excusat: orat pro omnibus: *Pater, dimitte illis.* O quanta hic elucescunt exempla submissionis, obedientiae, resignationis, patientiae, humilitatis, et summae erga proximum caritatis!

Supreme omnis sanctitatis magister Jesu Christe! quam beatus fuisset, qui te virtutes omnigenas in monte discipulos docentem audisset, subin vero in monte Calvariae modo quam perfectissimo exercentem vidisset! Utroque in monte unum eundemque tibi finem praefixeras. In uno praedicabas docens: in altero docebas agens et patiens. At utrobique eadem tradis documenta de submissione, paupertate, sui ipsius abnegatione, de amore crucis, tribulationum, humiliationum. Confer mihi gratiam, Domine, has doctrinas rite capiendi, atque etiam deducendi in praxin, ut tibi, absolutissimo exemplari meo, conformis hic fiam in patientia, ibi vero in gloria.

Feria III.

Christus passionem suam praedicit Apostolis.

(Luc. 18, 31—34.)

PUNCTUM I.

Sciens Jesus passionis suae tempus appropinquare, de civitate Ephraim cum discipulis ascendit Jerosolymam et gigantaeis passibus *praecedebat illos: et stupebant et sequentes timebant.* (Marc. 10, 32.)

Tribulationibus obviam ire, cursu ad illas tendere, imo alios praecurrere evidens signum est et character hominis heroici et per eminentiam in Christo enituit, qui per tam ardens patiendi desiderium voluit 1. nobis demonstrare summum, quo aestuabat, zelum patiendi pro nobis: 2. nos animare ad vincendum naturalem patiendi horrorem: 3. viam crucis sternendo nos ad sui sequelam obligare. Et vero istud magistri exemplum in corda discipulorum tantum potuit, ut eum, reclamante frustra omni metu ac stupore, sint secuti.

Pari animo ac generositate oportet esse viros apostolicos, qui Jesu Christi charactere sunt insigniti, ejus

spiritu animati, amore inflammati. Debent, inquam, se repugnantem supra naturam erigere, omnia perrumpere obstacula, quando gloria Dei, et salus animarum agitur. Debent omnibus fieri exemplar christianae mortificationis et amica exemplorum vi tepidos ad virtutem et fervorem pertrahere.

Mihine, si honorifico Apostoli munere fungor, tantum est animi ac fortitudinis, ut illius dignitatem audeam sustentare, obligationes implere? Sumne paratus Numinis gloriae mea consecrare commoda, vitam et sanguinem saluti fratrum? Quantum amo cruces, adversa, tribulationes, opprobria?

Ah! tantum enimvero animi ac roboris haud reperio in me, sed a te expecto, Domine, imo afflictim peto, utpote dona ad implendas muneris mei rationes extreme necessaria. Quid prodesset mihi e numero tuorum esse discipulorum, si gratiam negares te sequendi exemplo eorum? Ardens igitur te in tribulationibus sequendi desiderium mihi largire, et vel scintillam immensi amoris, qui alas tibi ad crucem sponte currenti addidit, mihi concede, ut meum triumphans teporem et tuum imitans fervorem me offeram generose ad agendum pro te ac patiendum, quidquid demum volueris.

PUNCTUM II.

Christus in via Apostolis declarat passionem suam: *Filius hominis*, ait, *tradetur gentibus et illudetur et flagellabitur et conspuetur et occident eum.*

Uti Christus passionem suam continuo praesentem in memoria et prae oculis habuit, ejusque amaritudinem assidue gustavit, ita frequens de illa sermo ei erat cum discipulis, ut eos ad crucis amorem incitaret erudiretque, discipulos magistri ad crucis mortem properantis non posse gloriam resurrectionis sperare, nisi eam ut ipse mereantur opprobriis ac tribulationibus.

Satisne persuasa est nobis haec tanti momenti veritas, quod nulla ad coelum sit via, nisi via crucis? O amabilis, o pretiosa crux! o si nobis, ut Christo Jesu, cordi esset, ne illa nobis fieret omnium meta desideriorum, scopus colloquiorum, materia meditationum!

O mi Jesu, nunquam non memor amarae passionis, quam pro me decreveras subire! Quam ingratus forem, si eam ego oblivisceror! imo *si oblitus fuero, oblivioni detur dextera mea.* (Psal. 136, 5.) Nunquam, nunquam obliviscar, sed de omnibus passionis tuae instrumentis concinnabo *fasciculum mirrhae*, qui semper in sinu meo *commorabitur*. Nunquam non eam meditabor, ut cor meum in teneros amoris et compassionis affectus emolliat. Ah! inspira mihi animos et vires, ut te sequar Jerosolymam usque ad crucem amplectendam. Tua roboratus gratia nec injurias, nec tormenta, nec mortem reformidabo; si enim gratiam mihi concedas moriendi pro te, gratiam quoque concedes resurgendi tecum in vitam aeternum beatam.

PUNCTUM III.

Et Apostoli nihil eorum, quae praedixerat eis Jesus de passione sua, *intellexerunt*. Nimirum adhuc imperfectos excaecavit ingens horror humiliationum, vilis de passione Christi opinio et amor honoris mundani immodicus.

Eheu! quam abundat mundus imperfectis ejusmodi et nimium terrenis hominibus, qui satis acri sunt acie ad rimanda naturae secreta, ad expedienda oppido implicata saeculi negotia, lusci autem vel caeci in comprehendenda passione, abjecta et humili vita Christi! Imo quot reperire est personas etiam spirituales, nullum habentes gustum, aestimationem nullam de innumeris, quae in passione, opprobriis et humiliationibus Christi latent, bonis, fructibus, excellentiis!

Nimirum singulare et ingens gratiae tuae donum est, o Jesu, inaestimabile crucis tuae mysterium perscrutari et ejus degustare fructus. Tantum favorem non nisi paucis, tibique carissimis praestas, quos coelesti reples sapientia, ut opprobria passionis tuae digne sciant aestimare. Ah! mihi quoque coelestis hujus luminis aliquid largire, ut discam inaestimabile pretium opprobriorum ac molestiarum, quae tui amore tolerantur: da, ut justo illas pretio aestimans impleam Apostoli monitum: *Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu.* (Philip. 2, 5.)

Feria IV.

Christus flet super Jerusalem.

(Luc. 19, 41—45.)

PUNCTUM I.

Jesus videns civitatem Jerusalem, *flevit super illam.*

Superi! quid hoc? Jesus inter publicos, queis a Jerusalem die palmarum excipitur, applausus et honores, subito tactus dolore, *flet* amare *super illam.* Cur autem flet in die triumphi et gloriae suae? Debet sane mundi gloriae parum, aut nihil illecebrarum inesse, quae Christum poterant afficere: plurimum autem doloris et malorum, quae vehementius eum commoverunt, quam applausus. Num forsan imaginatio viva imminentis jamjam passionis eum adeo affligit? Imo causa laetitiae illi est in montem Calvariae, in mortem pro nobis ire. Non flet super semetipsum, sed *super Jerusalem:* non dolet pati pro urbe sibi tam cara, sed dolet solum, quod ingratissima passionem suam reddat inutilem.

Et vero calamitas, quae cor Jesu tristitia, oculos lacrimis in medio laetitiae inundat, summa debet esse calamitas. O anima mea! an non times, ne tu sis ingrata et perduellis illa Jerusalem, cujus exitio illacrimatur Jesus? non minoribus, ac Jerusalem, gratiis a Deo cumulata, nonne causam habes metuendi, ne Solymaeae obstinationis atque ingratitudinis particeps sis? Certe mundus scatet induratis ejusmodi cordibus in medio gratiarum, quas Deus in illas profundit. Innumeri etiamnum dantur in Ecclesia, dantur in religiosis ordinibus, gratiis Dei necdum emolliti. Horumne obstinationem deploramus?

Ad hoc, mi Jesu, opus foret scintilla ardentissimae caritatis, qua cor tuum erat inflammatum: opus foret tecum nosse pretium animarum et sanguinis pretiosissimi, quo eas redemisti: opus foret et illas et te serio amare, ut flerem super peccatores et super enormia eorum crimina. Ah! saltem cor mihi largire, quod propriis indoleat calamitatibus meis: rivos da lacrimarum, ut saltem mea deplorem peccata. Imo jam sentio tuae impulsum gratiae: ex toto corde doleo, quod te offenderim, o Deus, tuarumque fuerim causa et fons lacrimarum.

At eas abstergere statuo firmiter et fontes obstruere, fontes iniquitatum mearum obstruendo.

PUNCTUM II.

Prima Christi lacrimas fundentis verba erant ista: *O si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quae ad pacem tibi! nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.*

Haec plena amoris verba nos docent, quod in anima hominis, cujus typus est Jerusalem, initium salutis consistat in cognitione infirmitatis propriae et in cognitione medici, qui antidotum illis adhibere sciat: et hic est Jesus Christus, unicus animarum archiater, cujus salutaribus remediis uti debemus: scilicet credendo ejus verbis, sperando in ejus misericordia, amando ipsum, et ejus praecepta servando. E contrario fons et principium damnationis nostrae est ignorantia duplicis illius cognitionis, exiguaque cura cognoscendi vias, quibus ad sanctitatem pervenitur.

Anima mea! esne ex illorum numero caecorum, qui ultro luci divinae oculos occludunt? qui non cognoscunt tempus visitationis suae? qui tot occasiones, quas coelum ad salutem et perfectionem adipiscendam offert, omnino negligunt? Quae, obsecro, abit dies, qua te Deus intra vel extra orationem non visitat per lumina intellectus, per motus voluntatis, ut ferventius sibi servias? Si tempus hujus visitationis tuae negligas, horribile exitium, quod Deus Solymae intentat, non minus te involvet: *circumdabunt te inimici tui vallo: circumdabunt te et coangustabunt te undique . . . . Non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuae.* Id fiet tibi in vita, et multo magis in morte.

Quis explicare possit, o Jesu, o bonitas infinite amabilis, quanta animi teneritudine perniciem tot Christianorum deplores? scilicet longe amarius, quam Solymaeorum. Videris eos jam vidisse ex omni parte obsessos, ad terram prostratos, imo in Orcum usque praecipitatos. Hunc Solymae statum deplorasti, sed incassum, quia tuis e lacrimis ac salutaribus doctrinis nolebat proficere.

Hodie peccatoribus oculos aperi, meos praecipue, ut in vita tempus visitationis tuae et misericordiae cognoscam, ne in morte opprimar visitatione inexorabilis judicis. Absit, mi Deus, ut ego terribile illud momentum expectem ad cognoscendam salutis et perfectionis viam, quam mihi tanto jam tempore monstrasti. Utique video illam tuis luculenter signatam praeceptis, consiliis, exemplis. Istam ego non solum arripere nunc statuo firmiter, sed insuper habita omni difficultate constanter tenere.

PUNCTUM III.

Christus tota die praedicando et infirmos curando fatigatus templum intravit et *circumspectis*, ut ait S. Marcus (c. 11, 11.), *omnibus*, ut videret, qui hospitio eum exciperet, neminem reperit, id qui auderet ob metum gentis pharisaeorum, aliunde jam graviter exacerbatae honorum significationibus Christo a civitate exhibitis. Itaque Christus, *cum jam vespera esset hora*, impransus et famelicus *exiit in Bethaniam cum duodecim* Apostolis.

En, anima mea, en inconstantiam populi hujus, ex humano timore subito illum deserentis, quem tanto honore ac laetitia primum ante exceperat. Vide simul quantum possis et debeas inniti plausibus, honori et admurmurationi hominum, qui a zelo et ardenti amore adeo repente transeunt ad teporem et frigus, imo ad defectionem. Hanc mundi inconstantiam centies et amplius experta, fidis tamen illi, ac inniteris? o caecitatem!

Nempe tu solus es, o Jesu, cui secure innitor. Homines sunt leves, infidi, in horam mutabiles. Ut desii illis esse utilis, mox coepi esse neglectus, contemptus, derelictus ab illis. Tu vero solus es constans et fidelis amicus. Nunquam deseres me, nisi prior deseram te. Huic fundamento et basi spes mea incumbit; ut semper inconcussus persistam, arctissime tibi me adstringo. Fac, ut aeternum fidelis tibi permaneam gratusque. Fac, ut cor meum tuae semper pateat visitationi. Hoc modo timendum haud est, ne mihi beatam regni tui portam occludas.

Feria V.

Jesum coenantem ungit Magdalena.

(Marc. 14, 3. sq.)

PUNCTUM I.

Ante sex dies Paschae, cum Jesus coenaret in domo Simonis leprosi, *venit mulier* (Maria Magdalena) *habens alabastrum unguenti nardi spicati pretiosi et fracto alabastro effudit super caput ejus*, id faciens hodie titulo gratitudinis ob resuscitatum fratrem Lazarum, quod initio conversionis suae nuper fecerat ex motivo poenitentiae.

Discamus a Magdalena teneram solidamque devotionem. Alabastrum pretioso plenum unguento est cor nostrum, quod *frangi* oportet salutari de peccatis contritione, appetituum mortificatione, propriae voluntatis abnegatione. Unguentum et unctio debet fieri ex compositione diversorum actuum caritatis, humilitatis, purae intentionis, ita ut nostra *caritas sit de corde puro et conscientia bona et fide non ficta.* (I. Tim. 1, 5.) Hoc unguento oportet primo ungere *pedes Christi* et ejus exemplo illa, quae in ejus passione et humilitationibus tibi abjectiora videntur, amplecti, ut subin altius ascendas ad contemplandum divinas ejus perfectiones. O mi Jesu, vere Deus et homo, digna amoris nostri et adorationis meta! en! ad tuos prostratus pedes fragile cordis mei alabastrum coram te cum omni humilitate effundo. Tuis illud formasti manibus: tuum ergo est titulo creationis. Tuo illud pretiosissimo sanguine redemisti: duplici ergo nomine tuum est. Quidquid boni in hoc vase est, id totum a te profectum est: igitur et totum perfecto animi fervore tibi offero, nulla re alia cupiens per omnem vitam occupari, quam tui amore ac imitatione, per humilitatem me deprimendo usque ad exinanitionem sanctissimae humanitatis tuae, per orationem vero me sublevando usque in sinum divinitatis tuae, ut hujus excellentias et perfectiones cognoscam, admirer, adorem. O quam felix esset cor meum, si in oratione dilatatum coram te in frusta mille disrumperetur per contritionem vivam, per caritatem ardentem, qua in-

flammatus possem totam domum religiosam, imo universam Ecclesiam odore bonorum operum implere, sicque fieri *bonus odor Jesu Christi!* (II. Cor. 2, 15.)

PUNCTUM II.

Hanc Magdalenae actionem Judas Iscariotes temere damnavit velut prodigam ac inutilem. Alios quoque Apostolos in suam pertraxit sententiam, *indigne ferentes intra semetipsos et dicentes: Ut quid perditio ista unguenti facta est? poterat enim unguentum istud venumdari plus quam trecentis denariis et dari pauperibus.*

Uti exempla bona odore suo alios trahunt ad virtutem, sic prava sensim sine sensu foetorem et malignitatem suam late diffundunt ad multorum perniciem. Hanc exitiosam contagionem semper vehit secum *murmuratio.* Unica unius sufficit ad inficiendam communitatem integram, utut sanctissimam. Neque vero collegium Apostolorum ab hac peste fuit immune. Hodiernae murmurationis auctor fuit Judas ex pravo avaritiae affectu: Apostoli ex inconsiderato et imprudenti zelo murmur prosecuti, quia sanctam Magdalenae intentionem non perspexerant, male damnarunt opus, quod divino honorificum magistro laudes et praeconia merebatur discipulorum.

Hoc exemplum percellere te debet, anima mea, sanctumque vitii adeo exitiosi horrorem tibi incutere. Disce neminem judicare, nullam actionem, quae boni habet speciem, sinistre interpretari, nulla autem ratione unquam de aliis male loqui. Hac sine cautela in perpetuo versaris periculo vituperandi actiones prorsus laude dignas, laedendi famam proborum, imo offendendi Spiritum Sanctum, dum opera, quorum ipse auctor est ac principium, temere condemnas et murmurationibus, obtrectationibus, detractionibus domos imples, ubi solum caritas, pax et tranquillitas deberent regnare.

Dudum mihi, Domine, pericula et laqueos demonstrasti, in quos anima se induit, sueta libere aliorum actiones carpere. Duplicis ergo reus sum culpae, quod in hos defectus sim prolapsus et prolapsus post tot gratias et illustrationes, quae ab illis me debebant retrahere; neque enim inficias ire possum, semper animo meo obversatum

fuisse oraculum tuum: *Nolite judicare et non judicabimini: nolite condemnare, et non condemnabimini.* (Luc. 6, 37.) Hoc posito (de qua veritate nefas est dubitare) quam nullius negotii res est terribile tuum effugere judicium et sententiam! Quam jucundum erit mihi (si caritatis praeceptum fideliter observavero) in die judicii habere jus tua a te repetendi promissa, tibique fidenter dicendi: Nec judicare me potes, nec condemnare, cum et ego neminem judicaverim, neminem condemnaverim.

PUNCTUM III.

Christus Magdalenam defendit silentem, humana spernentem judicia, in id solum intentam, ut ejus mereretur approbationem, cui placere quaerebat soli. *Sinite eam,* dixit Jesus: *quid illi molesti estis? bonum opus operata est in me . . . Amen dico vobis: Ubicunque praedicatum fuerit Evangelium istud in universo mundo et quod fecit haec, narrabitur in memoriam ejus* et laudem.

O stupendam Jesu bonitatem! o gloriosam Magdalenae defensionem! o documentum nobis utilissimum! Frustra spero, quantumcunque bona fuerit actio vel intentio mea, hominum effugere judicia. Verum quid obesse poterit censura hominis, si referam approbationem Dei? aut quid mihi timendum, si Deus causae meae patrocinium suscipiat in se? Et certo certius suscipiet, si eam ipsi cum Magdalena committo, si taceo, si patior sine querela, si dolorem injuriae premo sine inutili per inanes apologias excusatione.

O quam utile et quaestuosum est, mi Deus, tibi servire et totum se tibi tradere! multo majore tu zelo nostrum tueris honorem, quam nosmetipsi. Quam beata fuit Magdalena, quod in te tam bonum, tam potentem invenerit defensorem! Dum video, quod fecit, suum tibi testatura amorem, non possum non ejus aestimare virtutem; tuam vero admirari bonitatem, dum ex ore tuo ejus laudes et encomia audio pro quinque aut sex Momis eam carpentibus. Tu mille milia concionatorum in orbe suscitas, qui semper et ubivis locorum Magdalenae factum sacris concelebrant laudibus, libros, templa, orbem implent panegyricis. Pro bonitate tam immensa,

Domine, meritas tibi grates ago. Ut eadem me quoque dignum reddam, firmissime statuo imposterum silere ad obtrectationes, tibique totam honoris mei curam relinquere quademumcunque vi ac rabie me censurae et calumniae coram hominibus connitantur denigrare.

Feria VI.

Judas Jesum vendit Judaeis.

(Matth. 26, 14. sq.)

PUNCTUM I.

Postquam satanas teste Evangelio intravit in Judam, *abiit hic ad principes sacerdotum et ait illis: Quid vultis mihi dare? et ego vobis eum tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos. Et exinde quaerebat opportunitatem, ut eum traderet.*

Jesus, aeternus Dei Filius, pro salute hominum natus in tempore, juratissimis hostibus suis venditur non ab extraneo, sed ab uno ex domesticis et discipulis, quem praeterea ad summam apostolatus dignitatem evectum singularibus cumulavit beneficiis ac favoribus. Hoc erat initium passionis dominicae: hoc erat omnium, quae Christo poterant contingere, acerbissimum simul et ignominiosissimum, quodque revera omnium maxime doluit Christo et jure quidem meritissimo; quid enim acerbius innocenti agno poterat accidere, quam lupis tradi sanguinem suum sitientibus? quid ignominiosius, quam unum ex suis intueri transfugam ac proditorem utique in grave sui praejudicium, quod inimici possent ex defectione discipuli trahere in condemnationem magistri? quid viro honesto doleat magis, quam prodi ab amico?

Eheu! quantum haec omnia vulnus cordi Jesu inflixere! quam probrosum erat magistro, adeo contemptim haberi a discipulo! quanta excaecatio, furor et rabies hominis, ita suum vendere creatorem! At enim, anima mea, an non tu alter Christo es Judas? Easdem tibi, ut perfido Judae, exhibuit gratias: nonne parem cum

Juda gratiam refers tuo benefactori, animum scilicet ingratissimum?

O quanto, Servator mi, pudore ac dolore suffundunt me istae reflexiones! Sum enimvero ex illorum numero, quos enorme animi ingrati crimen eo atrocitatis abripuit, ut te tradere non abhorrerent. Nullo non die ingrati te vendunt Christiani, ut olim fratres Josephum Ismaelitis vendiderunt. Id permittis, o Jesu, ut tuam erga peccatores caritatem et officium defensoris exercere valeas. Eandem mihi caritatem ac misericordiam exhibe: et quoniam voluisti meae fieri lytrum redemptionis, a Patre tuo gratiam mihi impetra aeternae libertatis.

PUNCTUM II.

Jesus fuit triginta argenteis venditus, ordinario scilicet sanguinis pretio, quo Judaei suos taxabant servos seu mancipia ab altero occisa. Haec circumstantia multo atrociorem reddit ignominiam Christi, clare demonstrans, quam parvi aestimatus fuerit tam a vendente, quam ab emptoribus.

Adeo indigna agendi ratio horrorem nobis incutit, nec injuria. At numquid eadem nos utimur, quoties grave committimus peccatum? Si autem ita esse cognoscimus, cur non pari horrore concutimur? Quodsi Christum non vendidimus triginta argenteis, nonne vendidimus pro vili interesse et lucello, pro falsa voluptate, pro crepundiis, pro nihilo? Quid ergo, aut quantum nos inter et Judam interest?

O divine Redemptor! o quam aliter tu animas nostras, quam nos te aestimamus! Illae te vendunt pro nihilo: tu in eas infiniti pretii sanguinem ad ultimam usque guttam expendis. Illae tradunt te pro momentanea voluptate: tu eas emis et redimis triginta annorum sudoribus. Vides, Pater aeterne, vides, quanti tuus aestimetur Filius! Et tu, o Fili Patris divini, quam merito per ironiam dicis de te: *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos: decorum pretium, quo appretiatus sum.* (Zach. 11, 12. 13.) Licetne autem, Domine, loqui et ad haec verba respondere? Imo loquar et, quod sentio, dicam, non quidem *ad excusandas excusa-*

tiones in peccatis et eorum malitiam, sed ad manifestandum caritatis tuae excessum. Tu sponte *formam servi accepisti:* quid mirum igitur, quod ut homo nihili vendaris, pretio, quod servorum infimo competit? Grates interim tibi ago immensas pro insigni patientia, qua tantam sustines injuriam; at simul per merita passionis tuae supplex rogo: ne permittas, quaeso, ut simili unquam injuria te afficiam.

PUNCTUM III.

Qui perfido Judae persuasit nefandam magistri sui proditionem, daemon fuit, ut ait Evangelium. Medium, quod adhibuit, erat inordinatus pecuniarum amor. Modus et fraus, qua stygius alastor usus est, ut tanti criminis atrocitatem obvelaret, imo specie boni ac pietatis fucaret, fuit ista: Magister tuus (ajebat Judae) jam dudum decrevit mori hoc Paschate; ita clare praedixit, frequenter etiam asseveravit, debere se, imo velle ultro mori: proin volenti non fit injuria, eumque tradendo Judaeis solum volentis desiderium explebis. Ita fere daemon ad Judam.

Anima mea! vides utique, quanta in scelera propellatur, qui ab effraenata ac praedominante animi passione abripi se patitur! fit denique et pila et ludibrium daemonis, miserum pro libitu raptantis in praecipitia, tantasque offundentis tenebras, ut rationes inquirat etiam enormia approbandi scelera. Sero et frustra conaberis passionem edomare, postquam fasces et dominium in te obtinuit. In cunis suffocanda est per promptam et generosam mortificationem. Si Judas in tempore connisus fuisset subjugare avaritiam, firma semper Ecclesiae columna stetisset, nec apostolatus fastigio dejiciendus, nec in profundissimam scelerum, miseriarum et Orci abyssum praecipitandus.

Quam terribilia, o Deus, tua sunt judicia! *Quid faciet virga deserti, ubi concutitur cedrus Libani?* (S. Bern.) Quis securitatem sibi promittat, cum Ecclesiae columnas videt ruina involvi? Ubi ergo miserrimus ego peccatorum securitatem reperiam, quae nec in coelo datur, ubi cecidit Lucifer: nec in paradiso et mundo, ubi lapsus est Adam: nec adeo in ipsa Christi schola,

ubi Judas gratia et salute excidit? Tuam igitur, Domine, manum mihi porrige, ne in easdem cum Juda calamitates praeceps ruam. In te solo, o Pater misericordiarum et in bonitate tua, non in sanctitate status mei, non in voluntatis meae firmitate, recumbit ac nititur tota spes mea. Tuo me illustra lumine, ut fraudes et laqueos diaboli agnoscam: tuae me praesidio gratiae corrobora, ut passiones meas, validissima daemonis ad perdendos homines arma, perpetua mortificatione retundam et domesticos hos hostes continuo *persequar et non convertar, donec deficiant, cadent subtus pedes meos.* (Psal. 17, 38. 39.)

Sabbato.

Repetitio unius ex praecedentibus meditationibus.

Dominica Sexagesimae.

Parabola de semine.

(Luc. 8, 5. sq.)

PUNCTUM I.

Exiit, qui seminat seminare semen suum etc. Hanc parabolam Christus ipse declarat, dum ait: *Semen est verbum Dei*, sive *externum* illud sit, seu instructio, quae auribus: sive *internum*, seu inspiratio, quae animo et mente percipitur. Qui seminat, Deus est, *externe* seminans per suos concionatores, *interne* per se ipsum. Terra, quae semen recipit, est anima Christiani aut religiosi, quae coelesti hoc semine foecunda redditur, si nullum ponat obstaculum.

Ita est: tu, anima mea, tu haec felix es terra, quam Deus continenter divino verbi sui semine foecundat, sua colit manu, suo irrigat sanguine. Fructus, quem expectat, tua est sanctificatio, tua felicitas in hoc et altero orbe: *habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam aeternam.* (Rom. 6, 22.) Omnis cultura et benedictio provenit a seminante: fructus et messis est tua. Vah! quam ingrata

fores in Deum adeo bonum, si curam ejus ac laborem redderes inutilem! imo quam negligens proprii interesse ac utilitatis tuae, si semen tam frugiferum suffocares!

Grates tibi ago mille, o adoranda Trinitas, quod tanto labore, cura et studio adeo malam colas terram. Noli, quaeso, ingratitudine mea absterreri, sed perge ita cor meum disponere, ut posthac fidelius tuis respondeat votis beneficiisque. Tu, o Pater coelestis, semper memoriam meam sanctis reple cogitationibus; tu, o Fili, intellectum sanctis illustrationibus; tu, o Spiritus Sancte, qui, *ubi vis, spiras* et necessariam nemini denegas gratiam, voluntatem meam fortiter sanctis impelle affectibus et desideriis, tuoque inflamma igne amoris, ut hac ratione copiosos gratiae et sanctitatis fructus proferat.

PUNCTUM II.

Semen quidem, quod seminat agricola, est valde bonum: ultra dimidium tamen perit causa et culpa terrae, cui committitur. *Aliud cecidit secus viam: et conculcatum est: et volucres coeli comederunt illud. Et aliud cecidit supra petram: et natum aruit, quia non habebat humorem. Et aliud cecidit inter spinas: et simul exortae spinae suffocaverunt illud.*

En tres sterilis in me divini seminis causas. 1. *Intellectus* meus tritae instar viae quibuscunque patet cogitationibus, plerumque frivolis ac inanibus, non raro scelestis. Praeterea daemon, omnium de Deo cogitationum inimicus, assiduas excitat aut fovet mentis evagationes. 2. *Cor meum* est aridum ac indevotum. En petram, ubi natum arescit semen divinum, quia humorem et pietatis unctionem non habet. 3. *Anima mea* superfluis sollicitudinibus et pungentibus terrenorum, quibus immodice adhaeret, curis est plena. En spinas bonam sementem suffocantes.

Heu me! quam male, o Deus, usus sum coelesti semine, quod toties in cor meum misisti! Ad quid hoc mihi proderit? ad majorem scilicet damnationem, nisi imposterum utar melius. Hanc ipsam a te supplex peto gratiam, o Pater misericordiarum: gratiam, ajo, quae meum colligat intellectum, emolliat cor, terrenis animam

curis, ac omnibus, quae fructum seminis ac verbi divini possint impedire, obstaculis liberet.

PUNCTUM III.

Aliud cecidit in terram bonam: et ortum fecit fructum centuplum . . . Hi sunt, qui in corde bono et optimo audientes verbum retinent et fructum afferunt in patientia: et quidem *alii*, ut addit S. Matthaeus (13, 23), *centesimum*, *alii sexagesimum*, *alii trigesimum*.

Ex his Christi verbis intelligimus, quod, sicut tria sunt genera hominum ob malas dispositiones suas coeleste semen destruentium, ita triplicis generis sint, qui fructum ex eo referunt. 1. Tirones, seu *incipientes* ad perfectionem tendere, fructum ferunt mediocrem, satisque laudabilem: 2. ampliorem *proficientes* in via virtutum et perfectionis: 3. maximum vero et centesimum ferventes et *perfecti* referunt, qui in praemium fervoris sui ac fidelitatis omni benedictione coelesti replentur.

Anima mea! tune similiter terra es adeo felix? Quem tu fructum hausisti ex tot sanctis cogitationibus, divinis inspirationibus, internis gratiae motibus, quae omnia te incitabant ad omne bonum, ad fugam mundi, ad mortificationem sensuum, ad amorem orationis, ad sublimem sanctitatis gradum? Quod ex beato ferventium, qui centesimum referunt fructum, numero non fueris, non vitium aut culpa terrae est, non seminis, nec seminantis. Certe ad magnam pertigisses sanctitatem, si, quam Deus expectabat, fidelitatem, studium ac generositatem habuisses.

Numeras utique, mi Deus, generosas ejusmodi et fideles animas non paucas, quae cum Apostolo possunt dicere, quod *gratia tua* in illis *vacua non fuerit*. O quantum inde gaudeo! quam felices aestimo illas! Milies, o Deus, iterumque milies benedico te, quod eas tam liberaliter tuis cumules donis. Fac, ut illarum numerus (etiam per me) augeatur et injurias compenset, quas tot ingrati ac infideles tuae inferunt bonitati.

Feria II.

Christus cum discipulis agnum paschalem comedit.

(Matth. 26, 18. sq.)

PUNCTUM I.

Jesus ultimum suis cum discipulis Pascha celebraturus, ex Bethania Jerosolymam, ubi agnum paschalem comedere oportuit, duos prae caeteris dilectos, Petrum et Joannem, praemisit ad amicum quendam, ut ei nomine suo dicerent: *Tempus meum* transeundi ex hoc mundo *prope est: apud te facio Pascha cum discipulis meis.*

Perpende 1. quam studiose Filius Dei ceremonias legales observarit, illam praecipue, quae erat typus et figura coelestis convivii, quod Christi amor in Eucharistia nobis instruxit. 2. Quaenam ad illud digne celebrandum dispositiones requirantur: viva nimirum *fides*, quae in Petro, et ardens *caritas*, quae in Joanne significatur. 3. Quanta devotione cor nostrum eucharistico hospiti Jesu Christo aperire debeamus exemplo illius amici seu civis Solymaei, qui accepto vix nuntio, quod Christus apud se divertere sit dignaturus, sine mora *coenaculum grande stratum* obtulit, felicem se reputans, quod Christus apud se velit agnum paschalem manducare.

Imaginare tibi, anima mea, pridie aut ipso die s. communionis te in imo cordis tui audire haec Jesu Christi verba: *Tempus meum prope est: apud te facio Pascha:* et plena tenerrimis fidei, caritatis, gratique animi affectionibus responde: Veni igitur, Domine: sed veni integro omnium virtutum choro stipatus, ut mysticum hoc Pascha, quod tuae fructum passionis mihi debet applicare, celebres in me. Celebra Phase tuum, seu *transitum:* fac, inquam, me a statu teporis transire ad statum sancti fervoris. Istud, Domine, miraculum in me patra. Ad id non solum partem domus meae, sed integram humillime offero: cor, inquam, meum. Veni, ah! veni in plenam ejus possessionem. Utinam domus haec foret satis opulenta et omni gratiarum genere exornata, ut digno possem te hospitio excipere, imo et permovere ad figendum in corde meo stabile domicilium, quod tu

per tempus vitae meae possideas in terris, illud autem te possideat aeternum in coelis.

PUNCTUM II.

Christus, ut pie licet credere, postremum vale dixit matri suae, simulque declaravit, illuxisse jam diem et horam grande redemptionis humanae opus morte sua consummandi. Mater, licet ea declaratio intime cor maternum doloris gladio transfixerit, divinae tamen Patris voluntati humillime, exemplo Filii, acquievit. Quo facto mox in coenaculum a discipulis praeparatum concessit Jesus et mensae cum illis accumbens ajebat: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum.* (Luc. 22, 15.)

Inspiciamus paulisper cor matris et filii. Videamus in corde matris acerbissimos dolores, simul et plenam amore resignationem in Patris voluntatem ac filii sui immolationem. Discamus ab afflicta, tranquilla tamen matre, fatalia coelorum tela immoto submissoque excipere animo. In corde Jesu autem contemplemur infinitam, qua ardet, caritatem et ingens desiderium nobis adhuc ante mortem suam manifestissimum amoris pignus relinquendi. Singula ejus verba sunt totidem flammae ex hac divina amoris fornace profectae: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum* ultimo: quo dicit jam diu hanc diem quam vehementissime desideraveram, ut certa mei erga vos amoris signa possem vobis demonstrare manducando vobiscum non modo legalem hunc agnum, sed et agnum infinite excellentiorem, quem ante mortem daturus sum vobis ad manducandum et relicturus in aeternum amoris mei monumentum.

O amantissime Servator, immenso ardens desiderio ultimam cum discipulis tuis faciendi coenam et simul novam in Ecclesia tua instituendi, in qua te ipsum mihi praebes in cibum: qui memorem tanti beneficii animum tibi demonstrare possim, nisi amori amorem rependendo, meque totum tuis devovendo obsequiis? Ah! si tu tantopere desideras hoc Pascha manducare mecum, profecto aequissimum est, ut ego quoque vehementer desiderem illud manducare tecum.

O rex coeli et terrae, qui *stas ad ostium* cordis mei *et pulsas*, incensus desiderio *illud intrandi et coenandi mecum* (Apoc. 3, 20.): veni et ingredere illud. En! patet ostium et porta. Nil magis desidero, quam te in eo recipere, ut coenae tuae particeps fiam.

PUNCTUM III.

Durante coena manducatio agni fuit Christo viva impendentis imago passionis; aspiciens enim agnum in mensa juxta legem jam emortuum, extensum, in partes dissectum, festinanter manducari, animo jam tum semet flagris et vulneribus concisum, in cruce extensum mori, ac, ut prophetae loquuntur, ab inimicis devorari intuebatur. Manducans amaras et agrestes lactucas meminit fellis et aceti, sibi in morte propinandi. Denique praescriptum a lege baculum manu tenens jam tum videbatur sibi crucem, cui pro salute hominum erat affigendus, amplexari.

O coena omnibus praeter Christum amara et tristis! Quamquam et Christo tam horrenda passionis suae imago terrorem potuisset incutere, nisi amor vires et robur addidisset. Ita est, anima mea: qui ardenter amat, nihil formidat: fervor cordis timorem nescit.

Hae erant ipsissimae cordis tui dispositiones, o Jesu. Ardens nos salvandi desiderium ipsam passionis tuae memoriam et typum tibi reddebat dulcem. Si te pari fervore redamarem, profecto neque occurrentes tuo in servitio difficultates reformidarem, neque spinas viam perfectionis circumsepientes horrerem. Angores, quibus exagitor, cum ad meliora et perfectiora me impellis: timores, qui me ab eorum executione retardant, abunde meum mihi teporem demonstrant, exiguumque erga te amorem. Da igitur, Domine, ut ferventer te amem: et nihil me a tui imitatione posthac impediet. Adversa, ignominiae, cruces, quae hactenus mihi erant horrori, meae deinceps erunt deliciae.

Feria III.

Christus lavat pedes Apostolorum.

(Joan. 13, 3. sq.)

PUNCTUM I.

Sciens Jesus, quia omnia dedit ei Pater in manus, et quia a Deo exivit et ad Deum vadit, surgit a coena et ponit vestimenta sua: et cum accepisset linteum, praecinxit se: deinde mittit aquam in pelvim et coepit lavare pedes discipulorum.

Tria hic perpende, anima mea: 1. *Excellentiam personae* se demittentis ad obsequium tam abjectum, quale est non manus aut capita, sed sordidos discipulorum pedes lavare. Qua Deus innumera angelorum, qui famulo eum poplite adorant, multitudine stipatur in coelo: qua homo prostratus humi jacet ad pedes vilium piscatorum, quibus vilissimum exhibet servitium. 2. Infinitam ejusdem *sapientiam*, qui nec suae praestantiam essentiae, nec Apostolorum vilitatem, nec Judae perfidiam ignorabat, quamquam amor fascia oculos quodammodo obvelasse videatur, ut ad opus omnium sane vilissimum sese abjiceret. 3. Immensam *caritatem*, qua, *cum dilexisset suos, in finem dilexit eos*. Nimirum humilitatis adeo stupendae, ut pedes lavaret discipulorum, causa et principium fuit summus erga illos amor et desiderium nos ad tantae humilitatis imitationem permovendi.

O ineffabilem Jesu Christi erga homines caritatem! o ignem amoris semper ardentem, quem nec ingratus noster animus, nec *aquae multae* tribulationum *potuerunt extinguere, nec flumina* innumerabilium tormentorum *obruere!* (Cant. 8, 7.) Utinam te possem diligere, Redemptor mi, quantum in coelis te angeli diligunt ac Seraphim! Ah! cur non saltem amavi te a primo rationis et amoris usu! At saltem hodie cupio ardenter, atque etiam incipio te juxta amoris legem diligere *ex toto corde et ex tota anima et ex tota fortitudine* (Deut. 6, 5.), et ita diligere usque ad finem vitae. Cum autem luculentiora cordis sinceri argumenta tibi dare haud valeam, quam si exemplo tuo sanctam amem humilitatem, en! ab hoc momento omnibus mundi honoribus

nuntium remitto et multis partibus malo humilis tecum ante omnium pedes prostratus jacere, quam superbus vel unius, utut abjectissimi homuncionis, capiti inambulare.

PUNCTUM II.

S. Petrus tam stupenda magistri humilitate attonitus, *Domine*, ait, *tu mihi lavas pedes? Tu* qui es aeternus Dei Filius, conditor universi, rex angelorum? Tu mihi lavas pedes? *mihi*, miserabili creaturae, abjecto peccatori, vilissimo terrae vermiculo? Tu *non lavabis mihi pedes in aeternum. Respondit Jesus: Si non lavero te, non habebis partem mecum*, excludendus e schola discipulorum, imo et e regno beatorum. Petrus adeo horrenda comminatione ceu fulmine perculsus exclamavit: *Domine, non tantum pedes meos, sed et manus et caput.*

Petrus suo nos exemplo erudit, quod nunquam possimus nimio plus seu aestimare Jesum, seu nos ipsos descipere. Item quod Deus pro nobis, qui pulvis et cinis sumus, adeo exinanitus, nos debeat humiles reddere et conservare. Jesus autem nos docet 1. vel levem inobedientiam et quamlibet proprii judicii obstinationem, quocunque virtutis, reverentiae aut humilitatis pallio obvelentur, Deo et Christo displicere. 2. Nunquam nos partem habituros cum Deo ejusque amicitia, nisi ea nos reddamus dignos studiose acceptando gratiam, quam offert ad eluendas animae sordes.

Fateor, Domine: Anima mea innumeris contaminata est peccatorum sordibus, quas eluere non possum; eas enim contrahere in mea potestate, eluere in tua solius est: nam *quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu, qui solus es?* (Job. 14, 4.) *Lava me* igitur *ab iniquitate mea et a peccato meo munda me.* (Psal. 50, 4.) Et quoniam iterum iterumque lotus in easdem peccatorum sordes relabor, semper *amplius lava me*, amplius munda me, tuisque gratiis me tam constanter cumula, ut eas non perdam amplius. Fixum mihi est, omnia tua explere mandata, sive per te ipsum, sive per superiores meos ea mihi declares. Fixum ratumque est firmissime sub obedientiae ductu vivere et mori.

PUNCTUM III.

Post pedum lotionem *cum recubuisset iterum Jesus, dixit discipulis: Scitis, quid fecerim vobis? vos vocatis me magister et Domine: et bene dicitis: sum etenim. Si ergo ego lavi pedes vestros, Dominus et magister: et vos debetis alter alterius lavare pedes; exemplum enim dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis.*

Singula ponderemus verba Christi ceu totidem doctrinas perfectionis. *Scitis, quid fecerim vobis?* Satis superque externa Dei opera conspicimus: ast latentia eorum mysteria non intelligimus: spiritum et medullam non penetramus haerentes in cortice. Hinc tam pauci vere spirituales. Quaenam igitur est anima et motivum lotionis pedum? intendit nimirum Christus, ut ejus exemplo mutua humilitatis et caritatis opera exhibeamus proximis. Notandum autem, quod subdit: *Si haec scitis, beati eritis, si feceritis ea;* quo dicit: Non sufficit virtutum exempla, quae vobis praebui, nosse, sed opus est ea etiam opere exequi, siquidem Judas, eo quod illa spectasse contentus noluerit imitari, aeternum fuit damnatus.

O Jesu, unica beatitudo mea! quandoquidem edoces me, quid ad salutem et sanctificationem meam feceris, da gratiam quoque et auxilium exequendi, quae imperas. *Da, Domine, quod jubes, et jube, quod vis.* (S. Aug.) Sanctitatis viam demonstrasti: ingens gratia, quam tibi in acceptis fero. Attamen major, quam peto humillime, gratia est animos et robur addere eandem viam constanter tenendi, spretis, quae in ea occurrunt, tot difficultatibus. Da, ut fidelitas mea tuis respondeat gratiis et illustrationibus, ne *vapulem multis* cum nequam servo, qui novit voluntatem Domini sui et non fecit. Praeteritos obliviscere defectus et confer gratiam eos novo compensandi fervore.

Feria IV.

Documenta ex praecedentibus institutionem Eucharistiae haurienda.

PUNCTUM I.

Cur Christus, antequam instituerit s. Eucharistiam, prius pedes lavit? Resp. ut pium humilemque Judaeorum morem et caritatem, quae convivarum suorum pedes lavare consueverat, imitaretur, nosque doceret, puritatem, humilitatem et caritatem esse necessarias ad mensam eucharisticam dispositiones, eaque indignum esse, qui illarum actus virtutum non praemiserit. Humilis Servator nescit sufferre cor superbum. Item singulariter caritatem desiderat in iis, qui participant sacramentum amoris sui: et sicut est agnus sine macula, ita summam a communicantibus puritatem exigit, non contentus conscientia a peccato mortali libera: vult insuper, ut eam purgemus quantum fieri potest ab omni peccato veniali, imo et a minimis imperfectionibus.

Ingrediamur ante s. communionem cor nostrum et, quomodo ad eam dispositi simus, discutiamus. An non reperiemus in ea superbiam, aestimationem propriam, fastum et arrogantiam cum aliorum contemptu, animi amaritudinem et fel rancoris? Nullane ibi superest affectio terrena *per pedes* adumbrata? Imaginemur nobis Christum, ut Petro, dicere: *Si non lavero te, non habebis partem mecum* isto in convivio, non delicias, quibus bene loti et mundi corde fruuntur.

Si ita est, o Deus cordis mei, *non tantum pedes meos, sed et manus et caput* lava. Purga, inquam, meas cogitationes, opera et affectus. Noli in me vel minimum tolerare pulvisculum, ut adeo ab omni affectu inordinato liber merear habere partem tecum in mensa eucharistica, ejusque deliciis et fructibus beate frui.

PUNCTUM II.

Manducatio agni paschalis praecessit institutionem Eucharistiae, ut intelligamus, figuram inter et veritatem quasdam analogias et similitudines intercedere: nam 1. Sacrificium agni paschalis celebrabatur in gratiarum

actionem ob insigne beneficium, quo Deus a tyrannico Pharaonis jugo et servitute olim Israelitas vindicaverat. 2. Postes Hebraeorum signabantur agni sanguine ad avertendum ab eorum aedibus percutientem omnia primogenita angelum Domini. 3. Agnum manducabant ante suum ex Aegypto discessum, ut vires acquirerent sustinendis viae tam longae molestiis pares. Non aliter verus Dei agnus in altari immolatur 1. in gratam beneficii memoriam, quo nos ipse Deus morte sua eruit a captivitate daemonis. 2. Ejus sanguis nos praeservat a morte peccati. 3. *Caro ejus vere est cibus*, nos sustentans in via salutis, donec terminum beatitudinis assequamur.

O quot mysteria, gratias, prodigia detegimus in s. Synaxi, si rite dispositi accedamus! Praefigurabantur illa per diversas coenae legalis ceremonias. Res ad oculum patet eas applicanti ad coenam Jesu Christi. Quid enim aliud tota corporis compositio et ritus edentium, v. g. *renes accincti*, *calceati pedes*, *baculi in manibus*, *festinatio manducantium*, *agnus igne assus* etc. (Exod. 12, 11.): quid aliud, inquam, haec omnia denotant, quam necessarias ad s. Synaxin obeundam dispositiones: castitatem mentis et corporis, custodiam affectuum, fiduciam in cruce et meritis Jesu Christi, desiderium et fervorem mentis, amorem et ardorem cordis?

Ut autem ad sanctas hujusmodi dispositiones excitemur, dicamus cum Apostolo: *Quia Pascha nostrum immolatus est Christus* pro nobis, *epulemur non in fermento veteri*, *neque in fermento malitiae et nequitiae*, *sed in azymis sinceritatis et veritatis.* (I. Cor. 5, 7. 8.)

Destrue igitur, o purissime Dei agne, in corde meo destrue acidum hoc mundi fermentum, quod omnem divini hujus cibi, quem amor tuus mihi praeparavit, gustum et saporem posset corrumpere: fac, ut ille cibus nullum in anima mea obstaculum inveniens, suos producat gratiae, vigoris et virtutum effectus.

PUNCTUM III.

Christus immediate ante coenam dixit Apostolis: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum*, *antequam patiar; dico enim vobis*, *quia ex hoc non*

manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. (Luc. 22, 15. 16.)

His Christi verbis praestantes duae ad s. communionem dispositiones indicantur: 1. fervens *desiderium*, quali Jesus aestuabat ultimo cum discipulis manducaturus. 2. Ardens *studium* ita quamlibet obeundi communionem, ac si foret *ultima*, nec, nisi in coelo, repetenda.

Num autem s. Synaxin adeuntes haec desideria, spiritualem hanc famem sentimus? Si sentiremus, certe majores, ac modo, fructus inde hauriremus: praesertim si pretium, virtutem et efficaciam hujus cibi cognosceremus una cum extrema illum sumendi necessitate nostra.

Magne Deus! quot communiones abeunt sine fructu ob teporem Christianorum! alimur cibo et pane fortium: et in eadem haeremus ignavia ac imbecillitate. Agno pascimur immaculato: nec puriores evadimus, aut mansuetiores. Manna coelesti nutrimur: et famem terrenorum semper retinemus. Quid igitur? estne idem panis coeli, qui tot sanctos efficit in terris, tot delicias angelis facit in coelis? aut num hodie amisit gustum et virtutem nostras mutandi affectiones, sanctam excitandi famem et appetitum? Ah! utique idem es semper, omnipotens et amabilissime Jesu, quem recipimus: at fides infirma, affectio exigua, quam hucusque in corde nostro invenisti, impediit, quominus tua ederes miracula. Tuo me auxilio adjuva, Domine, in tollendis hisce obstaculis largiendo fidem vivam et fervidum amorem. Hanc a te gratiam enixissime efflagito. Quod mearum est partium, satagam nervos omnes in id contendere, ut digne carnem agni manducem, ac si unica dumtaxat vice mihi fas esset manducare in vita.

Feria V.

Conversio panis in corpus Jesu Christi.

(Matth. 26, 26.)

PUNCTUM I.

Coenantibus illis accepit Jesus panem: et postquam dixit: Hoc est corpus meum, substantiam panis ita convertit in corpus suum, ut, quod prius solum erat

panis, per illa verba momento fieret caro Christi. Ut tantum patraret prodigium, opus erat tota Dei sapientia, omnipotentia, bonitate et caritate. 1. Eadem *sapientia*, quae modum invenit Deum simul et hominem per incarnationem conjungendi in unitate personae divinae, modum adinvenit Deum-Hominem uniendi speciebus panis in cibum hominis. 2. Nonnisi eadem *omnipotentia*, quae unico verbo *fiat* ex nihilo produxit omnia, potuit miraculo prorsus stupendo panis substantiam convertere in corpus Filii Dei. 3. Nulla, nisi infinita Dei-Hominis *caritas* potuit se modo tam perfecto dare in cibum et confortationem animae nostrae. O quantos laetitiae, gratitudinis et admirationis affectus debet in nobis excitare consideratio beneficii tam singularis, prodigii tam stupendi.

O mi Jesu, *in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi* (Coloss. 2, 3.), illumina me, ut sciam et tantum aestimare beneficium et meritas ei grates rependere. O infinitam tuam, Servator mi, potentiam! ut terrae vermiculum nutrias, totum naturae ordinem invertis. O amor immense, qui omnes tuos in me prodigis thesauros tam liberaliter te ipsum dando! Nihilne reddam tibi? Ah Domine! adeo enorme ingrati animi crimen averte a me. Avertis enimvero. Jam sentio, quod seriam mihi inspires voluntatem ex gratitudine erga divinissimum hoc sacramentum, in quo bona omnia et temetipsum donas, me tibi totum offerendi. Accipe igitur, mi Jesu, meum hoc donum et, quantumcunque tuo indignum sit conspectu, accipe illud in odorem suavitatis.

PUNCTUM II.

Prodigiosa autem conversio fit per haec verba: Hoc est corpus meum, *quod pro vobis tradetur.* (I. Cor. 11, 24.) Ubi bene notandum, quod Christus dicat: 1. Hoc est corpus meum: non autem dicat: *Haec est figura, signum, memoriale, aut repraesentatio corporis mei.* 2. Hoc est *corpus* meum *integrum:* et quidem 3. illud ipsum, *quod* amore nostri *tradetur* in manus carnificum, ut cruci affigatur.

Anima mea! horum Christi verborum vim et sensum pensita. Ad sanctificationem nostram et spirituale nutrimentum suffecisset, si sacramentum Eucharistiae fuisset usualis ac merus panis, Filium Dei repraesentans: sicut aqua baptismi, quae merissima est aqua, virtute pollet nos a peccatis abluendi, et divinam communicandi gratiam. At amori Jesu id satis non erat, sed suam nobis dare voluit substantiam. Saltem suffecisset pars minima corporis dominici, cujus vel attactus tot patravit miracula. Ita est: id suffecisset omni humano amori, at non suffecit infinito ipsius Dei erga nos amori: quare amabilissimus Servator, ut nobis clare demonstraret, quod *totus* nos amet, noluit mancam aut limitatam esse corporis sui donationem, sed totum dedit ac integrum sub velamine sacramenti: utque meritorum passionis suae reddamur participes, illud ipsum corpus, quod vulneribus oppletum fuerat, nobis in alimentum dedit.

O Redemptor amantissime, qui voluisti ipse in meum transire cibum, quantas propterea grates, quantum debeo amorem! Ne ego monstrum ingratissimi mortalium forem, illos animi et humanitatis sensus nisi conciperem. Hos utique dabis, Domine, dum te ipsum mihi donas. Sim adamante durior; tam parum laborabis, ut cor meum emollias et in ipsam transformes teneritudinem, quam parum laborasti panem convertendo in corpus tuum. Ita est: cor meum immutabis applicando cor tuum: ex frigido, socorde, arido efficies cor ardens, devotum, zelo gloriae tuae tuoque amore succensum.

PUNCTUM III.

Admiranda est mutatio, quae fit in Eucharistia per verba Jesu Christi: at non minorem meretur admirationem mutatio, in animis discipulorum post sumptionem Eucharistiae facta. Imperfecti prius ac rudes, mox divino lumine repleti adorandum magistri sui corpus agnovere, licet panis accidentibus tectum. Amor praeterea, quo jam tum ferebantur in Christum, ingens cepit incrementum, cordibus coelesti laetitia et consolatione suffusis. Dubitare non licet, quin S. Petrus Christo corpus suum offerenti cum omni reverentia dixerit: *Exi a me*, *Domine*,

quia homo peccator sum (Luc. 5, 8.), et post sumptum ex obedientia sanctissimum corpus exclamaverit: *Tu es Christus, Filius Dei vivi.* (Matth. 16, 16.)

Concipiamus tempore s. communionis eosdem cum Petro animi sensus: simul tamen, dum conabimur S. Petri fidem, reverentiam et humilitatem imitari, pariter adnitamur aemulari affectum et amorem S. Joannis, in mentis extasin rapti, quod illum in sua reciperet viscera, cui adeo cordi erat.

Ah! cur non iisdem niteo virtutibus, Domine, fide humili et tenero amore, quibus in prima communione tui nitebant Apostoli? O quam felix essem, si eosdem actus pari fervore exercerem tempore s. communionis! O qualis unctio tunc meo se infunderet cordi! quantum gaudii et consolationis te praesente sentirem, Domine! quam prodigiosos inde fructus haurirem!

Feria VI.

Conversio vini in sanguinem Jesu Christi.

(Matth. 26. 27. 28.)

PUNCTUM I.

Post panis consecrationem et communionem accipiens Jesus calicem vini in manus suas dixit: Hic est sanguis meus, *novi testamenti, qui (pro vobis,* ut exprimit S. Lucas, *et) pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

Per haec Christi verba vinum momento citius in sanguinem ejus fuit conversum. Unica procul dubio gutta suffecisset ad sanctificationem totius mundi. Attamen ut particulari meae necessitati suoque amori satisfaceret, totum, qui in omnibus venis est, mihi tradit sanguinem et quidem in potum. Qui ergo possit in me dari vitium, pravus habitus, imperfectio, aut alia infirmitas spiritualis, quae porro resistat virtuti et efficaciae remedii adeo divini?

Verum ulterius adhuc progreditur Christus, ut summi erga nos amoris argumenta nobis ostendat. Una cum

sanguine dat vasculum, in quo ille continetur. Sicut ergo princeps suorum procerum carissimo vinum propinans optimum in poculo gemmis et adamantibus distincto dicit: Bibe vinum et retine tibi poculum: ita sane Christus cum sanguine nobis simul donat vasa, quibus continetur sanguis: scilicet venas, carnem, totum corpus cum anima divinitati conjuncta. O immensa caritas! o prodigalitas sancta et Deo digna! quomodo totum, quidquid sum habeoque, possim non dare illi, qui mihi totum, quod est habetque, tradit tanta liberalitate et munificentia?

O Rex regum! o Jesu amantissime! quam diversa est tua et principum nostrorum agendi ratio! Hi suorum bibunt et exugunt sanguinem, ut ex eo liberales sint erga alios, aut suas propugnent provincias, aut expugnent alienas. Tu vero, o Jesu, tu sanguinem tuum servis tuis bibendum large propinas, eum ad ultimam usque guttam profundendo, ut illis gratias, regna, coronas merearis aeternas. Ah! quam felix ego forem, si amore tui sanguinem meum, atque adeo vitam pro vita possem fundere!

PUNCTUM II.

Hunc sanguinis sui calicem appellat Christus *calicem novi testamenti*, ad significandam novi supra vetus testamentum excellentiam: vetus enim solum innitebatur sanguini animalium, quatenus sanguinem Christi praesignabat: at novum innititur sanguini ipsius Dei-Hominis, in quo fundatum est, stabilitum et ejus morte solenniter confirmatum. Ponamus igitur ob oculos Jesum pridie passionis suae condentem testamentum, quo hominibus legavit omnes suos gratiae et gloriae thesauros, nec non suum illis sanguinem reliquit velut arrham et pignus factae promissionis, se illos in hoc mundo gratiis, in altero sua repleturum gloria.

O quam bene testamentum suum Christus Jesus appellat *novum!* revera enim aliquid *prorsus novi* est testamentum cujusdam Dei morientis, tam inaestimabiles filiis suis thesauros legantis, suamque donationem proprio sanguine obsignantis. Pignus seu tabulae, quibus suum erga nos amorem testatum voluit, plane sunt authenticae: cujus rei memoria continuo renovanda est, praesertim cum aut legimus, aut audimus missam, sub qua simul

cum Christo sanguinem ejus divino Patri offerre debemus certa cum fiducia id omne, quod in nomine Christi petierimus, obtinendi: dicere oportet suavissimo pietatis sensu: O Pater misericordiarum! si, licet omnium indignissimus, ausim tremendum majestatis tuae thronum accedere, id solo Filii tui auspicio ausim. En! Sacrosanctum ejus sanguinem, cujus vox et clamor non potest a te non exaudiri, offero tibi tamquam solenne instrumentum, quod ultimam ejus voluntatem continet, pignusque certissimum, me nunquam e divino corde aut conspectu tuo exclusum iri, si ad illud confugiam oculis tuis objiciens calicem sanguine pro tua gloria et mea salute profuso plenum. Hunc tibi offero ex toto corde, o Deus, et per dilectissimum tibi Filium obtestor, ut mea mihi remittas peccata et tuum largiaris amorem.

PUNCTUM III.

Addit Christus: *Qui* (sanguis) *pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

Ait 1. *Pro vobis*, ut singularem suum erga discipulos affectum declaret. 2. *Et pro multis:* h. e. *pro omnibus* omnino hominibus *in genere*, quantum ad sufficientiam: pro certo autem electorum numero *in specie*, quantum ad efficacitatem et fructum ipso actu et opere producendum. 3. *In remissionem peccatorum* prorsus sine ulla exceptione omnium, utut enormium, ita, ut possibile non sit peccatum, quod isto sanguine elui non possit. Porro, quae Christus dicit in genere, numquid etiam cuilibet dicit in specie ac particulari? Nonne et mihi dicit: En sanguinem pro te effusum! en tuae pretium redemptionis, tuae pignus salutis, balneum coeleste, in quo omnes peccatorum sordes possis abluere, ut sanctus et sine macula queas coram Patre meo comparere?

Quid autem, amantissime Jesu, tanto bonitatis tuae excessui rependam? Tu dignatus es extremos inter dolores tuum pro me sanguinem fundere, eundemque mihi quotidie in sacramento Eucharistiae donas clementissime.

Ah! inspira mihi, Domine, teneros erga passionem tuam affectus compassionis. Inspira dolorem immensum, quod illius fuerim causa: inspira ardens desiderium ejusdem fructus colligendi: et quoniam unica ejus guttula sufficit ad salutem totius mundi, unius valorem et virtutem guttulae illis, qui te necdum agnoscunt, benigne applica, eos lumine fidei illustrando: illos autem, qui te cognoscunt, amoris tui igne inflamma, ut hac ratione utrique per gratiam tuam sanctificati mereantur in tuam amicitiam et regnum coelorum recipi.

Sabbato.

Repete unam ex praecedentibus meditationibus.

Dominica Quinquagesimae.

Christus sanat caecum.

(Luc. 18, 35. sq.)

PUNCTUM I.

Cum Jesus appropinquaret Jericho, caecus quidam sedebat secus viam, mendicans: et cum audiret turbam praetereuntem, interrogabat, quid hoc esset. Dixerunt autem ei, quod Jesus Nazarenus transiret. Et clamavit dicens: Jesu Fili David, miserere mei. Et qui praeibant, increpabant eum, ut taceret. Ipse vero multo magis clamabat: Fili David, miserere mei.

Habes, anima mea, in hoc caeco imaginem peccatoris per ignorantiam et peccatum excaecati: in ejus vero oratione exemplar orationis, quae possit spiritualis nostrae caecitatis sanationem impetrare.

Juxta S. Bernardum duo sunt animae oculi, *cognitio et amor*. Utrumque excaecant tenebrae, quas inducit ignorantia rerum coelestium et concupiscentia terrenarum. Hoc in statu anima, ut caecus noster, *sedet* otiosa, negligens bonorum operum, unice intenta *emendicandis* creaturarum praetereuntium solatiolis. Opportunum tanto malo remedium est *oratio*, fide viva et constanti incensa

fervore, nullo turbanda casu, qualis fuit illa caeci, qui ab omnibus licet increpitus, assidue clamabat: *Fili David, miserere mei.*

Num autem et nos, haud minus ac iste caeci, cum eodem ad eum recurrimus, qui solus nos sanare valet et omnibus mederi malis? an pari oramus fiducia, fervore, constantia? nihilne nostram interrumpit orationem? Discamus a S. Bernardo, quatuor rebus nostram in oratione attentionem sufflaminari, nisi eas vel sedulo praevertamus, aut excutiamus generose. Sunt autem 1. tumultus vanarum cogitationum, quae sanctas praefocant. 2. Turbae et remorsus conscientiae, non cessantes cor lancinare ac distrahere. 3. Agmen miseriarum et necessitatum corporis nostri, retundentium vigorem animae. 4. Terrenae occupationes, curae et negotia, quae cor obsidentia impediunt, ne gustemus, quam suavis sit Dominus. Jam nos ipsos ingrediamur, dispiciamusque, an nullum ex his quatuor impedimentis cursum orationis nostrae impediat.

Imo omnia quatuor simul, Domine, deprehendo in me. In ipso orationis principio importunae animi evagationes mea tecum colloquia interpellant: silere jubent loquentem tibi: tibi vero loquenti cogunt aures obturare. Quantumcunque connitar mentem et intellectum colligere, oleum et operam perdo, nisi tu utriusque inconstantiam figas. Malacia et tranquillitas cordis non a meo pendet arbitrio: in tua solius potestate est ejus tumultum sedare et largiri tranquillitatem, ad te in oratione laudandum adeo necessariam. Interea, Domine, boni consule orationem, quam ad te fundo, utut distractam; nolim enim unquam ab orando desistere. Obsistat, increpet, obstrepat, oblatret mundus, caro, diabolus, ut sileam: minas eorum non moror, sed majore identidem fervore clamabo: *Jesu Fili David, miserere mei.*

PUNCTUM II.

Stans autem Jesus jussit illum adduci ad se. Et cum appropinquasset interrogavit illum, dicens: Quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domine, ut videam. Et Jesus dixit illi: Respice.

Licet Christus clamorem caeci perceperit auribus, initio tamen id dissimulavit, ut ejus probaret fidem et orantis acueret fervorem. Nihilominus eum haud diu torqueri passus, mox adduci jussit, ut oculos illuminaret.

O bone Jesu, sol justitiae, qui *obediens voci hominis* stas in medio cursus tui, ut desideratum caeco lumen reddas, meum clamorem audi, meamque sana caecitatem: *Domine, ut videam.*

Porro caecus se a Christo vocari audiens, *projecto* ocius *vestimento*, ob spem recipiendi visum exiliens, *venit ad Jesum.* En, quid in anima, quae vocanti Deo paret, operetur gratia vocationis. Omnia relinquit, ut morem possit gerere vocanti Deo, certa, se non vocari, nisi ut salutem et perfectionem acquirat. An et tu, anima mea, aeque parata es omnibus renuntiare, si Deus te vocat, sive ut mundum deseras, sive ut abneges temetipsum, quo majora coeli lumina in via sanctitatis recipias?

Eo felicitatis ut pertingam, tua, o Deus, solius est potestatis, non meae facultatis. *Respice* (alia re opus haud est, ut tuae fidelis obsequar voci), respice me: vel, ut caecum, me interroga: *Quid tibi vis faciam?* et sine mora respondebo: *Domine, ut videam*, non peritura mundi bona, sed ut solum te videam teque per lumen fidei cognoscam et amem; *haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum.* (Joan. 17, 3.) Da insuper, ut oculos omnibus terrenis claudam, nihil intuendo, praeter perfectiones conditoris. Da tandem, ut post hanc vitam clare videam te Deum in essentia unum, trinum in personis, atque adeo, quod ultra desiderem, nil habens, aeternam quietem ac beatitudinem in te reperiam.

PUNCTUM III.

Et Jesus dixit ei: Respice, fides tua te salvum fecit. Et confestim vidit et sequebatur illum, magnificans Deum.

Admirare, anima mea, tum honorem, quo Christus prosequitur fidem, huic tribuendo prodigiosam sanitatem, quae revera erat effectus omnipotentiae Christi: tum

perfectionem operum Dei, qui non contentus caeco visum corporis reddidisse, animi quoque oculos ei aperuit, ut relictis omnibus unice suo adhaereret archiatro: *sequebatur illum.* Nimirum satis non erat infinitae Servatoris bonitati lumen corporis misero donare, nisi animae caecitatem, utpote majus malum, simul abstergeret, suaque illustratum luce sibi adjungeret vinculo amoris sui.

Ita Christus agere consuevit cum animabus, quarum tenebras dispellit. Oculos et mentes illuminat, ut corda inflammet. Internis luminibus collustrat orantes, ut eos impellat ad imitandum virtutes, quarum exempla ipsis reliquit.

Et quis te possit cognoscere, quin amet? quis, quin sequatur te, o Jesu? monstrum certe hominis foret, qui tantis non vinceretur blanditiis, tantam non amaret bonitatem, tantam nollet imitari sanctitatem. Quamquam omnia, quae tibi praestare possumus, obsequia nihil sunt, si comparentur cum honore et gloria, quae in tui imitatores redundant; nam *gloria magna sequi Dominum.* (Eccli. 23, 38.) Da ergo, Domine, ut tam constanter te sequar in hac vita, donec te assequar, et possideam aeternum in altera.

Feria II.

Quos ritus observarit Christus Eucharistiam instituens.

(Matth. 26, 26. sq.)

PUNCTUM I.

Jesus in manus suas *accepit panem*, ut significaret, prodigiosam panis in corpus Christi conversionem opus esse 1. *omnipotentiae suae*, qua *Deus* erat. 2. *Potestatis infinitae*, quam a Patre qua *homo* accepit, quia *omnia dedit ei Pater in manus.* (Joan. 13, 3.) 3. *Liberalitatis immensae.* Uti a Patre coelesti *omnia expectant, ut det illis escam in tempore eoque aperiente manum suam omnia implebuntur bonitate* (Psal. 103, 27. 28.), ita Filius Patris de coelo descendens panem angelorum deduxit secum, ut nos enutriat: suas aperuit *manus*, ut in nos amoris sui thesauros effundat.

Et vero quid, obsecro, pretiosius dare nobis poterat, quam se ipsum, et una secum omnia gratiae dona? *dare se ipsum*, ajo, in pretium nostrae redemptionis, in alimoniam nutritionis, in socium peregrinationis? O prodigium omnipotentis erga nos caritatis! o admiranda *mutatio dexterae Excelsi!* (Psal. 76, 11.) Exulto, Servator mi, et gaudeo de infinita manuum tuarum potestate. Hoc, quod hodie patrant, miraculum longe majus est illo, quod operatae sunt in deserto, panes multiplicando ad ingentem hominum vim satiandam. Prodigiosi panes illi solum nutriebant corpus: at productus hodie in tuis manibus *panis coeli* virtute pollet ipsas alendi et corroborandi animas.

Ah! in me quoque produc eundem effectum, amantissime Jesu, et per conversionem, quam nemo praeter te solum potest efficere, me totum transforma in te, nutriendo me per mysticum hunc panem, seu per te.

PUNCTUM II.

Post acceptum in manus suas panem *elevavit oculos in coelum*, ut nos erudiret, panem, quem hominibus modo daturus esset, non terrenum, sed *coelestem* esse panem, panem angelorum, panem supersubstantialem, donum Patris aeterni, manna absconditum, fidelibus per illa verba promissum: *Non Moyses dedit vobis panem de coelo, sed Pater meus dat vobis panem de coelo verum.* (Joan. 6, 32.) Item oculos levavit in coelum, ut nos doceret corda nostra illuc erigere, suoque exemplo grates agere Patri suo ob inaestimabile beneficium, quo per manus Filii sui nobis panem vivum distribuit.

O quantas hac occasione grates divino Patri egerit Christus! Si enim id egit in deserto ob multiplicatos aliquot panes, quibus hominum quinque milia pavit, quanto amplius id fecerit ob panem vitae, quo dilectum sibi populum pascit in deserto mundi? Ille, ajo, qui melius cunctis noverat, grates magnitudini beneficii pares esse referendas. Nos ergo si pares et dignas referre Deo haud possimus, offeramus ei, quas Christus obtulit grates, et sacramentum hoc suscipiamus ut sacramentum *Eucharistiae*, h. e. *gratiarum actionis.*

Pater adorande! Pater Domini mei Jesu Christi! immensas tibi grates ago ob donum longe pretiosissimum, quod mihi in Eucharistia seu corpore et sanguine Filii tui dignatus es dare. At enim quam exigua, imo nulla est proportio inter ineffabile liberalitatis tuae donum, et inter gratiarum actionem vilissimi terrae vermiculi! Illis digne per me ipsum agendis dum plane imparem me video, solatio est, quod perficere id possim per Filium tuum in escam mihi datum. Hujus igitur actiones gratiarum tibi offero, et humillimo gratae mentis affectu cum propheta dico: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi? Calicem salutaris* (Servatoris mei) *accipiam, et nomen Domini invocabo.* (Ps. 115, 3. 4.)

PUNCTUM III.

Denique panem *benedixit*, *ac fregit*, *deditque discipulis suis et ait: Accipite*, *et comedite:* Hoc est corpus meum.

Jesus *benedicendo* panem non solum rogavit Patrem, ut instantem panis in corpus suum transsubstantiationem operaretur, sed et ipse suam demonstravit potentiam, dum per verborum suorum vim ac virtutem momento panem convertit in carnem suam, in fontem vitae et benedictionis. *Fregit* panem, ut ostenderet, frangendo panis species non frangi corpus Christi, quod omnibus dat integrum. Suis illud *tradit* discipulis manducandum: *manducate*, ut fiant unum cum ipso. O prodigiosos benedictionis Christi effectus! o donum sane pretiosissimum, per quod se totum tradit ac indivisum! o amorem Dei nostri ineffabilem, qui ad mensam suam non solum invitat vilissimos terrae vermiculos, sed et praecipit, ut accedant et carnem suam manducent.

Sine expresso hoc mandato, quod mihi imponis, o rex regum, auderemne miser ego peccator unquam ad divinum hoc epulum accedere? Aut an possim nunc me illi subtrahere post expressum clare mandatum accedendi, tuamque carnem manducandi? o Jesu dulcissime! quoniam tu ita vis: quoniam et amor, et auctoritas tua me urgent, divinum hoc corpus suscipiam, adorabo, manducabo, ut tibi obsequar, et tua fruar

praesentia, nullus dubitans, quin tuae abundantia misericordiae supplere sis dignaturus, quidquid mihi defuerit ad te digne suscipiendum.

Feria III.

Christus proditorem suum insinuat super mensam.

(Joan. 13, 21. sq.)

PUNCTUM I.

Videns Jesus recumbentem inter discipulos proditorem suum, *turbatus est spiritu et dixit* non sine interno doloris sensu: *Amen, amen dico vobis: Quia unus ex vobis tradet me.*

Quis majori unquam jure turbatus fuit, quam Christus? In mensa praesentem intuebatur, quem summe dilexit, ad summos in terris honores, ad munus Apostoli evexit, suorum fecit participem arcanorum, potestate insignivit patrandi miracula; praesentem, inquam, intuebatur hunc ingratum, barbarum, obstinatum, reducem a venditione magistri facta capitalibus inimicis, nihilominus eo impudentiae provectum, ut mensae Christi accumbere, ejusque sacrosanctum corpus manducare non abhorruerit. Crimen adeo detestandum utique sufficiens erat causa et motivum turbandi spiritum Christi, in amaritiem vertendi ipsum omnis laetitiae fontem.

Justa enimvero et infinite justa fuit commotio tua, o Jesu: at quam moderata fuit simul et prudens! imo caritatis plenissima. Quanta usus es circumspectione, quanta discretione, quanta mansuetudine in medio justissimae indignationis! Scelus manifestas: tegis scelestum. Proditionis atrocitatem prodis, sed tantum, ut corrigas proditorem. Quod conceptum animo enorme crimen luce meridiana clarius videas, proditori insinuas, ut ad poenitentiam et palinodiam permoveas obstinatum. Affatim ostendis, quod vehementius tibi doleat infausta discipuli sors, quam tua magistri mors, cui te statuit tradere. Enimvero ut adeo paterna, adeo amica, adeo

suavi, utereris correctione, tui, o Jesu, opus fuerat cordis bonitate, nimirum vere divina.

PUNCTUM II.

Quid autem discipuli ad tam triste magistri nuntium? *Contristati valde*, ait S. Matthaeus (c. 26, 22.), *coeperunt singuli dicere: Numquid ego sum, Domine?* Ipse adeo Judas, licet cogitati sceleris male sibi conscius, effronter ausus est idem interrogare: *Numquid ego sum, Domine?* Jesus solita caritate, absque ullo indignationis signo, submissa nonnihil voce *ait Judae: Tu dixisti.*

En, anima mea, en discrimen probos inter et obstinatos in scelere. Bonarum mentium est ibi culpam timere, ubi nulla est, quia amor, quo in Deum feruntur, vel umbram peccati horrere facit, imo contristari audita solum aliena numinis offensa. Contra in malo obstinati sine verecundia, metu aut conscientiae remorsu viam iniquitatis decurrunt, ad enormia quoque scelera imperterriti.

O mi Deus! sanctum tam luctuosae obstinationis horrorem mihi inspira, vitamque prius mihi auferas, precor, quam ut in extremum hoc malum prolabi me sinas. Emolli cor meum unctione Sancti Spiritus tui, ut igne amoris tui liquefactum nil aliud, nisi majus tuum quaerat beneplacitum; timeat nihil, nisi displicere tibi. Quodsi infelix (averte, quaeso, id mali) tuae oblitus legis iram in me tuam provocarem, etiam tunc tuae memor esto misericordiae. Tam vivis enorme ingrati animi vitium coloribus mihi depinge, ut nec momento differam meos compensare defectus, imo sanguineis eluere lacrimis.

PUNCTUM III.

Et post buccellam statim *introivit in eum* (Judam) *satanas.*

Vide, quam exitiosum sit in statu peccati mortalis sumere panem vitae, quamque funestos casus post se trahat sacrilega cummunio. Proditor, quem Christus possidere debebat, vere a diabolo obsessus *continuo exivit* e coenaculo, agitatum mente crimen executioni man-

daturus. Superi! in quae flagitia non proruit, qui vel semel divina sacrilege polluit mysteria, aut a Deo derelictus est!

Illud autem justis, ob illatas Deo per peccata injurias afflictis, magno est solatio, quod ejus providentia certissime Dei gloriam ex illis eliciat. Sic ipse Jesus, cum Judas societatem Apostolorum deseruit, ajebat: *Nunc clarificatus est Filius hominis et Deus clarificatus est in eo . . . et continuo clarificabit eum.*

Ita est: Filius Dei se reputat glorificatum per Judae proditionem, quia haec ipsa initium erat passionis ac mortis, per quam Filius Patrem, Pater autem glorificare debebat Filium per triumphum gloriosae resurrectionis.

Quam tu mihi doctrinam hic tradis, divinissime magister? Doces nimirum, quo mentis oculo et cordis affectu intueri ac aestimare debeam humiliationes tuas et ignominiam crucis. Ne ego degener forem et indocilis discipulus, nisi cum Apostolo deinceps propter te *gloriarer in infirmitatibus meis*, *in contumeliis*, *in necessitatibus*, *in persecutionibus*, *in angustiis*, pro nomine tuo sustinendis. (II. Cor. 12, 5. 10.) Absit ergo, o Jesu, *absit mihi gloriari*, *nisi in cruce*, opprobriis, afflictionibus. (Galat. 6, 14.)

Feria IV. seu die cinerum.

Meditatio mortis in illa verba: Memento, homo, quia *pulvis es et in pulverem reverteris.* (Gen. 3, 19.)

PUNCTUM I.

Quid fui? pulvis et limus terrae. Poterat Deus, sicut animam, ita et corpus meum creare ex nihilo: sed maluit illud *formare de limo terrae*, de materia vili, abjecta, palpabili, tum ut originis vilitatem meis quotidie sensibus objiceret: tum ut me ad conditoris amorem excitaret. Frustra igitur glorior de meis natalibus, de venustate corporis, de honorum ac dignitatum fastigiis. Ex eadem mecum materia limi est quisque mortalium abjectissimus, deformissimus, postremus. Fructum ex hac limi originalis consideratione hunc oportet colligere, ut

discam me humiliare terra et limus et sub omnium pedibus me incurvare. (De imit. Christi l. 3. c. 13.)

Equidem ista dicere, scribere, docere arduum non est: at in opus et praxin deducere, hoc opus, hic labor est. Tu solus, o Jesu, potes efficere, ut doctrina a naturae sensu tam aliena profunde in cor meum descendat et mirabilem abjectionum amorem excitet.

Pulvis, ex quo prodii, non solum humilitatis magister, sed potens insuper motivum est laudandi atque amandi conditorem, qui per prodigium omnipotentiae ac bonitatis suae operi adeo vili suam impressit imaginem.

Quas autem tibi grates idcirco reddam, Domine? profecto, quae magis tibi placeant, non possum reddere, quam ut, quoties oculos ad coelum sustollo, toties eos in me ipsum reflectam, tanti auctorem operis laudem, te amem in me, me vero solummodo propter te et gloriosam, qua me condecorasti, tui imaginem summa semper sollicitudine conservem incontaminatam.

PUNCTUM II.

Quid futurus sum? pulvis: *in pulverem revertar.* Hanc Deus sententiam tulit contra Adamum et omnes ejus posteros ob tres potissimum causas. 1. Ut disceremus, quam grande malum sit peccatum, quippe quod unum meruit et suffecit, ut corpus, tam elegans, tam excellens manuum divinarum opus adeo probrose destruatur teste Apostolo: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit et per peccatum mors et ita in omnes homines mors pertransiit.* (Rom. 5, 12.) Egone, si istud rite considerarem, levitate tanta possem peccare? 2. Ut perpetuam superbiae medicinam in nobis circumferamus et, sin minus ex intuitu originis, saltem ex fine, in quem desinimus, humiliemur. Certe pulvis sepulchri est terminus et sepulchrum omnis fastus et pompae hominum, bonorum terrae omnium. Deberem frequenter mihimet dicere: Hodie pedibus tero pulverem terrae, cras ab aliis calcandus. Ad mortem damnatus et in momenta expectans sententiae executionem, unde, quaeso, superbiat? 3. Ut haec mortis sententia nobis esset virtutum calcar, frenum passionum, stimulus poeni-

tentiae: hinc Spiritus Sanctus ait: *In domo pulveris pulvere vos conspergite* (Mich. 1, 10.): h. e. vos, qui in corpore vivitis, quod nihil nisi pulvis est, sacco et pulvere vos cooperite, et in hoc poenitentiae habitu vos Deo sistite ad mitigandam ejus iram.

Obsequar, Domine. In isto habitu coram te imposterum comparebo, tuaque fretus bonitate et oraculo certus sum, quia *cor contritum et humilitatum non despicies.* (Psal. 50, 19.)

PUNCTUM III.

Quid modo sum? pulvis. Nonne hanc veritatem aperte per se ipsum et per Ecclesiam suam nos docet Deus, dicens: *Memento, homo, quia pulvis es?* NB. non ait: Memento, quia pulvis *fuisti, erisque:* de pulvere conditus et in pulverem reversurus: sed ait: Memento, quia *pulvis es* etiam nunc et actu.

O quam solidum haec res cunctis hominibus humilitatis fundamentum et causa est! solidius tamen adhuc mihi, quod ego per peccatum eo vilitatis me ipsum abjecerim, ut aeque sim terra et pulvis ob meas ad terrena et vilia propensiones, quam sim ob materiam, e qua sum conditus. Eam ob causam non solum pulveri similis, sed revera *pulvis sum* levissimus, qui me omni vento tentationum, praesertim vento superbiae ac inanis gloriae auferri sum passus *tamquam pulvis, quem projicit ventus a facie terrae.* (Psal. 1, 4.) Quid abjectius? quid imbecillius? quid inconstantius? *Quid ergo superbis, terra et cinis?* (Eccli. 10, 9.)

Atque ita me ipsum debeo frequenter interrogare, ut ex ipsis infirmitatibus meis efficacem superbiae medicinam eliciam. Sed enim haec efficacia non aliunde, quam a gratia tua potest, o Deus, nasci. Equidem sincere ac firmiter statuo salutarem hunc pulverem continuo in capite meo circumferre: at tu solus potes efficere, ut in cor usque penetret. Clamabunt utique ossa, calvariae, cadavera mortuorum e sepulchris: sententiam mortis et pulveris assidue mihi occinent: attentas praebebo aures voci eorum: at ex illa, nisi tuam quoque jungas, fructus hauriam nihil. Memor ero, ut jubes,

quod sim pulvis: at dignare tu pariter, quod pulvis sim, meminisse, ut meae miserearis imbecillitatis. Ah! fragili huic argillae infunde spiritum gratiae tuae, ut ejus motum semper valeat conservare et sequi.

Feria V.

Apostoli inter se de principatu contendunt.

(Luc. 22, 24. sq.)

PUNCTUM I.

Simul atque Christus Apostolis edixit, se continuo a Patre suo glorificandum, mox a spiritu ambitionis excitata *et facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse major* et honoratiore apud magistrum loco dignior.

Superi! quo non penetrat spiritus ambitionis et cupiditas honorum, cum ipsa Apostolorum corda occupet et quidem eo ipso tempore, quo ob proditionis et passionis Christi praedictionem toti adhuc tristitiae erant immersi et tot rara humilitatis exempla in eo intuiti! Numquid haec ambitionis pestis penetrat ipsa religiosorum claustra, quae tamen sunt scholae humilitatis et humanae sepulchra gloriae?

Anima mea, ut vitium tam commune, quam perniciosum declines, audi, quid Christus dixerit ad inhibendam futilem discipulorum contentionem: accipe dogma mundo contrarium: *Qui major est in vobis* et talis in regno meo fieri cupit, *fiat sicut minor et qui praecessor est, sicut ministrator:* quo dicit oportet omnem gloriam, honorem et praerogativam ponere in humilitate, praelationes vero ac primatum considerare non ut dignitates seu jus imperandi caeteris, sed ut officia ad reliquis serviendum obligantia.

Quantas tibi grates debeo, o Jesu, pro tam salubri instructione et remedio superbiae! Ut de necessitate humiliandi me penitus convincar, alia re opus non est, quam tuum intueri exemplum, qui formam servi accipiens abjectissima exerces officia, etiam usque ad lavandos

discipulorum pedes demissus. Aequissimum proin est, ut signatam a te humilitatis viam ambulem, si tuae cupiam gloriae particeps fieri. Ita sane me doces, dum ais: *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum:* quo dicit sub ista conditione, ut tecum mereamur illud per humiliationes ac aerumnas. Accepto, Domine, conditionem aequissimam, licet naturae gravem, nunquam aliis majorem me, ac magis beatum aestimaturus, quam cum plus aliis propter te contemptus fuero et pessime habitus.

PUNCTUM II.

Neque tamen ex integro superbiam Apostolorum sanavit adhibitum a Christo remedium. Ambitionem excepit praesumptio; postquam enim ipsis praedixerat: *Omnes scandalizabimini in me in nocte ista* passionis meae et derelinquetis me. Id fore praefidentes negabant singuli. Petrus reliquis audacius protestans: *Etsi omnes,* ait, *scandalizati fuerint in te: sed non ego. Et ait illi Jesus: Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac, priusquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus.* (Marc. 14. 27. sq.)

En poenam praesumptionis, seu nimiae sui confidentiae! Sicut sibi praefidens propriis innititur viribus, aliis sese anteponit etc., ita suam experitur imbecillitatem et in lapsus tanto funestiores impellitur, quanto securiorem a lapsu se putabat.

Ita sane Petrus, qui se jactaverat immobilem et a magistro, licet omnes eum desererent, nunquam defecturum, fugientibus reliquis non tantum et ipse aufugit, verum etiam ter ipsum negavit. Eheu! quis non contremiscat, videns tantam Ecclesiae columnam prosterni, ipsam Ecclesiae petram emolliri! Discamus hinc nunquam nobis praefidere, nemini nos praeferre. Imo discamus nobis diffidere et Deum afflictim rogare, ut sua nos gratia assidue sustentet.

Ab hac sola, o Deus, omnem meam expecto fortitudinem et constantiam; ex me ipso enim nihil sum, nisi imbecillitas. Utique adverto in me promptam tibi fideliter serviendi voluntatem: at non minus sentio,

quam levis sit et inconstans: sentio, quam infirma sint mea animi proposita. Tu ea inspirasti: tuum quoque est ea reddere efficacia. Quotidie renovabo illa: neque tamen (ita mea mihi praesagit imbecillitas) servabo, nisi tu robores cor meum; etenim si illud sibimet reliqueris, brevi a te, quia leve et inconstans, aufugiet, tuaque destitutum gratia et protectione innumeras committet infidelitates.

PUNCTUM III.

Aliud praeterea documentum Christus nominatim Petro et in Petro omnibus dedit Apostolis in his verbis: *Simon, Simon! ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.*

Christus declarat Petro, quod diabolus a Deo petierit, atque etiam obtinuerit potestatem tentandi ejus fidem, non tamen extinguendi penitus: atque hoc se petiisse a Patre suo, ac impetrasse. Docet per hoc Servator, quod daemon nihil possit in nos, nisi Deo permittente, qui, utpote magis Pater, quam omnes alii patres, daemoni facultatem non concederet nos tentandi, nisi nostrum cum tentatione proventum intenderet, nos per tentationes magis purgando ut triticum, quod per cribrationem separatur a lolio et palea.

Scrutare, anima mea, totam verborum Christi animam et sensum. Firmiter tibi persuade, tentationem cribrum esse, quod daemon cum violentia et furore circumagit, non ut purget nos, sed ut perturbet ac dissipet. At (quod solatio esse tibi debet) recordare simul, quod divinae oculus providentiae cribrum sine ulla intermissione consideret, ejus dextera te vehementius agitatam sustentet, daemonis manus contineat, ejus furorem reprimat, adeo, ut tota Orci violentia non possit animas perdere, sed purgare solum et perficere.

O Pater misericordiarum! major profecto tua est bonitas, quam ut nos permittat furori daemonis, jurati salutis nostrae inimici. Nostrum ille intendit exitium: tu tentationem permittis solum, ut *facias cum ipsa tentatione proventum*, nos purges et panem efficias

tuis acceptum oculis. Assiste mihi continuo, o Jesu, ut me defendas et corrobores pugnantem cum meo tuoque inimico. Fac, ut nunquam mihi fidem auferat et caritatem. Da, ut me tentationes perfecte repurgent a peccatorum zizaniis et faciant insignes exercere virtutes.

Feria VI.

Sermo Christi post coenam ultimam.

(Joan. 15, 9. sq.)

PUNCTUM I.

Christus huic sermoni initium facit Apostolos exhortando ad amorem Dei: *Manete*, ait, *in dilectione mea.* Hanc ut persuadeat, rationes addit ac motiva prorsus efficacia, 1. suum erga ipsos amorem: *Sicut dilexit me Pater et ego dilexi vos.* Praemium dilectionis: scilicet *si quis diligit me et Pater meus diliget eum et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus* (Joan. 14, 23.), ut fiat quasi tabernaculum SS. Trinitatis, sua illi arcana, gratias et favores communicantis.

Tune aliquando, anima, rite perpendisti contentas hasce in Dei dilectione praerogativas et emolumenta? Quid? parumne tibi est, in paucis dilectum et gratiosissimum esse regi coelorum? singulariter ab eodem redamari? fieri sedem et habitaculum SS. Trinitatis? familiariter cum illa loqui, agere, conversari? Certe num vilis creatura tantos unquam favores vel sperare potuisset, nisi ipsa veritas eos fuisset pollicita? Nunc autem, postquam Deus tam illustres praerogativas et praemia se diligentibus confert, fierine possit, ut detur cor humanum, quod post tantam Deum amanti promissam mercedem Deum non amet?

Verum quid opus est, o Jesu, tanta nobis polliceri et proponere bona, ut nos ad tui amorem pertrahas? Numquid ipse amor sibi, teque amantibus sufficiens est praemium ac remuneratio? Deinde, mi Deus, si aliud ex tui amore emolumentum non caperemus, quam quod amorem amori reddamus, adeo tenere amati a te, an detrectare possemus te vicissim amare super omnia?

Non utique, Jesu amabilissime, non est nobis cor adeo durum, adeo omnis humanitatis et sensus expers. En! incipimus jam te ex totis viribus diligere! et quoniam tuorum observatio mandatorum est certissima amoris nostri erga te contestatio, omni, qua poterimus, fidelitate ad amussim ea observabimus.

PUNCTUM II.

Praecepto amoris Dei essentialiter et natura conjunctum est praeceptum amoris proximi; hinc sedulo monuit Christus: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem.* (Joan. 13, 34.) *Novum* appellat, quia prope abolitum resuscitavit collapsumque ad summam erexit perfectionem. *Suum* vocat (*hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem*), quia est fundamentum *novae legis*, quae tota quanta est *lex amoris*, prae omnibus aliis Christo cara. Imo nuncupat insigne suorum et characteristicam discipulorum: *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis; si dilectionem habueritis ad invicem.* (Joan. 13, 35.) Dignoscuntur discipuli Moysis ex observatione ceremoniarum legalium: discipuli Joannis Baptistae ex asperitatibus poenitentiae; at discipulos Jesu Christi discernit mutua caritas. Frustra igitur gloriamur nos esse in schola Christi, si primam ejus lectionem de dilectione fratrum non didicimus paratique non simus vel sanguinem fundere pro eorum salute.

Id sane tuo nos exemplo docuisti, o Jesu, te ipsum pro nobis immolando in ara crucis. Ibi ad ultimam usque guttulam tuum profudisti sanguinem pro ipsis etiam inimicis, ut in fideles amicos mutares. Mihi quoque perfectissimum hunc largire amorem, ut meum diligam proximum, sicut tu amasti me, atque adeo nec sanitati, nec vitae meae parcam, quando agitur de salute animarum pretiosissimo sanguine tuo redemptarum.

PUNCTUM III.

Expleto magistri officio Christus *consolatorem* quoque agit, discipulos contra persecutiones in sua absentia ex odio Judaeorum superventuras praemuniendo, dum 1. asseverat, illorum preces, maxime in

nomine suo factas, a Deo Patre suo exauditum iri: *Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis.* 2. Dum eos animat ad tolerandas persecutiones, has proponendo ut comites aut pedisequas omnium fideliter sibi servientium et ut signa separatorum a mundo. 3. Dum suam illis spondet protectionem, Patris sui amorem, mundi ac tentationum victoriam, brevitatem tristitiae ac malorum, at aeternitatem gaudii ac praemiorum.

Non solis autem Apostolis, sed in eorum persona nobis quoque eosdem in persecutionibus fontes consolationum aperuit Christus. Solum opus est in nomine dilectissimi Filii coelestem adire Patrem; et certo certius aut malorum mitigationem, aut gratiam impetrabimus ea forti animo tolerandi. Si mundus nos male tractat, non turbemur: mitius non egit cum Domino: *Non est servus major Domino;* imo gloria servi est portare insigne Domini. Quid porro nobis metuamus ab hoste tam debili? tecti clipeo et defensione omnipotentis, certi sumus de victoria et triumpho.

O ter faustas igitur persecutiones, quarum tam gloriosa est causa, quaestus adeo immensus, dum nos Christo Jesu reddunt similes et dignos mercedis aeternae! Ne igitur permittas unquam, o Deus, ut illas vel erubescam, vel repugnante feram animo, utpote quibus me plus honorari aestimo, quam onerari, nunquam illas cum mundi blanditiis permutaturus. Noli igitur, Domine, mihi parcere: at tuae simul memento promissionis: tuae, inquam, me clipeo protectionis defende: pugna mecum et pro me: praemium victoriae non peto aliud, quam ut tu et Pater tuus me juxta promissionem tuam diligatis.

Sabbato.

Oratio Christi post coenam.

(Joan. 17, 1. sq.)

PUNCTUM I.

Jesus, qua homo, *sublevatis oculis in coelum dixit: Pater! venit hora: clarifica Filium tuum, ut Filius*

tuus clarificet te. Proponit Christus perfectae exemplar orationis, *quid*, *pro quibus*, *quomodo et quo ordine* aliquid in oratione petendum.

Nota autem 1. Christi in orando attentionem et reverentiam; orat enim *sublevatis in coelum oculis.* 2. Fiduciam et teneram erga Patrem animi affectionem, quae ex verbo *Pater* elucet. 3. Materiam et argumentum orationis. Petit a Patre glorificari miraculis in sua passione, morte et praesertim in resurrectione et ascensione patrandis: item promulgatione sui Evangelii, suique nominis exaltatione in toto terrarum orbe. Ut autem ostenderet, ista peti a se non ob suam, sed Patris gloriam, adjecit: *ut Filius tuus clarificet te.*

Tune parem exemplo Christi reverentiam ac devotionem in oratione praetefers, anima mea? tuamne ejus orationi conjungis coelestem orando Patrem, ut suum glorificet Filium accendendo barbaris ac infidelibus lumen fidei, quo credant in eum et adorent tamquam unigenitum Dei Filium et ita Patrem glorificent in Filio?

Hanc orandi formulam nobis aliquoties applicemus; nobis enim ut filiis adoptivis fas est coelestem rogare Patrem, ut glorificetur in nobis, quia hoc alio fine non fit, quam ut tota, quam petimus, gloria in ipsum redundet.

O Pater misericordiarum, si indignus sum me tuum vocare filium, tuum saltem me appellabo servum. Hunc igitur, Domine, glorifica, ut vicissim te glorificet. Quam beatus forem, si possem in mortis articulo tibi dicere: *Pater! venit hora; glorifica me, ut et ego glorificem te.* Ah! ut tunc ita orare ausim, utique opus foret tibi fideliter servisse et cum Filio tuo posse tibi dicere: *Ego te glorificavi super terram; opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam: nunc ergo clarifica me* in ultimo vitae et temporis momento, ut ego glorificem te in omni aeternitate.

PUNCTUM II.

Christus orat secundo pro discipulis suis, dicens: *Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi: quia tui sunt.*

Per *mundum* intelligit reprobos, qui, utpote inimici et rebelles Deo ac legi, sua culpa non erant digni, ut singulariter pro iis oraret *efficaciter*, seu oratione salutem eorum operante, qua ratione oravit pro discipulis, sciens amicos esse Patris sui electosque: *tui sunt:* h. e. singulariter amas eos protegisque.

Utamur et nos hac orandi methodo, dicentes cum Davide: *Tuus sum ego, Domine: salvum me fac.* (Psal. 118, 94.) Salva animam meam; Tua est enim, aeterne Pater, quia opus manuum tuarum. Salva eam, Fili divinissime, quia tui pretium est sanguinis. Ne permittas, quaeso, ut daemon tibi eam eripiat, sed ora pro illa; nam si tuae fuerit particeps orationis, erit et tuae particeps beatitudinis.

Praecipue autem videamus, quid Christus a Patre suis petat discipulis. *Pater sancte*, ait, *serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut et nos . . . Non rogo, ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo. Sanctifica eos in veritate.* Petit igitur, ut perfecte Deo et inter se uniantur, a malo peccati praeserventur, vere sanctificentur, non ficte aut per hypocrisin.

Easdem, o Jesu, pro me gratias pete a Patre tuo: scilicet caritatem sinceram, cordis puritatem ab omni etiam levi macula immunem et perfectam animae meae sanctificationem. Tu vero, Pater supreme, exaudi, quam Filius tuus pro me fundit, orationem. Non rogat, ut me tollas de mundo et subtrahas persecutionibus, quia, ex quo eas ipsemet toleravit, nil mali amplius in se continent. Solum, a quo me praeservari petit, est malum peccati: solum vero bonum, quod petit pro me, meae est sanctificatio animae per omne virtutum genus, ut unionis, quae datur inter vos, particeps fiam et hac ratione per vinculum perfecti amoris permaneam unitus Patri, Filio et Spiritui S. Amen.

PUNCTUM III.

Orat Christus tertio pro omnibus fidelibus, dicens: *Non pro eis autem* (discipulis) *rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum*, seu praedicationem, *eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in*

me et ego in te: ut et ipsi in nobis unum sint, ut credat mundus, quia tu me misisti.

Oravit ergo pro cunctis fidelibus, et quod consequens est, pro singulis et pro nobis in particulari. Gratia, quam petiit, est intima et constans unio inter nos et cum Deo: unio tam perfecta, quae locum prodigii obtineat, sufficientis ad conversionem totius mundi, et ad convictionem infidelium, ut credant, quod nemo, nisi verus Deus, habere possit discipulos tam prodigiosa inter se caritate conjunctos.

O Pater misericordiarum! Adhuc semel audi vocem et preces Filii tui, qui pro nobis intercedere et paternum cor tuum pulsare dignatur. Ineffabilem hanc unionem nobis largire, quae te cum Filio tuo facit unum. Eandem largire omnibus religiosis, ut mundus intelligat, Spiritum Sanctum velut animam in illis habitare. Omnibus quoque Christianis partem hujus concede unionis, ut infideles ea attoniti efficax reperiant motivum fidem et legem tuam amplectendi. Denique huic *Filio dilectionis tuae* concede, ut perfecte *consummati in unum*, per puram et fervidam caritatem in te et in ipsum transformemur.

Dominica I. Quadragesimae.

Christus tentatur in deserto.

(Matth. 4, 1. sq.)

Vide meditationem die Veneris post Dominicam III. post Epiphaniam pag. 62.

Feria II.

Tristitia Christi in monte Oliveti.

(Matth. 26, 37. 38.)

PUNCTUM I.

Sub finem sermonis sui post coenam ait Jesus discipulis suis: *Ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio: surgite; eamus hinc.*

Prolatis hisce verbis amore, obedientia et magnanimitate plenis e coenaculo in hortum Gethsemani discessit, ut *in horto*, unde mors oriebatur, inde vita et salus hominum resurgeret. Hortum hunc in valle ad pedem Oliveti situm et genuinum misericordiae Servatoris typum, elegit Christus in primum passionis suae theatrum. Eo vix delatus *coepit contristari et moestus esse.* Causa et fons tristitiae erat viva et horrore plena imaginatio, futuros cruciatus veluti jam praesentes vivacissime ipsi objiciens, adeo, ut majorem tristitiam taediumque acerbius nemo hominum unquam senserit, nemo possit fingere.

Haec signa infirmitatis, anima mea, in illo, qui est fortitudo imbecillium, effectus sunt stupendae erga nos caritatis. Vult ipsemet omnes nostras experiri infirmitates ac miserias, ut nos doceat easdem sufferre. Hinc omni laetitiae sensuali aditum praeclusit, inaudito quodam miraculo inhibens cursum omnis gaudii et consolationum, quae via naturali debebant cor Christi inundare, utpote visione beatifica fruens. E contrario illud sinit affectibus contrariis, iisque vehementissimis et integro amaritudinum torrente absorberi, ut nos instrueret, qui utendum hujus mundi afflictionibus.

O Jesu, gaudium et deliciae angelorum, cur tanto dolorum oceano innatas? Siccine, ut tristitiam nostram convertas in laetitiam, opus est laetitiam tuam convertere in tristitiam? Laudent omnes beati spiritus et in aeternum laudent ineffabilem caritatem tuam, quae omnibus te cumulat malis, ut solas servis tuis relinquas consolationes et delicias. Ah! da mihi, obscero, verum amoris et gratitudinis spiritum, qui me tam valide, tam arcte tuis adstringat servitiis, ut nec timore, nec taedio, nec tristitia inde avellar.

PUNCTUM II.

Multo amplius cor Christi turbavit 1. aspectus omnium, quae erant partim jam perpetrata, partim deinceps perpetranda, peccatorum, quae Pater humeris ejus imposuit, numero et gravitate enormia. 2. Aspectus exigui sane fructus ex passione et morte sua ab hominibus

colligendi. 3. Aspectus aeternae damnationis innumerabilium animarum, quas suo redempturus erat sanguine. 4. Reprobatio Judaeorum, electi a Deo populi. 5. Damnatio Christianorum sine numero, qui velut totidem membra a mystico Christi corpore per daemones ob tot spolia triumphaturos violenter essent avellendi.

Erimusne et nos ex infelici horum numero, quorum avulsio tanti causa doloris fuit amantissimo capiti nostro? Ah! tanta atrocitate cor Jesu saltem afflixit 1. aspectus meae ingratitudinis, infidelitatis, impietatis. 2. Praevisus in Dei servitio torpor meus, licet Jesus de promovenda perfectione mea adeo sollicitus, tot eum in finem gratias mihi promeruerit. 3. Summa, quam hodiedum foveo, mea ingratitudo. 4. Exiguus crucis amor. Haec, inquam, et similia fatale Christo taedium conciliarunt.

At quantum doleo, Jesu mi, quod per mea ego peccata, per teporem meum tanta te affecerim tristitia! O si possem penitus destruere in corde meo, quidquid tuum affligit! Ah Domine! da mihi cor novum, cor purum et fervens, quod non nisi laetitiam tibi possit afferre. Da mihi cor tuo ardens amore, quod nulla re imposterum delectetur, nisi communione crucis et passionis tuae.

PUNCTUM III.

Tandem immensos cordis angores tribus, quos secum assumpserat, discipulis manifestavit, dicens: *Tristis est anima mea usque ad mortem. Sustinete hic et vigilate mecum:* h. e. tristitia mea par est tristitiae, quae morientes solet obruere: adeo violenta est, ut vitam mihi adimeret, nisi eam ultro majoribus tormentis et crudeliori sustinendae morti reservarem. Vah! quanti ergo ponderis debet esse malum, quod Filio Dei acerbiorem ipsa morte tristitiam possit afferre!

Malum hoc, anima mea, est sola et quaelibet noxa lethalis, quam tu tam facile ac ridenti ore perpetras. Ut tuo indulgeas genio, sensui, voluptati, adeo immane cordi Jesu infligis vulnus, ut ejus atrocitatem nunquam potuisses cognoscere, nisi suis eam discipulis Jesus ipse aperuisset. Felices sane discipulos, quorum in sinum Deus ipse

afflictissimum cor suum vult effundere, ut solatii aliquid inveniat! Sed et nos aliquid solatii Christo possumus aspergere, si partem passionis in nos transferamus, si *sustineamus* cum ipso, *vigilemusque.*

O consolator afflictorum optime! quis in eam te derelictionem ac miseriae barathrum demersit, ut solatiolum aliquod a tuis emendicare creaturis tandem cogaris? Tuis discipulis manifestando angores voluisti utique excessum amoris, quo pateris, prodere, eorum commiserationem elicere, animare gratitudinem, desiderium pro te patiendi accendere.

Ah! eosdem, quaeso, affectus in me excita, praesertim ingens omnis mundanae voluptatis ac laetitiae taedium. Fac, ut anima mea sanctas amaritudines tuas degustet. Conserva in me, quam gratia tua (sentio) indidit, mentem ac voluntatem desolationes et passionem montis Oliveti semper imposterum praehabendi deliciis in monte Tabor.

Feria III.

Christi oratio in monte Oliveti.

(Matth. 26, 39. sq.)

PUNCTUM I.

Christus in tanto, de quo diximus, moerore ad orationem se convertit, suo nos instruens exemplo, desolationes nostras ac moerores non sublevari colloquiis hominum, quorum vanae sunt consolationes, sed levari recursu ad orationem et Deum. Ita Apostolus: *Tristatur aliquis vestrum? oret.* (Jac. 5, 13.) Solus nimirum supremus animarum consolator Deus tristitiam nostram aut tollere potest, aut lenire, prout noverit magis expedire nobis.

Equidem potes, anima mea, solatium quaerere inter creaturas: at non invenies, nisi in Deo. Ab hoc solo expectanda est malacia in tempestatibus, lumen in tenebris, fortitudo in pusillanimitate, auxilium in tentatione. Idcirco ait Christus ad Apostolos: *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem.* En! *vigilare cum Jesu,* ejus exemplo *orare* est praesentissimum assiduas daemonum tentationes vincendi remedium.

Id equidem novi, Domine, experientia mihi toties funesta edoctus: scilicet *confidere in homine* et ejus protectione est *ponere carnem brachium suum* (Jerem. 17, 5.): et hic a te est *maledictus homo.* Adeo non sustentat nos homo in ruinam praecipites, ut etiam impellat, aut certe in eam prolabi permittat. Adeo non eximit angores nostros, ut augeat etiam: multiplicat, non aufert taedia.

Non ita lex tua, Domine: eam solum meditari est malis omnibus mederi. Fatendum sane cum Psalmista: *Renuit consolari anima mea: memor fui Dei; et delectatus sum.* (Psal. 76, 3. 4.) Hinc nolo posthac in alio confidere, quam in te. *Ablactatus a lacte* humanarum consolationum, *avulsus ab uberibus* mundi totum me posthac tradam orationi: et haec mihi erit fons solidae consolationis atque fortitudinis.

PUNCTUM II.

Delatus ad locum orationis *procidit in faciem suam, orans et dicens: Pater mi! Si possibile est, transeat a me calix iste: verumtamen non sicut ego volo* juxta meae propensionem naturae, *sed sicut tu* vis juxta aeternum justitiae tuae decretum. Mox caritate impulsus suos visitavit Apostolos: et sine mora eandem, sed novo fervore, plenam amoris iteravit orationem: *Pater mi! si possibile est etc.*

O praestans perfectae orationis exemplar! haec enim Christi oratio 1. quam est *reverens*, dum Filius Dei humillime coram Patre suo prostratus in terram orat! 2. Quam est *fervens*, utpote facta, teste Apostolo, *gemitibus inenarrabilibus* uberrimisque fletibus! 3. Quam assidua et *constans*, utpote non obstante taedio et angoribus continuata, prolixius producta, saepius iterata! 4. Quam humilis, et in divinam Patris voluntatem perfectissime *resignata!* deprecatio enim et conatus ille, quo petiit calicem transferri a se, non infregit constantiam voluntatis solum quaerendi in omnibus Patris beneplacitum, cui omnem naturae propensionem longissime posthabuit.

Grates tibi ago immortales, o Jesu, quod tuo me exemplo normam docueris bene orandi, atque etiam in oratione perseverandi, licet ob fines mihi adorandos videar repulsam pati a providentia Patris. Non minores habeo grates, quod amore salutis meae amarum passionis calicem bibere digneris.

Tu vero, Pater misericordiarum, cur non transfers a Filio tibi dilectissimo amarum hunc calicem, quem sane non meruit? aufer, quaeso, eum a Jesu meo. Aut cur ejus preces non audis? tu, *qui facis voluntatem timentium te et deprecationem eorum exaudis?* (Psal. 144, 19.) cur solas Filii tui repellis preces? Tua scilicet misericordia, o Deus, et immensa Filii tui erga nos caritas te reddit inexorabilem. Tu vis, ut moriatur: nec non ipse vult mori pro nobis, ingratis, mancipiis. Sit propterea utrique honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

PUNCTUM III.

Surgens secundo ab oratione *venit iterum* ad discipulos *et invenit eos dormientes; erant enim oculi eorum gravati: et relictis illis iterum abiit et oravit tertio, eundem sermonem dicens.* Dormientes invenit, non excitavit, eorum infirmitatem miseratus.

Res mira! Ipse miserrimus magister non omisit identidem visitare discipulos. Nullum illi erat solatium; plena horrore omnia. Locus ipse orationis separatus et obscurus, nox intempesta, mater absens, Pater inexorabilis et ad preces surdus Christi horrorem augebant. Undique solatio destitutus, a coelo et terra derelictus, suos tamen non deserit discipulos, alto licet somno oppressos, dum summa ipse tristitia tantum non opprimebatur.

O tenerum simul et generosum cor Servatoris mei! O exemplum bonitatis sine exemplo! O praesidium et columen debilium! Ah! quam suave est Domino adeo bono servire, cujus caritatem non possunt extinguere aquae tribulationum, nec refrigerare noster animi torpor, in quem naturae infirmitas nos agit praecipites!

O magister amantissime, qui tantam discipulorum curam etiam tunc geris, dum tibimet eam soli debebas impendere; eorum misertus, dum te pro salute sua laborantem, taediis et afflictionibus oppressum destituunt: quique nostris sollicite invigilas commodis, etiam dum segnes tuo indormimus servitio. Num autem reperire sit hominem adeo omni carentem sensu, ut te tam infinite bonum non amet, tuoque se totum tradat servitio?

Feria IV.

Angelus confortat Christum in agonia.

(Luc. 22, 43. sq.)

PUNCTUM I.

Jesu tertium oranti missus a Patre *apparuit angelus de coelo confortans eum.*

Credibile est, fuisse Gabrielem archangelum, utpote qui videtur singulariter destinatus fuisse non ut custos, sed ut minister, qui Verbo incarnato ubique locorum esset ab obsequiis. Hic igitur Christo summa, qua par erat, reverentia immutabilem Patris ratione passionis voluntatem aperiens, simul proponebat ei fructum uberem in homines, perennem vero gloriam in ipsummet ex passione redundaturam. Ista quidem Jesus angelo longe melius habuit perspecta: attamen cum humilitate ei auscultabat, solatium a suis creaturis admittere et per hoc nos instruere dignatus, quod Deus, quocunque dignitatis, aut etiam sanctitatis gradu emineamus, non raro nos illuminet et corroboret per inferiores velitque, ut ab his cum humilitate tunc lumen et solatium recipiamus.

Et quid nostra refert, per quemcunque nos Deus consoletur afflictos, corroboret infirmos? Idem semper optimus est Deus, qui et nostris tactus miseriis et precibus permotus suam nobis confert misericordiam, seu immediate per se ipsum suam in nos effundat unctionem, seu id mediate praestet per homines, quos nobis veluti angelos visibiles auxilio mittit: id quod experiri solent homines, exercitio orationis dediti. Oratio

fervens, humilis et constans, qualis erat Christi, nunquam non exauditur. Quodsi ad nostram utilitatem opus foret, ut angelus e coelo descenderet, profecto Pater misericordiarum et Deus totius consolationis illum mitteret recte orare scientibus.

O stupendam orationis vim ac potentiam, quae ipsa Dei viscera emollire, angelos in terram detrahere, coeli consolationes promereri novit! Grates infinitae sint tibi, Pater aeterne, quod ita satagas afflictum tuum consolari Filium! Per hujus ego te patientiam et mansuetudinem obtestor; *ne elongeris a me* in afflictionibus: *Deus meus in auxilium meum respice.* (Psal. 70, 12.) Majorem tunc da gratiam et virtutem aequo illas animo tolerandi.

Te vero, Servator mi, gaudium et fortitudo angelorum, te vero quid in eas redegit angustias, ut *angelo confortante* indigeres? tua scilicet caritas id effecit. Per hoc ipsum spem mihi facis consolationem in moerore impetrandi sive per custodem angelum, sive per te ipsum, qui es *angelus magni consilii.*

PUNCTUM II.

Auditis angeli rationibus *factus in agonia prolixius orabat. Et factus est sudor ejus sicut guttae sanguinis decurrentis in terram.*

Consolationes divinae robur nobis addunt in pugna, sed non semper huic finem imponunt. Angelus Christum *confortat* ad sustinendam acriorem pugnam; statim enim cor Christi torrens amaritudinum inundavit. Ex una parte passionibus animae suae plenam dedit facultatem naturali, at extremo suppliciorum et mortis horrore cor suum oppugnandi: ex altera zelo gloriae divinae et salutis humanae ardentissimum resuscitavit desiderium omnia patiendi.

Ex hoc immani passionum affectuumque diversissimorum conflictu, quem Evangelista *agoniam* vocat, e membris omnibus sudoris loco prorupit sanguis, omnem late irrigans terram, adeo, ut S. Bernardus asserat, *Christum ex omnibus corporis partibus plorasse.* Sanguineo hoc sudore jam tum coepit nostra eluere ac

expiare peccata, integre delenda per totum in cruce propediem effundendum sanguinem.

Anima mea! nos conquerimur de conflictu, quem in vitae christianae aut religiosae exercitiis assidue sustinere oportet: de pugna passionum, de necessitate vim perpetuam inferendi nobis, ut nos ipsos et proclivem ad omne malum naturam vincamus. Ita conquerimur: an jure merito? num exemplo Christi ad sanguinem usque restitimus? Christus non indigebat hac violentia: usus est tamen, ut nos ad pugnandum instrueret animaretque.

Mille grates, o Servator mi, iterumque mille tibi grates, quod tanta tui erga me amoris argumenta prodas: hic in causa est, quod tanto aestues desiderio totum pro me fundendi sanguinem. Itane vero? flagella, spinae, clavi, an non sat cruoris tibi e venis expriment? cur adeo festinas ipsum ultro effundere? O quam bene comparat te sponsa arbori myrrhae, quae, antequam pungatur vel decorticetur, primo sudoris instar guttatim per poros sponte *distillat myrrham primam:* cortice vero spoliata copiose fundit. Amor tuus, o Jesu, guttatim primam hanc myrrham hodie incipit nobis dare, paulo post eam abundanter effusurus. O si te possem perfecte imitari! o si haberem sat animi ac roboris ad mortificandas passiones meas, ad crucifigendam carnem, ut *manus meae stillarent myrrham, et digiti mei pleni myrrha probatissima* (Cant. 5, 5.) atque adeo *fasciculum myrrhae* tibi offerre et commiscere possem, myrrhae, quam mei amore tam large dedisti, sudasti, effudisti!

PUNCTUM III.

Finita crudeli hac pugna et expugnata omni humana infirmitate surgens Jesus ab oratione venit ad discipulos et inveniens tertio dormientes prae tristitia, ait illis: *Sufficit. Surgite: eamus. Ecce, qui me tradet, prope est.* (Marc. 14, 41, 42.)

Haec est indoles et virtus orationis. Timidissimum quemque animat ad difficilia quaevis audenda. Imbecillis aut pusillanimis non est, nisi qui parum deditus est

orationi. Terrent nos occurrentes in via sanctitatis difficultates, quia nostra eas imbecillitate metimur; rideremus haec terriculamenta, si *virtute ex alto induti* essemus, utique induendi, si illam assidue orando postularemus.

Pudeat nos tum exiguae, qua ad orandum accingimur, attentionis, tum grandis ignaviae, quam subinde monstramus, quando de honore Dei et nostra perfectione agitur. Imaginemur nobis dici a Christo: *Sufficit:* dormitum satis est, ubi de meo honore, ac vestra salute res agitur. *Surgite* ergo majore animi magnitudine. *Eamus. Ecce, qui me tradet, prope est.* Aut num dormietis vos, inimicis in perniciem meam vigilantibus?

O quam justa est haec objurgatio tua, Domine! at quam potens simul ad cor meum fervore accendendum, si vel scintillam amoris erga te foverem! Et vero ingenti rubore suffundor, quod ego sim multo segnior ad tibi serviendum, quam impii ad te offendendum. Excute soporem: dispelle languorem meum, Domine, et tuae me magnanimitatis fac participem, ut tecum adversis omnibus ipsemet occurram generose, teque ad montem usque Calvariae sequar intrepide.

Feria V.

Applicatio internorum quinque sensuum ad sanguinem Christi.

PUNCTUM I.

Intueamur primo internis animae *oculis* pretiosum Christi sanguinem in monte Oliveti profusum et perpendamus, quo eum modo et quo affectu pro nobis fundat. Tum intimo gratae mentis sensu dicamus: Ergone fieri possit, ut Deus infinitae majestatis ita sanguinem suum pro tam vili, ac ego sum, creatura profundat? Quis unquam credidisset, te, Domine, ut ingratum sanares peccatorem, ex tuo sanguine antidotum et medicinam confecturum? Quid rependere possum beneficio tam excellenti? aeternas grates et perpetuum tibi ex toto corde amorem rependam.

PUNCTUM II.

Audiamus deinde internis animae *auribus* vocem hujus sanguinis, de terra ad Patrem aeternum clamantis non vindictam, uti sanguis Abel clamabat, sed misericordiam pro peccatoribus clamantis: simul spem certam concipiamus obtinendae, eo deprecante, remissionis peccatorum. Utique, mi Deus, nihil tuo potes negare Filio. Tuam ille placabit iram, teque mihi reddet propitium.

PUNCTUM III.

Percipiamus interno *odoratu* suavissimum divini sanguinis odorem ac fragrantiam, ad coelum usque admirabili cum suavitate ascendentem. O quam suaveolens, quam gratus est hic odor Patri misericordiarum, summa cum voluptate inspectanti, quod totus amore ardens Filius *tradat semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis!* (Ephes. 5, 2.)

PUNCTUM IV.

Justi interno animae *gustu* immensam in Christi sanguine dulcedinem percipiunt, maxime cum actu in Eucharistia sumitur. Haec tamen dulcedo non impedit, quominus degustent amaritudines, quas Christus sentit in monte Oliveti.

Eadem, Jesu amantissime, cordi meo sensa imprime. Sat longa est aeternitas ad me tuis exsaturandum deliciis. Saltem, dum vivo, tuorum volo esse particeps dolorum, tuique calicis amaritiem delibare.

PUNCTUM V.

Denique interno *tactus* sensu, ceu invisibili manu, debemus sanguinem agni palpare, reverenti osculo venerari, illique velut balneo nos immergere, ut puriores inde egrediamur.

O sacratissime sanguis, lava me ab omni labe. O sanguis, ex infinito amore hominum effuse, accende cor meum caritatis igne. O sanguis Jesu mei, quem in Eucharistia recipio! te tango, palpo, gusto, meque tibi intime unio, aliud desiderans nihil, quam ut vinculo

caritatis indissolubili unitus maneam Deo, qui te tanta prodigalitate effudit pro me.

Feria VI.

Osculum Judae.

(Matth. 26, 49. sq.; Joan. 18, 1. sq.)

PUNCTUM I.

Judas *confestim accedens ad Jesum dixit: Ave Rabbi: et osculatus est eum: dixitque illi Jesus: Amice! ad quid venisti?*

Contemplare, anima mea, stupendam mansuetudinem Jesu, perfido a discipulo proditi, venditi, traditi: neque tamen illi irascitur, non exprobrat scelus, non minas aut fulmina intentat, sed ore sereno, ac summa animi tranquillitate osculum admittit, licet optime gnarus, hoc pacis signum esse signum proditionis suae. Quin *amicum* appellat et conceptum animo crimen illi ante oculos ponit verbis adeo blandis, ut cor marmoreum potuissent frangere. Quale ergo erat cor Judae? erat cor excaecatum, cor induratum, a daemone obsessum, ad omnes magistri et Domini omnium suavissimi blanditias immobile.

O immensa Jesu mei caritas, quantam in spem me erigis! O incomprehensibilis obduratio Judae, quanto me percellis horrore! O investigabilia Dei judicia, quanto me terrore concutitis! Quid autem? Apostolus tot gratiis cumulatus fit apostata, dux carnificum, fax lictorum, sceleratissimus proditorum, sub specie amoris et amicitiae magistrum et Dominum suum juratissimis tradens hostibus? O Jesu! miserere mei! ex eadem enim cum infami hoc proditore massa limi oriundus in quae scelera non possum praeceps ruere, si derelinquas me? Ah Domine! tam arcte me tibi adstringe, nullum ut emolumentum, passio nulla, nulla daemonis tentatio, meum unquam possit labefactare propositum, quod concipio, tibi per omnem vitam serviendi quam fidelissime.

PUNCTUM II.

Postquam Jesus milites interrogasset, quem quaererent: hi autem respondissent, Jesum Nazarenum, dixit: *Ego sum:* et in ictu oculi *omnes* cum Juda *abierunt retrorsum et ceciderunt in terram*, tamdiu prostrati, donec Jesus bis idem interrogans, bis idem reponentibus copiam fecerit surgendi et pontificum exequendi mandata, h. e. Jesum comprehendendi: imperavit tamen, ut discipulos suos dimitterent incolumes: *Si ergo me quaeritis, sinite hos abire.*

Obstupesce, anima mea, magnanimitatem, potentiam, ac bonitatem Jesu Christi. Obviam procedit hostibus suis, nec eorum furorem, nec multitudinem formidans. En magnanimitatem! Unico prostratos verbo terrae affligit, sicque demonstrat, in suo solius arbitrio esse, se ipsis in manus tradere, vel non tradere. Eodem simul momento, quo sese tradit, absolute mandat, ut liberos atque illaesos sinant abire Apostolos. En potentiam simul et bonitatem Christi! Quis, clamabo, quis non animo libenti prolixoque sua dedicare velit obsequia Domino tam bono, de suorum incolumitate tam sollicito?

Tune autem, o Jesu, tune idem ille es, quem paulo ante toto corpore trepidantem et ad solum passionis tuae simulacrum expallescentem vidimus, nunc autem intrepidum videmus tuis obviam ire inimicis? unico eos verbo humi prosternis, qui animi moerore stratus ipse prius in terram procidebas? Enimvero tu ille idem es, o Jesu, in hoc dissimili statu te prorsus eundem esse agnosco per omnia: scilicet ad id semper promptum, ut me instruas, robores, consoleris, defendas. Dic ergo, o Jesu, dic praepotens illud verbum: *Ego sum:* et illo ceu fulmine icti tui meique hostes prosternentur. Mihi quidem, qui in te solo omnem semper fiduciam posui, suave illud verbum erit pignus aeterni amoris, aeternae protectionis tuae.

PUNCTUM III.

Petrus majore caeteris fervore accensus, videns milites jam jamque manus Christo injicere, *habens gladium eduxit eum: et percussit pontificis servum, et*

abscidit auriculam ejus dexteram. At mansuetissimus Servator inconsideratum Petri fervorem retundens ait: *Mitte gladium tuum in vaginam.* Adjecit haec verba severitate ac mansuetudine mixta: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?*

Ex hac agendi methodo disce, anima mea, tibi cavere ab amaro et praecipite zelo, quem scilicet nec regat prudentia, nec animet caritas. Si zelus est genuinus, amorem Dei habet pro causa et principio, prudentiam et discretionem pro duce, mansuetudinem pro comite individuo.

O quam admirabilis simul ac amabilis est in te, o Jesu, divina haec virtus, *mansuetudo!* per eam te in omni vita tua videmus tibi semper similem et constantem, semper moderatum, tranquillum semper. Licet patiaris gravissima, nunquam animo commoveris, nisi quis, ut Petrus, a bibendo passionis calice te velit avertere: in hoc ipso tamen casu tuae memor mansuetudinis aliud non dicis Petro, quam: *calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* Quotiescunque igitur inanis timor (seu a repugnante natura, seu ab amicis me inordinate amantibus nascatur) me voluerit a via crucis abducere, aliud non reponam, quam illud: Quid? *calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* qui offert non inimicus sed *Pater* est et Pater omnium patrum optimus; absit ergo a me quam longissime, ut illum a manu Patris non accipiam.

Sabbato.

Jesus comprehenditur.

(Luc. 22, 52. sq.)

PUNCTUM I.

Dixit autem Jesus ad eos, qui venerant ad se comprehendendum; *cum quotidie vobiscum fuerim in templo* sedens et docens, *non extendistis manus in me.*

Per haec verba ostendit Christus turbis, se esse absolutum vitae et mortis suae Dominum; ipsos proin frustra vitae suae insidias struere, antequam tempus a

se et Patre suo praefixum advenisset: nunc autem adventasse tempus adimplendi mysterium humanae redemptionis, seque ultro tradendi pro hominum salute.

Admirare, anima mea, quomodo Christus se totum tradat integre furori inimicorum, ut suum erga nos amorem plene testatum faciat. *Haec est hora vestra*, ait, *et potestas tenebrarum*. Tradit integre corpus suum carnificibus, imo et daemonibus, quorum illi erant ministri ac instrumenta: tradit comprehendendum et omni tormentorum genere pro libitu venenatae passionis et concepti in eum furoris excarnificandum, nulla, ne quidem *vitae servandae* (quod tamen in gratiam servi sui Job Deus fecerat) limitatione adjecta, sed plena ipsis libertate relicta vitam quoque vi tormentorum adimendi.

Grates tibi immortales, o Jesu, pro infinita caritate, qua dignaris sacratissimum corpus tuum vitamque furori daemonum tradere, ut me ab eorum tyrannide vindices. Ego, ego sum, Domine, qui meritus est illis tradi; quia ego sum, qui peccavi. Sed enim ineffabilis caritas tua hanc, quam ego merui, poenam pro me vult subire. O stupendum amoris excessum! Quid tibi rependam, o Jesu? quid aliud, quam amorem pro amore, sanguinem pro sanguine, vitam pro vita?

PUNCTUM II.

Vix bene corporis sui copiam fecerat Christus, cum ecce! milites ceu infernales lupi ac furiae innocentem agnum adoriuntur, ligant, trahunt, caedunt, prosternunt, pedibus conculcant et latronis instar raptant ad tribunalia.

O quid tunc cogitaverit rex coeli et terrae, videns se pedibus sceleratissimorum calcari, qui in throno gloriae *sedet super Cherubim* ac Seraphim! Jure meritissimo tunc dixerit Patri suo: *Miserere mei, Deus, quia conculcavit me homo: tota die impugnans tribulavit me.* (Psal. 55, 2.) Omnis tamen Christi querela felle caret et amaritudine animi. Mansuetissimus semper agnus indignissima quaeque patitur sine ullo indignationis aut etiam commotionis indicio, contentus in medio luporum et tigridum quam plurima pati pro hominibus.

O Jesu! tuam nuper obstupui humilitatem, mansuetudinem, caritatem, quae usque ad discipulorum pedes te abjecerat: qui satis te admirer hodie sub pedibus inimicorum jacentem? Viso tali exemplo quibusnam, obsecro, me subjicere erit arduum? qua de contumelia conqueri potero tuam plusquam heroicam aspiciens patientiam, qua injurias sane atrocissimas silendo pateris? possimne deinceps libertatem affectare ab omni subjectione immunem, prae oculis habens Dominum universi vinculis manicipiorum jam ligatum? O Redemptor dulcissime! ne tu hodie Patri cum vate regio vere dicis: *Funes peccatorum circumplexi sunt me: et legem tuam non sum oblitus.* (Psal. 118, 61.)

Non, mi Jesu, utique non obliivisceris legem caritatis, intime cordi tuo insculptam. Haec ipsa tuas vinciebat manus, atque ardentissimum in te accendit desiderium *nos in funiculis Adam trahendi et in vinculis caritatis* tecum uniendi (Ose. 11, 4.), cujus rei tam manifesta hodie signa nobis dedisti.

PUNCTUM III.

Tunc discipuli omnes relicto magistro fugerunt. (Matth. 26, 56.)

Vah! quanta haec est ignavia discipulorum post factas paulo ante tot asseverationes, se in carcerem et in mortem cum Christo ituros, eum adeo turpiter deserentium! Ast quantum divino pariter doluit magistro se derelictum intueri ab illis, quos collata tot beneficia, conspecta tot prodigia, traditae tot doctrinae, sumptus fortium cibus, Eucharistia, debebant arctissime ac aeternum Christo unire! Tunc enimvero Christus cum propheta dixerit ad Patrem: *Longe fecisti notos meos a me: posuerunt me abominationem sibi* (Psal. 87, 9.), cum scilicet meis sum traditus inimicis.

Quis confidat posthac et innitatur amicitiae hominum adeo instabilium? qui amico in prosperis certatim adhaerent, in adversis terga vertunt? Numquid autem nos ex eodem sumus numero? nonne Jesus de nostra aeque ac discipulorum timiditate et inconstantia jure conqueri potest? Currimus post eum, quando nos odore

unguentorum suorum trahit post se: sequimur, cum panem dulcedinis distribuit: aufugimus, dum calicem passionis et panem dolorum propinat: fervidi in consolationibus, languemus in ariditatibus: tabernacula extruere cupimus in monte Tabor, fugam arripimus e monte Oliveti.

Ah! probrosam adeo ignaviam a me et fugam averte, o Jesu! Robora me tempore tentationum et ariditatis. Da, ut te sequens nec meum quaeram interesse aut lucrum, neque consolationes, nec aliud quidpiam praeter te ac aeternam tecum unionem. Fixum sane ratumque est, o Jesu, tibi adhaerere soli. Quantumcunque rigoris (in speciem) erga me videaris exercere, bonus, imo optimus semper es magister ac Dominus, amicus es fidelissimus, nunquam me derelicturus, etsi totus me derelinqueret mundus.

Dominica II. Quadragesimae.

Transfiguratio Jesu Christi.

(Matth. 17, 1. sq.)

PUNCTUM I.

Et post dies sex assumit Jesus Petrum et Jacobum et Joannem et ducit illos in montem excelsum seorsum: et transfiguratus est ante eos.

Considera *tempus, locum et testes hujus transfigurationis.* 1. Ad *tempus* quod attinet, Jesus in medio praedicationis suae cursu transfiguratus est: h. e. *glorificatum* se ostendit, ut Apostolos nosque ad portandam crucem, ad quod sex ante diebus omnes jam cohortatus fuerat, magis adhuc excitaret, per istam gloriae suae ostensionem demonstrans, quanta devotos sibi servos post diligens virtutum et mortificationis exercitium maneat gloria.

Gloriosa haec consummatae beatitudinis quies, *per Sabbatum* praesignata, praemium est et merces laboris *sex dierum*, h. e. vitae hujus mortalis. Imo, ut compenses nobis abnegationem voluptatum amore tui factam,

o Deus, saepe non expectas periodum hujus vitae ac temporis licet brevissimi, sed in vita adhuc gustandas offers purissimas coeli voluptates, ut tui veritatem oraculi experiamur: *Jugum meum suave est et onus meum leve.* (Matth. 11, 30.) Num autem grave adhuc nobis accidet Dominum sequi adeo bonum, adeo liberalem, adeo magnificum?

2. *Locus* transfigurationis erat *mons excelsus seorsum*, separatus, ad orandum idoneus, quo innotescat, Dei favores et gratias singulares non communicari in publico, in turbis et strepitu mundi, sed in sacra solitudine, in oratione et animi collectione: *Ducam*, ait, *animam in solitudinem et loquar ad cor ejus* (Ose. 2, 14.): neque communicari, nisi animabus, quae a faece terrestri, ab affectibus curisque mundanis remotae sunt quasi *mons* ob perfectionem actionum, *excelsus* ob rerum divinarum contemplationem, *separatus* ab omnibus terrenis.

3. Hanc ob causam *testes* et spectatores transfigurationis suae Jesus habere voluit tres discipulos reliquis *ferventiores;* quia singulares ejusmodi favores non conceduntur promiscue omnibus, sed solum ferventibus. Quamquam id non semper observat Deus, sed, cum suarum sit Dominus gratiarum, plures atque praestantiores interdum minus sancto largitur quam sanctioribus, horum praemia et fructus sanctitatis in alteram rejiciens vitam. Sic ex eo, quod S. Andreas, unus ex praecipuis Christi discipulis, cum eo non fuerit in monte Tabor, neutiquam sequitur, quod minore fuerit praeditus fervore, quam illi tres, quos secum illuc deduxit.

Ego certe non peto a te, Domine, tam eximios favores ac praerogativas: mihi satis est cum S. Andrea tuam portare crucem. Imo malim ego tuos participare dolores et ignominias in monte Calvariae, quam tua gaudia et gloriam in monte Tabor.

PUNCTUM II.

Considera *modum* transfigurationis, quo Christus gloriam animae suae, hactenus sub mortali et passibili humanitate semper velatam, hodie in corpus suum effudit: quod ubi fecit, confestim *resplenduit facies ejus*

sicut sol: vestimenta autem ejus facta sunt alba, sicut nix: atque ita implevit, quod paulo ante promiserat Apostolis hisce verbis: *Amen dico vobis: sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis in regno suo*, seu in splendore majestatis suae et gloriae coelestis. (Matth. 16, 28.)

Contemplare, anima mea, dilectum tuum, *pulchrum ut lunam, electum ut solem, candidum et rubicundum, electum ex milibus.* Contemplare Nazarenum *candidiorem nive, nitidiorem lacte, rubicundiorem ebore antiquo et sapphiro pulchriorem.* (Thren. 4, 7.) Contemplare *speciosum prae filiis hominum:* laetare de ejus gloria, obstupesce ejus pulchritudinem, ama ejus amabilitatem et in ea cum omnibus desideriis tuis requiesce. Grates quoque immortales age, quod tamdiu amore tui corpus suum debita privarit gloria, eam vero hodie praelibandam ad tempus modicum illi dederit, ut paulo post ignominias passionis facilius tolerare et opus redemptionis nostrae commodius posset prosequi.

In hac gloriae ac ignominiae, gaudii et moeroris vicissitudine idem semper es, o Jesu. Haec omnia effectus sunt summi erga me amoris tui. Per utraque ducis me trahisque ad vitam cruci tuae confixam: per gloriam, amore mercedis: per ignominiam, amore virtutis et tui efficacia exempli. Tota in eo mea consistit gloria, ut sequar te, o Jesu, imiterque vitam vivendo humilem et crucifixam, mundo ignotam, amore tui contemptam. Hanc, quam humillime peto, gratiam si impetravero a te, non minus ac Petrus in monte Tabor contentus ex toto corde tibi dicam cum eodem: *Domine, bonum est me hic esse.*

PUNCTUM III.

Et ecce! apparuerunt illis Moyses et Elias cum Christo loquentes.

Anima mea! expende hic prodigia transfigurationem comitantia. 1. Christum circumstant hi duo prophetae in magno splendore ac *majestate* et loquentes cum Jesu, ait S. Lucas (9, 31.), *dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Jerusalem.* Si tu quoque cum

Moyse et Elia cupis gloriae Christi particeps fieri, cum iisdem jejunium et orationem ames necesse est.

At quorsum tot inter gaudia mentio et sermo *de passione et morte?* quia nimirum Deus suas electis consolationes non impertitur, ut in illis sistant, sed ut excitentur ad sustinendos passionis labores. Noli igitur, anima mea, mente alia montem Tabor conscendere, quam ut fortius ambulare possis ad montem Calvariae. Si laboras aut gemis in monte Calvariae, animos et vires tibi addat aspectus montis Tabor: si autem hujus dulcedine frueris, ad illius amaritudines te praepara.

2. Petrus tam dulci spectaculo extra se raptus exclamavit: *Domine, si vis, faciamus hic tria tabernacula; tibi unum, Moysi unum et Eliae unum.* O mi Deus! *quam magna multitudo dulcedinis tuae* erit in coelis, si unicus gloriae coelestis radius per momentum delibatus Petrum rapuit in extasin, ut aeternam in Tabor sedem voluerit figere? immensa ebrius dulcedine loquebatur, *nesciens, quid diceret.*

Itane vero? dicere, quod quis velit tecum manere, o Jesu, sit *nescire, quid dicat?* Imo non: non in hoc error Petri versabatur, sed in eo, quod voluerit perpetuam in monte Tabor mansionem figere, antequam Calvariae aspera perpessus sit.

3. *Adhuc Petro loquente ecce nubes lucida obumbravit eos: Et ecce vox de nube dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite.* Per haec verba Pater aeternus confirmat testimonium de divinitate Filii jam olim in baptismo datum simulque nos docet, statum filiorum Dei adoptivorum hic inchoari per baptismum, ibi in gloria consummari.

O quas debeo tibi agoque grates, Pater coelestis, quod tuum Filium nobis dederis magistrum! et quoniam ipse jubes, ut ipsum audiamus, spiritum intelligentiae et necessariam ad hauriendum ex ejus doctrina fructum docilitatem mihi concede; ipse enim *verba vitae aeternae habet.* (Joan. 6, 69.)

Feria II.

Jesus ducitur ad Annam pontificem.

(Joan. 18, 12. sq.)

PUNCTUM I.

Cohors ergo et tribunus et ministri Judaeorum comprehenderunt Jesum et ligaverunt eum: et adduxerunt eum ad Annam primum; erat enim socer Caiphae, qui erat pontifex anni illius summus.

Ponderemus dolores et molestias, quas Christus in via tam difficili, quam longa pertulit: ignominias praecipue, quas in vicis et compitis Hierosolymae toleravit, dum latronis instar a crudelibus Orci ministris circumducebatur.

Heu! quantum distat hodiernus ab altero in Jerusalem ante paucos dies ingressu, o Jesu! Nuper plateae et aër tuis resonabant elogiis, applausibus et canticis: *Benedictus, qui venit in nomine Domini.* Hodie inconditis omnia perstrepunt clamoribus, injuriis, maledictionibus. Nuper urbs tota in occursum effusa te triumphantis in morem stratis in via vestibus excipiebat, manibus palmas, tuae trophaea victoriae, praeferens: hodie gladios in signum victoriae suae circumagentes te vinculis onustum per plateas raptant, vestes tuas dilacerant, modisque tractant prorsus indignissimis.

O incredibilem mundi instabilitatem! o palmarem eorum stultitiam, qui viso tantae instabilitatis exemplo nihilominus adhaerent mundo! o formidandam humanae voluntatis erga Deum inconstantiam! o stupendam Dei in illa toleranda patientiam!

O mi Deus! adeo detestabilem a me prohibe levitatem. Imprime intellectui meo tam sublimem perfectionum tuarum ideam et cognitionem, ut nunquam non debito te prosequar honore: cordi vero adeo viva et efficacia de tua bonitate insculpe sensa, ut me nihil amplius a tuo amore possit avellere.

PUNCTUM II.

Pontifex ergo interrogavit Jesum de discipulis suis et de doctrina ejus.

Duo sunt quaestionis capita inter se diversa. Quaestio *de doctrina* erat Christo prorsus honorificentissima; ejus enim doctrina erat tota coelestis, a Patre profecta, ex ipso divinae sapientiae fonte hausta; unde aliud non reposuit interroganti, quam: *Ego palam locutus sum mundo: ego semper docui in synagoga et in templo, quo omnes Judaei conveniunt et in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? interroga eos, qui audierunt, quid locutus sim ipsis.*

En, quanta sit fiducia et securitas bonae conscientiae! quia simplex, aperta et sincera est suis in operibus, nec indiget, nec utitur ad sui defensionem loquendi profluentia. Sancta vitae ratio et veritas doctrinae pro ipsa perorant.

Altera quaestionis pars erat longe diversa: tangebat discipulos, a quibus probrosissime Servator erat derelictus. Inde redundans in se dedecus *tacito* premit animo, per id communem hominum arrogantiam condemnans, qui, ut probrum effugiant, dolos et mendacia adhibent, quando veras et solidas rationes in sui defensionem nequeunt in medium proferre.

Discamus ex hoc nos ipsos contemnere, qui tam facile in eosdem defectus prolabimur, adeo contrarios humilitati ac veritati, quibus tamen honorem proprium et existimationem nostram posthaberi oportet. Utramque hanc virtutem amare discamus a Jesu simulque condoleamus increatae sapientiae, adeo contumeliose ab his pseudo-sapientibus contemptae.

O supreme omnium gentium et doctorum doctor, Jesu Christe, cujus verba hactenus populo erant oracula, communi omnium stupore excepta, cur hodie doctrina tua adeo despicitur? Duodennis sedebas in medio doctorum, quaestiones tuas et responsa obstupescentium: hodie adstas examinandus ab aliis doctoribus, qui tuae se ipsos faciunt judices doctrinae, tuam irridentes sapientiam. Tu nihilominus idem semper es, *in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi.* (Coloss. 2, 3.) Scilicet per hoc me volebas docere, quam merito contemnenda sit mundi prudentia, exultandum vero mihi in ejusmodi occasionibus, ubi mundus illudet

mihi, sicut tibi illusit. Hac ergo disciplina ludoque cum gratia tua me exercere studebo, ut tibi merear conformis fieri.

PUNCTUM III.

Rimemur penitius adhuc sapientiam et prudentiam Christi, sanctamque ejus et generosam admiremur libertatem, dum vinctus et humiliatus, sine ullo ignaviae aut timiditatis indicio, iniquum judicem de doctrina sua interrogantem fidenter remittit ad innumeros doctrinae suae auditores, quos veritatum a se praedicatarum testes appellare non dubitat.

Ita agit vere christiana innocentium libertas. Salva humilitate novit injustitiam in ruborem dare et impudentissimis calumniatoribus os obturare. Hanc, Domine, evangelicam libertatem et constantiam mihi impertire, cujus tam illustre nobis exemplum praebes, nec non tui praebuerunt Apostoli post ascensionem tuam, in medio concilii audacter restitantes Judaeis dicendo: *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.* (Act. 5, 29.)

Sed cur Jesus, tanta libertate defendens suae sanctitatem doctrinae, altum silet ad quaestionem de discipulis suis factam? Resp. Praeter rationem supra allatam haec insuper silendi causa fuit, ut nos doceret vincere innatam de perfidia amicorum quiritandi libidinem. Mavult igitur magister omnino tacere, quam de inconstantia ac ignavia discipulorum (omnes enim turpissime aufugerunt) conqueri respondendo.

O cor fortitudine non minus, quam caritate plenum! o mi Jesu! quot sanctas mihi doctrinas relinquis, sive amor veritatis sacrosanctum os tuum aperiat, seu occludat caritas! Da mihi gratiam imitandi et sanctam spiritus libertatem, qua haustam a Patre tuo coelestem doctrinam tam fortiter propugnas: et humilem tuam caritatem, qua defectus et probra discipulorum occultas.

Feria III.

Christo alapa infligitur.

(Joan. 18, 22. sq.)

PUNCTUM I.

Unus assistens ministrorum dedit alapam Jesu, dicens: Sic respondes pontifici?

Haec alapa fuit 1. valde *crudelis* et atrox, quia ab irato satellite inflicta animo ulciscendi injuriam domino suo, ut rebatur, illatam. 2. Christo extreme *ignominiosa*, utpote Dei Filio, qui eo usque omnibus erat venerationi, impacta, et quidem in corona tot nobilium et gravium virorum. 3. Prorsus *injustissima*, quia innocenti, qui moderate ac prudenter respondit, incussa. Nihilominus impium hoc facinus laudem et plausum tulit etiam ab iis, qui illud ex officio punire debebant et ulcisci.

O detestandam vernae ac terrae vermiculi insolentiam! o infinitam Dei-Hominis patientiam! o inauditum furoris ex una, moderationis ex altera parte exemplum! o dignam utrimque meditationis attentae materiam! Aspice, anima mea, venerandam Domini tui faciem, *in quem desiderant angeli prospicere* (I. Pet. 1, 12.), at modo sacrilegae manus alapa ignominiosissime dedecoratam.

Tu quoque, Pater coelestis, *respice in faciem Christi tui*, scelestissima infamis ministri manu signatam. Recordare, tuum esse Filium, tuae *splendorem gloriae tuaeque figuram substantiae* (Hebr. 1, 3.), qui contumeliosissimam hanc recipit alapam. At recordare simul, quod ista pro me patiatur, ut peccata mea expiet, meque doceat injurias patienti animo ferre. Igitur intuitu meritorum ejus da mihi veniam peccatorum, patientiam injuriarum et desiderium ardens ejus honorem et gloriam meis reparandi obsequiis.

PUNCTUM II.

Percutienti placidissime *respondit Jesus: Si male locutus sum, testimonium perhibe*, cum non sis judex, sed testis solum: *si autem bene, quid me caedis* contra omne jus et fas?

Divina prorsus patientia, quae facinus adeo indignum aequo tulit animo, non impediit Christum, quominus et suavissime corrigeret ferientem et se ipsum purgaret a culpa innocentem, ne in reverentiam pontifici debitam peccasse videretur.

Adeo bene inter se et in eodem homine conveniunt virtutes christianae. Mansuetudo et humilitas neutiquam repugnant caritati et prudentiae: nec patientiae meritum perdit, qui injuriam patienter tolerans, injuriosum mansuete reprehendit, aut scandalum praevertit explicando modeste et prudenter sermonem, fors male intellectum. Verum ut quis ad has virtutes ascendat, opus est suam possidere animam, diu exercuisse plenum in naturam et passiones suas imperium gratiae. Opus est in tua, magister divine, schola didicisse artem in omnibus solam Patris tui gloriam et beneplacitum quaerendi.

Hanc igitur tanti momenti doctrinam, o Jesu, profunde meo inprime pectori: omnem propriae utilitatis gloriaeque amorem evelle: largire gratiam illatas mihi injurias sine animi perturbatione aut spiritu vindictae perferendi, imo in arduis ejusmodi occasionibus tam prudenter linguam refrenandi, ut nullum ei verbum unquam excidat prudentiae aut caritati minus conforme.

PUNCTUM III.

At nec mansuetudo Christi servum modeste corrigentis, nec moderatio semetipsum purgantis, poterat ullam praestandae Christo cujusdam satisfactionis cogitationem extorquere iniquo pontifici, qui potius illatam Christo injuriam suo approbavit silentio et reorum more ligatum misit ad Caipham, supremum illis anni pontificem et legitimum ejusmodi causarum judicem.

Contemplare, anima mea, defatigationem et ignominiam Jesu tui, dum vinculis onustus per tot urbis plateas, per tot tribunalia inter insanos militum clamores circumraptabatur. At potissimum expende inconcussam Christi mansuetudinem et animi tranquillitatem in doloribus ac opprobriis, quae de novo in plateis et compitis ei erant toleranda, quem populus hucusque ut prophetam adorabat, colebat ut Messiam, jam autem pro impostore

ac seductore incipiebat habere. Haec tamen plebis ingratae summa mutabilitas tuum, o Jesu, animum et benevolentiam immutare neutiquam potest: inaudito bonitatis tuae prodigio ingratos adhuc amas tenerrime, quorum utilitati tot ac tanta patrasti miracula. Imo miseret te eorum, qui erga te sunt immisericordes.

Non aliter mecum agis hodiedum, Servator amabilissime. Quo magis ego tua obliviscor et sperno beneficia, eo amplius mearum es memor miseriarum, quibus ut me liberes, tuae merita passionis, cujus ego causa extiti, Patri offers. Laudent te coeli et terra aeternum ob tantum caritatis tuae excessum, quam tot argumentis constanter mihi testatam facis.

Feria IV.

Petrus ter Christum negat.

(Luc. 22, 55. sq.)

PUNCTUM I.

Considera originem et causas lapsus Petri. Fuere tres: 1. *Amoris* in Deum *remissio* ac tepor, dum humano et servili timore victus Christum *sequebatur a longe* tantum. 2. *Oblivio* eorum, quae Christus ei de trina negatione praedixerat, ut cautiorem redderet suaeque imbecillitatis et cordis inconstantiae magis memorem. 3. *Temeritas* inconsulte adeuntis periculum et occasionem suum negandi magistrum. Quid ergo mirum, quod lapsus fuerit prostratusque, Deo ita permittente, ut ejus reprimeret superbiam, resuscitaret fervorem, nosque ejus exemplo instrueret, quod sibi frustra in lubrico firmitatem polliceantur, qui non auxilium coeleste obtinuerint per humilem sui diffidentiam, per occasionum fugam, per orationis fervorem?

Oculos jam in te ipsam reflecte, anima mea, et vide, an vero ardeas desiderio constantem Deo et fidelem serviendi servitutem. Amasne Jesum ferventer? studesne eum sequi *prope*, non *a longe* solum? hoc unum in periculis te proteget. Tibine diffidis et viribus tuis? Num

cautelam adhibes, ab Apostolo ita commendatam: *Tu fide stas, noli altum sapere, sed time?* (Rom. 11, 20.) Sollicitene fugis pericula et occasiones, divini memor oraculi: *Qui amat periculum, in illo peribit?* (Eccli. 3, 27.)

Fove, o Deus, conserva et adauge semper in me ignem amoris tui, ne frigus Petro fatale me pariter occupet. Ah! Domine! noli permittere, ut inanis quidam timor juratam tibi fidem meam infringat: illam (scio equidem) tibi in vanum promisi, si meis infirmus promissis confido, nisi quantum omnipotenti tua protectione firmentur. *Pone me ergo juxta te: et cujusvis manus pugnet contra me.* (Job 17, 3.)

PUNCTUM II.

Metiamur jam gravitatem lapsus Petri cum ex fastigio honorum, quo fuerat evectus: tum ex abysso miseriarum, quo fuit praecipitatus per suam praesumptionem. Petrus erat fundamentalis petra Ecclesiae: Praeco divinitatis Christi per revelationem divinam agnitae; Dux et fomes magnanimitatis Apostolorum cum Petro clamantium, haud negaturos Christum, etiamsi oportuerit mori cum eo. Et tamen prima occasione et periculo magistrum non modo deseruit, sed insuper negavit ad unicam imbellis ancillulae interrogationem. Praeterea falso jurat, se non nosse hominem: perjurio diras addit et execrationes. O horribile exemplum ad secandas superbiae alas, ad evellendam animi mei praesumptionem longe efficacissimum, cum ego Petrus non sim aut petra, sed pugillus arenae ac pulveris, quolibet vento auferendi! O funestam praesumptionem, quae altissimam Ecclesiae columnam stravit! Praecipuum igitur meum posthac erit studium firmiter me fundare in cognitione mei nihili, assidue meam contemplari fragilitatem et nunquam non meae diffidere mutabilitati. Absit, ut spe falsa mihi blandiar de meorum firmitate propositorum: aut an haec sunt firmiora propositis Petri, ter gravissime lapsi, quia justo confidentius se nunquam lapsurum, ter omni asseveratione confirmavit?

Miserere mei, o misericors et omnipotens Deus: miserere mei et extingue in me spiritum superbiae,

quam prae maxima imbecillitate mea timeo. Da mihi veram nihili, ex quo oriundus sum, cognitionem: adde notitiam fatalis meae ad omne malum propensionis, ut mihi totus diffidam, soli confidam tibi. Defende me scuto protectionis tuae, ne daemon, qui nunquam dormit, improviso me opprimat. Ah! Domine, millies mala omnia et mille mortes immitte potius, quam ut permittas mihi a daemone eripi, quam tibi mille titulis debeo, fidelitatem.

PUNCTUM III.

Conversus Dominus respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat: Quia priusquam gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras Petrus flevit amare.

Consideremus ex una parte infinitam Jesu Christi caritatem, ut eam laudemus: ex altera promptam et vehementem Petri poenitentiam, ut imitemur. Jesus, licet ab inimicis undique cinctus, doloribus et opprobriis oppletus, omnium tamen poenarum et sui ipsius velut oblitus, sollicite discipuli recordatur, cujus perfidia ut plurimum ejus dolores et afflictionem auxit. Convertit in eum oculos misericordiae suae: et solo hoc obtutu perfectam Petri conversionem in ictu oculi operatur.

Domine! tu toties me jam respexisti: cur necdum conversus sum? emissus ex oculis tuis hic radius num minus efficax est, ac fuerit olim? Imo non, o Jesu, plane non: sed cor meum durius est corde Petri? Hanc emolli duritiem per efficacem et victricem gratiam: fac ex obstinato peccatore sincerum poenitentem.

Si amarae Petri lacrimae fuerint indices cordis vere amantis, ejus digressio e periculosa, in quam temere se conjecerat, occasione solidum fuit argumentum animi sincere poenitentis. Num possit infinita Dei tam graviter offensi bonitas considerari sine lacrimis? quis autem has corde sincero fundi credat, nisi impellant nos ad fugam occasionum, quae illas elicuerunt?

Converte, o Deus, oculos meos in totidem lacrimarum fontes, ut, quas erga te commisi, noxas diu noctuque deplorem: at generosos praecipue mihi animos

adde, ut pravas occasiones, meorum causas et irritamenta peccatorum, deinceps fugiam.

Feria V.

Falsi testes contra Jesum subornati.

(Matth. 26, 59. sq.)

PUNCTUM I.

Principes autem sacerdotum et omne concilium, cum nihil, seu in vita, seu in doctrina reprehensibile invenissent, per mendacia et calumnias, per fas et nefas *quaerebant falsum testimonium contra Jesum, ut eum morti traderent* saltem per sententiam, aliquo justitiae colore cohonestatam: *et non invenerunt, cum multi falsi testes accessissent. Novissime autem venerunt duo falsi testes et dixerunt: Hic dixit: Possum destruere templum Dei et post triduum reaedificare illud.*

At enim poterant ac debebant ex ipso tendendi ac explicandi modo intellexisse, quod Christus non de *materiali* Solymae templo, sed de *corpore suo*, ubi velut in templo residebat divinitas, locutus fuerit.

Plura adhuc ei objiciebantur crimina, at sine ulla veritatis specie, testibus sibi invicem contradicentibus: *et non erat conveniens testimonium illorum*, ait S. Marcus. Ad refellendos igitur hos testes unico Christi verbo erat opus: at nihil respondit, adeo, ut Caiphas pertinaci silentio, quod nullam Christum in verbo capiendi ansam dabat, offensus non sine stomacho dixerit: *Nihil respondes ad ea, quae isti adversum te testificantur? Jesus autem tacebat.*

O admirabile Jesu mei silentium! quam tu parum mundo es cognitum! quantam vero sapientiam et virtutem in te contines! quam parum te etiam illi observant, qui pietatem singulariter profitentur et perfectionem! quaerunt semper et excogitant rationes suam defendendi existimationem et honorem: mundum implent apologiis cum jactura meriti patientiae.

O divinum aeternumque Patris Verbum! cur nihil respondes? Agitur de tuo et Patris honore: agitur de

emolumento Religionis, ad quam stabiliendam in mundum venisti.

At sile, ratio humana, et divinam agendi rationem in Jesu adora, qui humile silentium omnibus, quae posset fundere, oraculis anteponens, plus gloriae Patris, plus honoris proprii, plus instructionis nostrae, plus aedificationis pro omni posteritate isto in silentio reperit, quam in omni sua eloquentia. O Domine! frenum pariter linguae et ori meo injice, tua ut gratia et exemplo suffultus sine questu aut excusatione tolerem, quidquid contra me dixerint homines et spreto vanae existimationis fumo totam in eo felicitatem ponam, quod patiendo merear aestimari a te amarique.

PUNCTUM II.

Videns autem Caiphas, quod Christus nihil respondeat, *ait illi: Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus, Filius Dei vivi. Dicit illi Jesus: Tu dixisti. Verumtamen dico vobis, amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei et venientem in nubibus coeli.*

Jesus constanter ad omnes injurias silens, statim atque a Caipha, homine licet impio, per nomen Dei adjuratus fuit, sine mora respondit. En! singularis erga Dei nomen reverentia statim linguam solvit in apertam confessionem, se enimvero Messiam esse. Alterum vero, quod adjecit, se quondam in throno majestatis suae judicaturum ejus injustitias, poterat utique ac debebat iniquo judici horrorem incutere nec non amorem justitiae, nisi passio intellectum offuscasset indurasset voluntatem.

O mi Jesu, vere Deus et homo, qui exaltaris simul et deprimeris. Exaltaris qua Filius Dei: deprimeris qua Filius hominis. O judex supreme, quem coram judice prorsus iniquissimo hodie stantem video velut reum, mox ad mortem condemnandum, in fine autem saeculi visurus sum in nubibus coeli venientem, ut totum judices mundum: heu! quanto tunc percelletur horrore Caiphas, passione excaecatus homuncio, terrae vermiculus, qui modo abjecta omni reverentia insolenter te tractat! Quantam e contrario in fiduciam eriges tot justos, qui

te humiliatum secuti, ut conformes tibi fierent, plus gaudii ac voluptatis hauserunt ex violenta ac injusta sui oppressione, quam ex honorificis applausibus et encomiis suis.

PUNCTUM III.

Tunc princeps sacerdotum Caiphas *scidit* (signum erat detestantis blasphemiam) *vestimenta sua, dicens: Blasphemavit; quid adhuc egemus testibus? quid vobis videtur? at illi respondentes dixerunt: Reus est mortis.*

Detestemur effrenatam Caiphae iniquitatem, dum sine ulla animi moderatione, contra omnem juris formam et judicii ordinem *judicis* simul, *actoris* et *testis* personam suscipit, nec non sub falsa zeli ac religionis specie collegas suos provocat, ut tamquam blesphemum ad mortem condemnent verum Dei Filium. At magis admiremur infinitam Christi patientiam, qui sine ullo commotionis internae signo manifestam hanc injustitiam pertulit, mortis sententiam excipiens ob prolatam veritatem.

O mi Deus! quam ferax solatii est hoc Servatoris exemplum! at quam efficax simul humilitatis incitamentum, quando tua providentia nos, ut Filium tuum, vult opprobriis saturari et a mundo injuste condemnari!

Nullam amplius hominum iniquitatem timeo, o Jesu, dum te conspicio ab ipsis tractari iniquissime. Injuriam sane magistro faceret discipulus, qui melius illo vellet haberi. Mihi certe de injuria conquerendi nullus superest locus, dudum mala omnia et poenas promerito. Tu vero, qui vitae auctor et verus es Deus, quod alta voce blasphemus, atque adeo morte dignus promulgeris, tune injustitiam adeo portentosam pati? pateris enimvero cum tranquillitate plus quam humana et pateris pro me, ut a Patre tuo impetres mihi veniam peccatorum: hunc in finem jam nunc eidem offers mortem, ad quam condemnaris. Laudent te propterea coeli et, dum scelerati homines te morte dignum pronuntiant, omnes angeli illis palam contradicentes in coelo et terra proclament: Dignus est vita Jesus Christus: homines rei sunt mortis: solum Jesus vita millies dignus est aeterna.

Feria VI.

Quid Christus in domo Caiphae reliqua nocte sit passus.

(Matth. 26, 67. sq.)

PUNCTUM I.

Vix prolata Caiphae et concilii in Christum sententia, *blasphemum esse ac mortis reum*, sine mora milites, quorum furori tradebatur, ceu furentes lupi in agnum innocentem magno impetu involarunt, mille modis, quos rabies et Orcus dictaverit, eum excarnificaturi. 1. *Expuerunt in faciem ejus*, ignominia eo majore, quo magis sordida. 2. *Colaphis eum ceciderunt* velata facie, ut liberius eum atque impudentius liceret percutere. 3. *Alii autem palmas* (quod major est inter homines ignominia et dedecus) *in faciem ejus dederunt*. 4. Barbam et capillos capitis ei summa crudelitate evellebant, certantes tormenta infligere, quae furor et daemon suggerebant.

Contemplare jam, anima mea, quis ille sit, qui modis adeo inhumanis tractatur. Est ille, qui *pertransiit benefaciendo et sanando omnes*. Ille, qui *sputo suo* lumen caecis, linguam et vocem mutis, surdis auditum dedit. Ille, qui ubivis locorum omnipotentiae ac bonitatis suae monumenta reliquit. Ille, quem prophetae suspirabant: *Ostende nobis faciem tuam et salvi erimus*. Ille, qui est *splendor gloriae Patris*. Hujus, inquam, conspuitur facies, *in quam desiderant angeli prospicere:* cujus intuitu nunquam satiari possunt Seraphim: quae est gaudium et beatitudo sanctorum. Hanc, ajo, faciem sputis defoedatam, colaphis contusam, alapis tumidam jam vides.

O veneranda Jesu mei facies, splendidior sole, luna pulchrior, astris speciosior! quomodo tu pateris nitorem venustatis tuae obscurari, adeo crudelibus defoedari colaphis? Quis te, o rex coeli et conditor universi, quis sine commiserationis affectu possit intueri a mancipiis, a vilissimis creaturis tam indigne habitum? Profecto rupe durius sit oportet cor meum, si hoc aspectu non emolliatur, memor, peccata mea, quorum stigma gerere ultro voluisti, unicam extitisse omnium, quas sustinuisti, ignominiarum ac tormentorum causam.

PUNCTUM II.

Triste hoc passionis dominicae initium, si solos inter ictus et verbera constitisset, satis non erat, ut ad vivum exprimeret ejus imaginem, a prophetis adumbratam. Verberibus adjungebantur convitia, irrisiones, contumeliae. Milites, daemonum ministri, non secus atque Philisthaei Samsonem, ludos fecerunt Christum. Velabant faciem ejus, ac, ut contumeliae adderent crudelitatem, undique percutientes dicebant: *Prophetiza nobis, Christe: quis est, qui te percussit?* Tunc impleta est prophetia Jeremiae: *Dabit percutienti se maxillam: saturabitur opprobriis* (Thren. 3, 30.): non tamen saturatus fuit ita, ut non plura semper desideraverit. Et nos eheu! nunquam saturamur honoribus: imo quo plus honorum possidemus, amplius affectamus. Adeo vesana aestuamus honorum cupiditate, siti hydropica, fame canina et insatiabili, ut more ignis nunquam dicamus: *Sufficit.*

Advolvamur pedibus humiliati Jesu nostramque erubescamus ad fastum propensionem: rogemus supplices, ut eam mutet in meliorem et divino magis conformem beneplacito.

Hanc ego ante alias omnes gratiam a te peto ardentissime, o Jesu; amorem, inquam, humiliationum, quas sustinuisti pro me. Largire (haud invideo) fidelibus servis tuis honores et gloriam, quam merentur: prodige in illos delicias et favores tuos effunde: altissimum contemplationis gradum ipsis concede. Sola posthac gloria, consolatio ac voluptas mihi erit humiliari tecum et contemni propter te.

PUNCTUM III.

Quod autem nocturnos Servatoris cruciatus multo graviores ac prorsus intolerabiles reddidit, illud erat, quod *continui* fuerint sine ulla minimi temporis intermissione aut quiete Christo concessa: id quod procul dubio longe atrocius est, quam intellectus noster aut imaginatio possit assequi. Pontifices cum sacerdotibus ibant cubitum: Jesus autem mansit arctissime vinctus et arbitrio satellitum relictus, quorum continuus claram usque in diem labor erat Christum vellicare, caedere,

mille modis discruciare, nullo vel tantillum respirandi, nedum quiescendi, spatio relicto.

Quale spectaculum, anima mea, illum, cujus majestatem laudant angeli, adorant dominationes, tremunt potestates, concelebrant Seraphim, videre in manibus vilissimorum scurrarum, quorum unica delectatio erat Christo indignissima quaeque inferre opprobria. Fierine possit, anima mea, ut hic aspectus tua non commoveat viscera ad commiserationem erga Deum tam male habitum, aut ad indignationem contra temetipsam, tanto amori nil nisi offensas rependentem?

O quam vere de te ipso dicis, o Jesu! *Ego sum vermis, et non homo.* (Psal. 21, 7.) Imo non tantum es vermis, quem omnes pedibus terunt, sed et sacrosanctam faciem tuam sputis, sordibus, ignominiis oppleri voluisti. Sed unde, quaeso, aut quorsum iste tui erga me amoris excessus? Nimirum voluisti innumeris obrui malis, ut ego aeternis exorner bonis: voluisti ita humiliari, ut meam sanes arrogantiam: voluisti odio hominum exponi et contemptui, ut ego addiscam contemnere ac odisse me ipsum. Quid autem tibi retribuam, Domine, pro omnibus, quae tribuisti mihi? aliud non petis, quam me ipsum: parum hoc et exiguum est; et tamen tam diu luctor et morose haesito in dando. Vah extremam ingratitudinem! vah duritiem ultimis dignam suppliciis! O Jesu mi! o vita! o amor mi! en! totus jam ex toto sum tuus.

Sabbato.

Repetitio unius ex praecedentibus meditationibus.

Dominica III. Quadragesimae.

Jesus surdum et mutum sanat.

(Marc. 7, 32. sq.)

PUNCTUM I.

Adducunt (ad Jesum) *surdum et mutum et deprecabantur eum, ut imponat illi manum.*

En vivam peccatoris imaginem, quem cordis induratio *surdum* simul fecit ac *mutum*. *Surdum* ad omnes hominum admonitiones et Dei inspirationes, quia diu utrasque sprevit. *Mutum*, seu ineptum ad loquendum Deo et de Deo, ad exponenda in s. tribunali peccata sua, quia ignarus est artis orandi, profanis solum assuetus colloquiis, fugiens s. poenitentiae tribunal.

An ego nunquam me exposui periculo in fatalem hunc statum prolabendi? aures occludo et portam cordis cogitationibus sanctis: negligo Spiritus Sancti inspirationes: perparum diligo Deum: rebus terrenis immersus sum: spiritualia nauseo colloquia: fastidio verbum Dei: horreo confessionem, neque ullum adhibeo conatum vincendi hunc horrorem etc. Haec et similia numquid certa sunt argumenta, vel certe initia mali adeo funesti et per totum fere mundum diffusi?

Ah! miserere tot surdorum, Domine, et mutorum, qui mundum implent: excita pios, qui pro eorum sanatione apud te *deprecentur*, eosque ad poenitentiae ministros *adducant*. Ego autem prostratus ad pedes tuos supplex rogo, ut tantam animae meae indurationem praevertas et lapsum in eam avertas, meque reddas docilem ad tuas inspirationes, fidelem in orationibus, ferventem in omnibus pietatis exercitiis.

PUNCTUM II.

Et apprehendens eum Jesus de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas ejus: et expuens, tetigit linguam ejus: et suspiciens in coelum, ingemuit, et ait illi: Ephphetha; quod est: adaperire.

Examinemus singula, quae hic Jesus fecit. 1. Mutum *apprehendens* manu *de turba* abducit *seorsum*, significaturus, spiritualiter surdos et mutos nunquam sanari, nisi prius ipsimet incipiant saecularibus se negotiis expedire. 2. Altum *ingemuit*. Eheu! quantum oportet esse malum, quod vel Deo possit suspiria exprimere! 3. *Suspicit in coelum*, ut doceat, inde solum sperari debere ac postulari sanationem morbi adeo periculosi, eamque per fervidas preces impetrari. 4. *Digitos mittit in auriculas surdi*, ut indicet, spiritualiter surdos et mutos sanare

donum esse Spiritus Sancti, qui *digitus Dei* est. 5. *Expuit et tetigit linguam ejus* saliva; coelestis enim sapientia, quae per salivam Jesu Christi denotatur, linguas nostras solvit in loquelam docetque et recte orare et recte loqui. 6. Denique imperat absolute qua Dominus: *Ephphetha: adaperire.* Quia solius divinae est potestatis auditum, ut vocem loquentis Dei percipiant, surdis reddere; *vivus est enim sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio*, fortior omni obstaculo. (Hebr. 4, 12.)

O mi Redemptor, qui maxima etiam prodigia nullo operaris negotio, cur tot mysticos hodierno in miraculo ritus adhibes? tuane mutum et surdum sanandi potentia minor est quam fuerit olim unico saepe verbulo sanandi alios? Non utique, minor non est, quia idem semper es Filius Dei altissimi ac omnipotentis, imo ejusdem cum ipso omnipotentiae: at singularibus his ceremoniis percellere nos ac docere voluisti, quantum sit malum induratio cordis, quae facit spiritualiter surdos et mutos. Benedicta sit aeternum bonitas tua: utque fructum, quem intendis, referam, summum in me semper conserva horrorem mali, cujus adeo funesti sunt effectus, sanatio tam operosa et difficilis.

PUNCTUM III.

Et statim apertae sunt aures ejus et solutum est vinculum linguae ejus et loquebatur recte.

Obstupescamus hic omnipotentiam Christi, cui nihil non possibile. Prout collibuerit, etiam insuperabilia salutis nostrae obstacula tollit eadem facilitate et efficacia, qua curat, quando vult, prorsus insanabiles corporis morbos. O quantum animae imbecilli ac spiritualibus tot infirmitatibus obnoxiae solatium est in Filio Dei adeo potentem simul et benignum habere medicum, qui universale in malis omnibus refugium est et potius miracula patraret, quam humilem repelleret orationem.

Porro illa sanatio ingentes animorum excitavit motus. Judaea laudibus et encomiis Christi tota personabat: praecipue ejus potentia celebrabatur communi in publicis acclamationibus praeconio: *Bene omnia fecit: et surdos fecit audire et mutos loqui.*

O increata Dei sapientia, Jesu Christe, qui ore infantium et simplicium tua praedicas magnalia: permitte, quaeso, ut eorum laudibus meas conjungam, dicens ex toto corde: *Perfecta sunt opera tua*, Domine. Bene omnia fecisti in creatione: bene omnia in nostra redemptione: bene omnia in tuis sermonibus, miraculis, sacramentorum institutione et relictis virtutum exemplis. Ad me quod attinet, nil restat tibi perficiendum, quam ut magnum sanctificationis meae opus felici perseverantia corones.

Feria II.

Christus raptatur ad Pilatum, Judas ad Orcum.

(Matth. 27, 1. sq.)

PUNCTUM I.

Mane autem facto rursus *consilium inierunt omnes principes sacerdotum et seniores populi adversus Jesum, ut eum morti traderent.* Interrogabant autem denuo omnes, an Filius Dei sit? Respondente Jesu, se enimvero Dei Filium esse, concordibus votis exclamaverunt omnes, ut morte condemnaretur, alia re jam opus non esse.

Perpende hic, anima mea, quod istud *mane* Christus et inimici ejus pari ardore expectarint, impari tamen animo ac fine. Expectabat Christus majorem in modum, ut grande redemptionis nostrae opus consummaret, triginta tribus annis desideratissimum: Judaei vero, ut perversam Jesum necandi cupiditatem ocius explere possent. Ex hac consideratione deduc affectus gratitudinis Christo debitae ob ardens desiderium videndi diem, quo se amore nostri immolare decreverat. Item affectus confusionis ac pudoris, quod impii vehementiore flagrent desiderio Jesum contumeliis afficiendi, quam nos ejus gloriam promovendi: nos, qui nos profitemur totos ejus cultui devotos esse. Pudeat nos coram eo teporis nostri: utque injurias divinae ejus majestati a Judaeis illatas pro virili resarciamus, in pedes provoluti dicamus illi:

Tu es (firmissima teneo fide) o Jesu, tu es Christus, verus Filius Dei vivi, splendor gloriae Patris, et figura substantiae ejus. Cur ergo pateris faciem tuam ita foedari,

sputis contaminari, colaphis caedi? Quinam adeo indigne divinam tractant personam? Ah! quid opus est indagine? ego, ego sum, qui meis te peccatis tam male habui. Imo (quid enim dissimulem, quod res est?) tuus erga me amor est, qui haec ignominiarum et crucis insignia suscepit. Per hoc ipsum clare agnosco, te verum esse Messiam, Deum amoris, Jesum, et Redemptorem meum.

PUNCTUM II.

Audito Christi de sua divinitate responso, factoque a senioribus decreto eum in mortem tradendi, de novo *vinctum adduxerunt eum et tradiderunt Pontio Pilato praesidi* Romano ac gentili.

Hoc erat tertium tribunal seu statio Christi, in qua longe alium quam Judaei finem divina habuit providentia. Illi Jesum tradiderunt praesidi Judaeae, ut ab eo solemnem mortis sententiam, cui nemo auderet adversari, obtinerent: Dei autem providentia rem ita disposuit, ut Judaei una et gentiles in ejus mortem conspirarent, qui pro omnium salute debebat mori.

Haec ipsa cogitatio Christum, quando clara luce inter inconditos militum et populi concurrentis clamores publice per plateas vinculis onustus ignominiosissime trahebatur, occupabat totum efficiebatque, ut aequo et patienti animo acceptaret atroces injurias ac opprobria, quae e domo Caiphae ad praetorium usque Pilati perpessus est: divinam scilicet Patris adorabat voluntatem in malitia Judaeorum impletam, eique lubens pro salute hominum se subjiciebat.

Totidem et multo plures, o Jesu, grates tibi dico, quot tu gressus maturasti ad accelerandum salutis ac redemptionis nostrae tempus. In novo hoc et profano tribunali te adoro, ad quod te multo magis amor erga me, quam inimicorum furor erga te, pertraxit. Eo utique non properas, ut liber dimittaris; si enim gens tua et populares tui, quos tantis cumulasti favoribus, ad mortem te condemnant, quid speres ab extero et gentili, qui te ne novit quidem? Docere solum me intendis, quod neminem a fructu passionis tuae excipias, atque adeo, si amo te, ego pariter universali animarum zelo, qui

neminem excipiat, flagrare debeam. Et quomodo vel unicam possim animam excipere, cum tu non excluseris meam?

PUNCTUM III.

Tunc videns Judas, qui eum tradidit, quod Jesus in concilio sacerdotum ad mortem *damnatus* atque Pilato, ut hic mortis sententiam executioni daret, traditus esset, *poenitentia ductus retulit triginta argenteos principibus sacerdotum et senioribus*, tunc in ministerio templi occupatis, *dicens: Peccavi, tradens sanguinem justum: at illi dixerunt: Quid ad nos? tu videris. Et projectis argenteis in templo recessit et abiens laqueo se suspendit*, exemplo desperati Cain cogitans: *Major est iniquitas mea, quam ut veniam mereatur* aut misericordiam. (Gen. 4, 13.)

En, quo Judam satanas deduxerit. Quando illi proditionem magistri suasit, oculos, ne sceleris atrocitatem agnosceret, excaecavit: statim post commissum crimen aperuit, ut totam ejus immanitatem intueretur et ageretur in desperationem, ex hac in Orcum praecipitaretur. Visne similem effugere infelicitatem, anima mea? aliam a Juda viam et agendi methodum arripe. Si ad peccandum tentaris, peccati turpitudinem, effectus et finem diligenter considera, ut illud evites. Quodsi non obstante hac diligentia cadas in peccatum, non ita oculos animumque in eo merge, ut obliviscaris misericordiae Dei et gratiae, per quam te erigas; ab hac enim sola veram possumus expectare poenitentiam. In quo autem defecit poenitentia Judae? Numquid omnes tres poenitentiae partes habuit? 1. *Contritionem* internam: *Poenitentia ductus?* 2. *Confessionem: peccavi tradens sanguinem justum?* 3. *Satisfactionem* congruam, quia sacrilegum, quod injuste acceperat, pretium restituit: *projectis in templo argenteis?* In quo igitur defecit poenitens Judas?

In spe, o Jesu, in spe defecit, tuae oblitus misericordiae ac bonitatis infinitae, quae nunquam non paratissima est ad recipiendos etiam maximos peccatores, prout recepisti tot alios. Nisi Judas fuisset summe ingratus et in malo obfirmatissimus, haec spei motiva

atque exempla oblitus fuisset nunquam, sed lacrimantibus oculis, corde contrito, fiducia plenus ad tuos abjectus pedes invenisset, licet indignissimus, veniam sceleris, gratiam Servatoris.

Hi sacratissimi pedes tui, o Jesu, meum peccatoris semper erunt asylum: hos manibus stringere, lacrimis rigare cessabo nunquam: et certus sum de tua misericordia, de poenitentiae meae efficacia, de peccatorum venia; quantumcunque enim multa fuerint et magna, infinite major tua est misericordia.

Feria III.

Christus accusatur apud Pilatum.

(Joan. 18, 28. sq.)

PUNCTUM I.

Ut Pilatus mortis reum crederet Jesum, gravissima secum praejudicia afferebant Judaei per haec quatuor: 1. quia viri graves, pontifices et sacerdotos ejus mortem deposcebant. 2. Quia titulo religionis sententiam mortis urgebant die omnium solemnissimo, qui erat Pascha, utique id non facturi, nisi prorsus insignis foret nebulo. 3. Quia palam protestati sunt: *Si non esset hic malefactor* haud vulgaris, *non tibi tradidissemus eum.* 4. Quia ipsum actu de gravissimis sceleribus accusabant: *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram; prohibentem tributa dari Caesari; dicentem se Christum regem esse.* (Luc. 23, 2.)

Haec audiens quis non dixisset, Filium Dei infamem et sceleratum esse hominem? Quis autem, videns quanta in scelera hominem passio vehemens et obstinatio praecipitet, non cohorrescat, si vel obiter expendat falsissimas impiorum contra perspectam sibi Jesu innocentiam accusationes? etenim manifeste noverant eas mera esse mendacia et calumnias, cum Christus omnino contraria docuerit feceritque. Sic 1. populum non ad seditionem, sed ad obedientiam hortatus est dicens: *Super cathedram Moysis sederunt scribae et pharisaei: omnia ergo, quaecunque dixerint vobis, servate et facite.* (Matth. 23, 2. 3.)

2. Non prohibuit, sed expresse jussit *reddi, quae sunt Caesaris, Caesari.* 3. Nunquam se *regem*, terrenum scilicet, esse dixit, sed potius, *cum cognovisset, quod venturi essent, ut facerent eum regem, fugit in montem.* (Joan. 6, 15.)

O humilitas, quae regem regum extremis sane ignominiis exponit! O virtus, Jesu meo tam cara! an ego nunquam te amabo? O humillime Servator, insere eam, imo tam alte cordi meo insculpe, ut imposterum nil desiderem ferventius quam contemni, omnium pedibus conculcari, pro scelerato haberi, omnium calumniis meta fieri, ut tuorum merear opprobriorum particeps reddi.

PUNCTUM II.

Pilatus ex auditis accusationibus haud difficulter invidiam et rabiem actorum collegit. Quare testimoniis eorum non satis fidens ipsum interrogat Jesum super praecipuis, quae objiciebantur, capitibus et ab ultimo, quod facile princeps erat, exorsus: *Tu es*, ait, *rex Judaeorum? Respondit Jesus: Regnum meum non est de hoc mundo*, quale Caesar possidet: non est ergo, quod sibi timeat a me. *Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judaeis; nunc autem regnum meum non est hinc. Dixit itaque ei Pilatus: Ergo rex es tu? Respondit Jesus: Tu dicis, quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.*

Expende, anima mea, admirandas Christi in hoc responso sententias. 1. Fatetur non modo se terrenum haud esse regem, sed nec affectasse ejusmodi regnum: uti tamen calumniantur accusatores. 2. Palam contestatur, regnum suum esse omnino coeleste ac spirituale: ministros et proceres suos esse vel justos in terris in ipsum credentes, vel angelos in coelis ad exequenda ejus imperia semper promptissimos. 3. Denique addit, se venisse in mundum ad docendam veritatem: hanc qui audituri essent, veros fore subditos suos.

Rex supreme, qui *constitutus* es a Patre aeterno *rex super Sion montem sanctum ejus*(Ps. 2, 6.), decuit omnino

et meritus es rex esse totius universi et subditos habere omnes terrae principes. At caritas tua infinita huic mundi pompae renuntiavit, ut documento mihi esset atque exemplo, spretis mundi bonis coelestia solum esse amanda. Dignare, quaeso, rex amabilissime, me tuos inter numerare subditos et, quoniam hi ex sincero veritatis amore dignoscuntur, in cordis mei penetralibus doce me, quid sit veritas, ut eandem agnoscam et amem. Mihi crede: Pilato docilior, qui ex te quaerens: *quid es veritas?* responso minime expectato tergum tibi obvertit, illam laetus audiam, submisse credam, fideliter sequar.

PUNCTUM III.

Auditis adeo prudentibus Christi responsis plane judicavit Pilatus, eum esse innocentem ideoque secum e praetorio eum deducens *iterum exivit ad Judaeos et dicit eis: Ego nullam invenio in eo causam,* aut quid morte dignum in hoc homine. Ad haec timentes Judaei, ne praetor liberum dimitteret Jesum, denuo accusabant eum in multis. Jesus autem nihil respondit. *Tunc dicit illi Pilatus: Non audis, quanta adversum te dicunt testimonia? Et non respondit ei ad ullum verbum, ita, ut miraretur praeses vehementer.* (Matth. 27, 13. 14.)

O prodigiosum Jesu mei silentium! quam efficax es ad nos rubore perfundendos! Si vel umbra injuriae nostro imminet honori et existimationi, mox ad repellendam consurgimus contumeliam, omnia replemus querelis, nsectationibus, apologiis, cum tamen rei, peccatores, omni contemptione simus dignissimi. Et Jesus omni honore infinite dignus, cum de gravissimis sceleribus accusatur innocens, nec queritur, nec verbulo se defendit.

Quam merito nomen *Admirabilis* nactus es, o Jesu, quia pari admiratione dignae sunt tuae humiliationes, ignominiae et labores, quam tua primae classis miracula. Admirabile fuit tuum coram Caipha silentium: longe autem admirabilius est illud coram Pilato, ubi accusationes sunt multo vehementiores: crimina, quae objiciuntur, atrociora: periculum, quod capiti tuo imminet, praesentius: ad quod tamen depellendum, ad inimicos

confundendos, ad judicem jam satis propitium in tuas partes trahendum unico solum opus erat verbulo. Solus tu, o Jesu, eras par servando tali silentio plus quam heroico et sane necessario ad reprimendam linguae meae intemperantiam, ut exemplo tuo discam pati et silere, quando injuriae et calumniae ad me innocentem opprimendum conspirabunt.

Feria IV.

Illuditur ab Herode.

(Luc. 23, 5. sq.)

PUNCTUM I.

Sacerdotes autem et pharisaei contra Jesum *invalescebant dicentes: Commovet populum docens per universam Judaeam, incipiens a Galilaea usque huc. Pilatus autem audiens Galilaeam, interrogavit, si homo Galilaeus esset: et ut cognovit, quod de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem,* ut tempus nancisceretur Christum innocentem dimittendi atque Judaeorum furorem sedandi.

Quid prodest judici aequum esse, si imbellis, meticulosus et elumbis sit? Pilatus ingenio est perspicax: naturalem justitiae cognitionem habet et amorem: ast tantum animi ac fortitudinis non habet, ut jus suum ac libertatem innocenti tribuat. Imo ignavus judex novis Jesum ignominiis exponit, quas pari, ut priores, humilitate ac patientia Servator sustinet.

O infatigabilem Jesu mei patientiam! o humilitatem invictam! Ergone, Servator mi, opprobriis et humiliationibus pro me saturari haud poteris? A tribunali raptaris ad tribunal: nullumne invenies, quod jus tibi tribuat teque a crudelissima hostium tuorum obstinatione vindicet? id certe in isto, quo raperis, tribunali Herodis non invenies: neque vero expectas a rege tam crudeli, quam injusto, qui fratris sui uxorem sibi tulit et innocente S. Joannis Baptistae, eo quod illud scelus reprehenderit, *decollati* sanguine adhuc manat. Eo tantum fine istud tribunal accedis, ut majoribus quam hucusque

ignominiis afficiaris, atque adeo efficaciores causas nobis relinquas amandi propter te humiliationes ac opprobria.

PUNCTUM II.

Herodes autem viso Jesu gavisus est valde; erat enim cupiens ex multo tempore videre eum et sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. Interrogabat autem eum multis sermonibus: at Jesus nihil illi respondebat.

En! qui alias implet, imo praevertit desideria justorum, tantum abest, ut signum aliquod seu prodigium in praesentia Herodis faciat, ut nec responso ipsum dignetur in poenam scelerum, incestuosi connubii, arrogantiae, curiositatis: illis autem, qui aulas principum frequentant, documentum reliquit, dicendum nihil faciendumque animo palpum illis obtrudendi cum damno honoris divini, etsi sancta haec et religiosa libertas fraudi ipsis foret.

Quanti constitisset Christo unicum edere signum, qui innumera ubique prodigia edidit? Si vel os aperuisset suasque silendi rationes exposuisset, saltem contentus fuisset Herodes. Sed quid dico, *contentus?* Christi discursu et eloquentia captus, haud dubie ejusdem defensor evasisset. Christus tamen ut piscis siluit, licet minime ignarus, se regis indignationem silendo incursurum.

Amabilissime Redemptor, qui tot prodigiis hactenus patratis tuam orbi omnipotentiam demonstrasti, eandem in hac tanti momenti occasione, ubi de honore tuo et vita agitur, demonstra. Esto, quod arrogantia et curiositas Herodis nullum mereatur signum: at tua id utilitas exigit necessitasque. Sic liber evades, de tuis triumphaturus inimicis. Ah! quid de triumphis loquor? tu non alium, quam tuae erga nos caritatis triumphum petis. Nihil non commodorum lubens immolas, si de eo agitur, ut nos tuo instruas exemplo, tuo redimas pretioso sanguine.

PUNCTUM III.

Videns Herodes, Jesum ad omnia, quae vel ipse interrogabat, vel objiciebant Judaei, omnino tacere,

sprevit illum cum exercitu suo et illusit indutum veste alba et remisit ad Pilatum.

Herodes spe sua dejectus, sprevit Jesum et, ut ei illuderet, quia regem se ex stultitia fecisse accusabatur, alba veste, qualis erat Caesarum, indui jussit. Regis exemplum aemulata cohors praetoriana, ut hero placeret, strenue fabulam promovit, Christum ut regem delirum et jocularem exsibilando.

Judicia hominum, quantum vos sperno! Mundi aestimatio, quam parvi te nunc facio! Increata Dei sapientia pro stulto habetur a pseudopolitico et prudente saeculi. At quam caeca est prudentia et politica mundi! Hic sane impletur effatum Jobi (12, 4. 5.): *Deridetur justi simplicitas. Lampas contempta apud cogitationes divitum parata ad tempus statutum* revelationis.

O Verbum divinum! o aeterna Dei Patris sapientia! o lampas pretiosissima, doctrina et claritate lucens simul et ardens! O mi Jesu, qui tantos mansuetudinis ac patientiae radios emittis, tot nostri causa humiliationes ac opprobria sustinens! erit, erit tempus, quo apparebis, qualis revera es, Deus ad confusionem divitum ac superborum, qui te despiciunt. Confunde eos, Domine, exemplo humilitatis tuae, in hac etiamnum vita eos confunde, ut ad cor et ad se reversi incipiant, quod spreverunt, diligere; et spernere, quod dilexerunt. Me quod attinet, qui per tuas illustrationes tam clare video inane et nihilum eorum, quae mundus magni facit, e contrario pretium humiliationum, quas tui imitatores sustinuere, nihil jam timeo in mundo, quam aestimari ab eo: nihil desidero, quam ab eo contemni: et, quod summis a te infimisque precibus unice peto, o Jesu, tua desidero portare insignia et tecum pro stulto haberi.

Feria V.

Postponitur Barabbae latroni.

(Matth. 27, 15. sq.)

PUNCTUM I.

Pilatus cupiens adhuc magis Jesum, quem nec Herodes damnaverat, morti eripere, medium opportunum

excogitabat atque etiam reperisse existimabat, quo Judaei compellerentur ipsimet dimissionem Christi petere. Consueverat praeses quotannis in Paschate duos aut plures vinctos proponere, ut ex iis eligerent, qui dimitteretur liber. Pilatus igitur opportuna occasione usurus solum cum Jesu Barabbam, insignem prae omnibus vinctis nebulonem, seditiosum, latronem, homicidam illis proposuit, nullus dubitans, quin Jesum prae isto hominum sceleratissimo essent electuri; dixit ergo illis: *Quem vultis dimittam vobis: Barabbam, an Jesum, qui dicitur Christus?*

Siste hic paulisper, anima mea, et magno cordis dolore extremam Domini tui humiliationem considera. Sanctissimus, sapientissimus, optimus componitur cum latrone, seditioso, homicida! et quidem in eo rerum articulo, ubi agitur de libertate et vita! quam enormis haec est ignominia! atrocior tamen sequitur, quam ex humilitate Christus in se suscepit. Barabbas, illud probrum ac odium totius populi, suos invenit protectores ac patronos: nullum Jesus, ne unum quidem. Imo (horresco referens) *principes sacerdotum et seniores persuaserunt populis, ut peterent Barabbam Jesum vero perderent.*

O mi Jesu! ne tu jure optimo querelam olim propositam poteras tunc repetere: *Cui assimilastis me et adaequastis?* (Isa. 46, 5.) me universi creatorem vilissimo hominum? ipsam sanctitatem mortalium sceleratissimo? Ah Domine! quali opus erat remedio, ut mea sanaretur superbia! Fierine potuit, ut tota civitas Solymaea adeo iniquam comparationem ferret silens? ut inter tot sanctitatis tuae et vitae integerrimae testes nemo esset, qui testimonium tuae daret innocentiae? qui vel verbulo te defenderet? O divine pauperum protector! cur ita desereris ab omnibus? cur angeli de coelo non descendunt, ut hanc tuam ulciscantur injuriam? Nimirum toleras eam, ut leviorem mihi reddas jacturam amicorum simulque doceas me in te solo meam quaerere defensionem, gloriam, protectionem.

PUNCTUM II.

Pilatus populum urgens, ut e duobus, quos proposuerat, unum eligeret, dixit: *Quem vultis vobis de duobus*

dimitti? et clamabant omnes: *Barabbam;* Jesus autem *crucifigatur.*

Poteratne, anima mea, major esse contemptus ac injuria Christi? Non solum comparatur cum homine infami omnemque promerito contemptum, sed eidem postponitur, ab omnibus libertate ac vita prae Barabba indignior judicatus, velut *opprobrium hominum et abjectio plebis.*

Deum immortalem! quanta haec est injustitia! quanta Judaeorum ingratitudo! Sed numquid et Christianorum? numquid et nostra? Heu nos! quoties in contemptum Dei et legis divinae consensimus peccato, toties Barabbam Jesu nostro praetulimus: toties vilis creatura, sensualis voluptas, inanis gloria, tenue lucellum cor et aestimationem nostram non sine ingenti Servatoris ac divinae majestatis contemptu sibi rapuere. Erubescamus igitur Judaeis aliquo modo pejores; nos siquidem lumine fidei Deum et Filium Dei clare cognoscimus, utroque tamen spreto cor et amorem nostrum perituris consecramus.

Ignosce (supplex veniam a te precor) ignosce, Servator mi, quod te ita spreverim excaecatis ingratisque Judaeis haud absimilis, qui latronem Barabbam tibi impie praetulerunt. Utinam vel impendio vitae meae hanc tibi illatam possem resarcire injuriam! O quantum erubesco, meque ipsum horreo, considerans me tantae reum injustitiae! Detestor meum erga creaturas amorem: detestor superbiam, horum causas malorum. Praecipue intolerabilem meam, o Jesu, confunde superbiam, omnium fontem peccatorum et gratiam concede nihil posthac amandi, quam humiliationes; probro enim est terrae vermiculo caput erigere, summam videns humilitatem tuam.

PUNCTUM III.

Audiens Pilatus, quod Judaei Barabbam elegerint, obstupuit *et dixit illis: Quid igitur faciam de Jesu, qui dicitur Christus? Dicunt omnes: Crucifigatur. Ait illis praeses: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant dicentes: Crucifigatur.*

Consideremus intolerandam prorsus et crudelem perversi judicis ignaviam, qui perspecta Christi innocentia

tantum animi et aequitatis non habet, ut eum pro officio absolveret, sed seditiosam quoque plebem interrogat, quid de eo fieri velit: *Quid igitur faciam de Jesu?* et hac ratione furori inimicorum sacrificat vitam innocentis, proditor, cujus debebat esse protector. Heu! quantum doluerit Christo videre se adeo ignave derelinqui, audire clamores ingratae gentis, necem suam elata voce deposcentis velut mercedem caritatis erga illam infinitae!

O mi Jesu! quam miserabilem in statum mea te redegerunt peccata! haec, haec clamabant: *Crucifigatur, crucifigatur;* ad illa enim expianda vis mori in cruce. Tota, dum contrito corde de commissis doleo peccatis, consolatio mea est, quod sciam, *veterem hominem nostrum* una tecum *simul esse crucifigendum*, ut per crucem et mortem tuam crucifigatur, moriatur, *destruatur corpus peccati.* (Rom. 6, 6.) Destrue igitur, Redemptor amantissime, mea penitus destrue peccata, ne porro in corde meo reviviscere, novam tibi crucem parare et exclamare possint: *Crucifigatur* Jesus! *Crucifigatur!*

Feria VI.

Dirissime flagellatur.

(Matth. 27, 26.)

PUNCTUM I.

Videns ergo Pilatus pervicaciam populi, Jesum ad crucis mortem deposcentis, *dimisit illis Barabbam, Jesum autem flagellatum tradidit eis, ut crucifigeretur.* Tradidit *flagellatum:* seu id fecerit, ut observaret legem Romanorum, crucifigendos jubentem prius flagellari: seu ut crudeli hoc supplicio Judaeos ad commiserationem, ac denique ad petendam Christi dimissionem permoveret.

Vah injustam, ignominiosam, ex omni parte crudelem sententiam! Imo *injustissima* est, quia judex sciebat, Jesum esse innocentem: *ignominiosissima*, quia supplicium erat infame, latronibus et mancipiis proprium: *crudelissima* test, quia horrendis doloribus sanguinem eliciebat. Jesus tamen huic sententiae se ultro subjecit, quin ad altius tribunal appellaret, aut ullum querelae vel sensus ederet

signum. Ad coelum, ubi haec sententia fuerat lata, antequam a Pilato fuerit pronuntiata, suos convertit oculos, dicens cum Davide: *Ego in flagella paratus sum:* subinde vultu demisso carnificibus cum humili simul ac generosa subjectione sacrosanctum corpus suum obtulit ad expianda hominum peccata.

Imaginemur nobis insuper, quod nos benigni instar medici aspiciat, qui misericordia motus vult in toto corpore suo *vulnerari propter iniquitates nostras et atteri propter scelera nostra* (Isa. 53, 5.), ut corporis sui vulneribus nostra sanaret animarum vulnera. Hoc erat cruentum illud remedium, quod Pilatus ad emolliendam Judaeorum saevitiem excogitaverat: at simul medium, quod Jesus adhibuit, ut tanto amoris signo nos ad se redamandum provocaret, neutiquam dubitans, quin, si aperta flagellis viscera sua nobis monstraret, nos sit permoturus, ut omnem affectum cordis ipsi consecremus.

Grates tibi infinitas, o Jesu, quod per excessum amoris acceptare digneris sententiam Pilati adeo injustam, adeo ignominiosam, adeo crudelem. Illa contra me est lata: *ego*, *ego sum*, *qui peccavi: ego inique egi. Vertatur*, *obsecro*, *manus tua contra me* (II. Reg. 24, 17): mihi debentur flagella, non tibi.

Laudent te omnes coeli et omnia, quae intra me sunt, benedicant sancto nomini tuo ob ineffabilem hanc caritatem, quae impulit te ad acceptandum, quod mea peccata meruerunt, infame supplicium.

PUNCTUM II.

Milites audita Pilati sententia furiis similes in Jesum involant et crudeliter vestibus, etiam inconsutili tunica, spoliatum alligant nudum columnae. Si funes defuissent, o Jesu, ad te ligandum suffecissent funiculi caritatis tuae, desideriumque pro salute nostra tuum fundendi sanguinem.

Perpende, anima mea, quanto pudore verecundus Servator suffundatur nudus in conspectu tot petulantium militum, quibus virginalis Jesu pudor ludibrio est et risui. Plus delicatissimo corpore tunc anima Christi

debuit pati: et tulit patientissime istud opprobrium in satisfactionem tot peccatorum, quae nos veste gratiae ac virtutum spoliarunt.

Agne Dei innocentissime, qui mirabili mansuetudine ac sine ullo gemitu pateris te denudari, animam meam ab illa ignominiosa nuditate, ad quam peccatum redegit eam, vindica eique pretiosissimam innocentiae et gratiae vestem, qua ante peccatum erat exornata, restitue. Hinc tuae me adsterno columnae, supplex, ut gratiam mihi largiaris omnes terrenas affectiones exuendi atque pretiosissimum gratiae tuae amictum recuperandi.

PUNCTUM III.

Vix ad columnam ligatus erat Servator, carnifices inaudita crudelitate coeperunt tenerrimum et sanguineo sudore, quem paulo ante in horto fuderat, debilitatum corpus caedere, ad cruentam hanc executionem animati tum a principibus sacerdotum, omnem furoris limitem egressis, tum a daemone, omnem exerente rabiem, ut Christi patientiam frangeret: fors ab ipsomet Pilato, cupiente per immane hoc spectaculum crudelia Judaeorum corda ad commiserationem flectere. Et vero ad miserabilem hunc statum brevi redactus est Jesus barbara crudelitate istorum hominum, qui non humeros solum et tergus incredibili ictuum numero dilaniarunt, verum et reliquum corpus, nec brachiis, nec pectori, collo, alterive corporis parti ullo modo parcentes, ita dilacerarunt, ut costarum ossa denudarentur et *a planta pedis usque ad verticem non fuerit in eo sanitas*, sed merum *vulnus et livor et plaga tumens.* (Isa. 1, 6.)

En castum animarum - sponsum, quem in spiritu olim videns, idem propheta (53, 2—5.) altum ingemuit: *Non est species ei, neque decor; et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum: despectum, et novissimum virorum. Virum dolorum: unde nec reputavimus eum, et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum, attritum propter scelera nostra.*

Admirare, anima mea, summam mansuetudinem, et perfectam animi tranquillitatem, qua Christus Jesus

sine ullo impatientiae, perturbationis, aut internae commotionis indicio omnia suffert; incudi sub malleorum ictibus immotae similis, et sanguine diffluens singulos flagellorum ictus Patri tacite offert in debitam pro peccatis satisfactionem.

Provolvere jam, anima mea, ad pedes Redemptoris tui, flagellis undique concisi, vulneribus cooperti, viribus et sanguine exhausti: provolvere, inquam, ad ejus pedes et saltem lacrimas sanguini ejus, quem amore tui profundit, commisce: amare tua defle peccata, unicam ejus dolorum causam: dic intimo doloris et gratitudinis sensu:

En, o Jesu, in quas te miserias ac dolores meae conjecerint corporearum voluptatum cupiditates. En, quam caro steterit tibi inordinatus amor proprius et caeca voluptatum libido mea. At nihil eorum, o amor animae meae, in votis posthac et amoribus mihi erit. Tui solius amore cupio ardere; juges ineffabili tuae caritati grates agere; sacram, cui alligatus eras, columnam ceu unicum spei meae columen assidue amplecti; tecum semper pati, poenitentiam meam tuis unire doloribus, et mortificando reum corpus meum commissa expiare peccata, ob quae innocens corpus tuum adeo barbaram sustinuit flagellationem.

Sabbato.

Spinis coronatur.

(Matth. 27, 27. sq.)

PUNCTUM I.

Post cruentam flagellationem Jesus ad pedem columnae suo innatans sanguini exanimis corruit. Quis non credidisset, carnifices, tantis Christi cruciatibus exsaturatos, aliquod respirandi spatium illi concessuros? Imo ex instinctu daemonis nova semper et nova excogitant tormenta ad discruciandum. Igitur illum compellunt de terra surgere, exsanguem licet ac exanimem. Mutuo sese excitant ad excarnificandum magis magisque Christum, se vero ejus cruciatibus magis oblectandos. Jesus contra

nil reluctans totum se eorum furori tradit et, quo plures torquendi modos illi excogitant, eo plures desiderat, ut plene pro nostris satisfaciat peccatis.

O invicta Jesu patientia! o caritas erga nos infinita, quae numquam dicit: *sufficit*, sed insatiabilis semper nova amoris sui argumenta edere ingeniose satagit; hinc alios semper aliosque cruciandi modos a tortoribus suis adinveniri permittit, nec ultimae sanguinis sui guttulae parcens. Et ego tam parum redamo, ut semper mihi videar nimium pro ipso agere et pati, dum vix aliquid ejus amore ago patiorve.

O quantum obstupesco tuae excessus bonitatis, o Jesu! at quantum vicissim erubesco, quod tam modice, tam parce, tam restricte, imo tam avare te redamem! Ah! ardentissime animarum amator! has mihi condona noxas et ignaviam, quoniam me adeo constanter amas. Satis superque meam tolerasti ingratitudinem: finem denique ac modum illi pone dando mihi cor amore et gratitudine plenum. Sanctum mihi inspira fervorem omnia faciendi posthac et patiendi pro te: per hoc ipsum, Domine, tui erga me amoris constantiam et efficacitatem mihi ad oculum demonstrabis.

PUNCTUM II.

Excogitarunt autem rabidi lictores non minus ignominiosum, quam crudele tormenti genus, nimirum coronationem, et *plectentes coronam de spinis posuerunt super caput ejus*, ex acutissimis contextam spinis, quae, cum a numeroso milite per vim capiti fuerint immersae, illud omni ex parte altum perforarunt et magnam sanguinis copiam, quem flagella in venis reliquerant superstitem, expresserunt. Crudeli hoc diademate frontem et caput Christi coronarunt in contemptum majestatis regiae, quam affectasse arguebatur. *Coccineam praeterea chlamydem*, seu purpuram, proprium regibus vestimentum, *circumdederunt ei et arundinem in dextera ejus* dederunt, velut regi scenico. *Et genu flexo ante eum, illudebant ei dicentes: Ave rex Judaeorum.*

Surge igitur, anima mea, et spiritu *egredere* et sicut una ex filiabus Sion *vide* verum hunc *regem*

Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua secundum carnem (Cant. 3, 11.), verius noverca, nimirum synagoga, *in die desponsationis* et spiritualis connubii, quod in crucis thalamo propediem cum animabus nostris est consummaturus. Considera porro summa confusione, quod tua mollities, ignavia et superbia ignominioso hoc diademate eum coronaverint: Hi, hi erant aculei et cuspides, quae Jesum longe crudelius, quam corona e spinis, fodicarunt. Quia *rosis nos coronavimus et corona superbiae*, ideo Christus corona spinarum, doloris ac ignominiae redimitur. O spinae auro pretiosiores! una simul vos conjungite, et cor meum viva de peccatis contritione compungite. O sacra Jesu corona, quantumvis horrida sis, aut videaris mundo, ego tamen te revereor et adoro, ceu augustam Dei et regis mei coronam.

Rex regum, Christe Jesu! quam dispari cultu adoraris in coelo et in terra! ibi angeli te adorant tamquam Deum suum verumque regem: dum interea homines te ficte adorant ut regem ludicrum, jocularem, comicum. Ego quidem tantam impiorum detestor blasphemiam, meaque obsequia jungo homagiis et adorationi, quam tota coelestis curia tibi praestat *adorans in spiritu et veritate.* (Joan. 4, 23.) Ave igitur (ita ex intimo cordis affectu te saluto) *ave rex Judaeorum* et gentium: ave rex angelorum et hominum: utque injuriam a Judaeis tibi illatam pro virili reparem, pedibus tuis humillime advolutus supplex rogo obtestorque, ut mea haec obsequia clementer acceptare, me in servum tuum recipere, tuis insignibus (opprobriis) honorare, ac denique in regnum tuum admittere digneris, ubi te possum adorare, laudare, glorificare in aeternum.

PUNCTUM III.

Rabies carnificum intra contumelias et verba non stetit: ventum ad verbera. *Alii acceperunt arundinem et percutiebant caput ejus*, ut spinas profundius capiti infigerent. Alii *expuentes in eum illuserunt ei.* Alii, ut S. Joannes addit, *dabant ei alapas.* Imo fas est credere, omnia, quae Jesus in domo Caiphae passus est, tor-

menta, injurias, verbera in aedibus Pilati fuisse iterata, Jesu id permittente, ut gentiles aeque ac Judaei passionem ejus promoverent et utrique suo tempore fructum passionis referrent.

Hic solus erat Jesu nostri labor, anima mea, cruciatus omnes pro ipsis etiam carnificibus Deo Patri ex animo offerre. Robur, solatium et animos patienti addebat spes fructus ex passione sua in nos redundaturi et sola imaginatio de salute vel unius animae acerbitatem dolorum convertit in delicias animi.

O quam admirabilis es, o caritas Jesu mei! quam digna omni obsequio, laude et gratitudine hominum! Et quid ego pro illa tibi reddam, Domine? nimirum curam meae salutis, quae adeo tibi erat cordi. Incumbam totus in perfectionem meam, cui tuum honorem, quietem, vitam, omnia consecrasti. Esto mea pace, ut ad vitae sanctitatem pertingam, esto necesse tecum pati dolores et opprobria; jam nunc illa lubens accepto, ut fideliter tuam humilitatem ac patientiam imiter.

Dominica IV. Quadragesimae.

Jesus quinque panibus pascit quinque milia hominum.

(Joan. 6, 5—14.)

(Vide supra pag. 111.)

Feria II.

Ecce homo.

(Joan. 19, 5. sq.)

PUNCTUM I.

Pilatus locum ingressus, ubi Jesus fuerat dirissime flagellatus, videns suo innatantem sanguini et penitus deformatum, existimabat, quod ad placandam Judaeorum rabiem sufficeret Jesum conspectui eorum exponere. Jussit ergo milites Jesum in locum praetorii eminentem, unde omnium pateret oculis, ducere: ipse autem primus eo ascendens elata voce dixit ad populum: *Ecce homo!*

Hoc est: *Ecce homo*, quem accusastis regnum affectare et moliri rebellionem, seu gentis vestrae sublationem atque excidium. Videte modo, an perficiendo tanti moliminis operi par sit. Atque hunc sensum duo verba *Ecce homo* in mente et ore Pilati habent: at longe alium in mente Patris aeterni, diligenter ponderandum, ut ad affectus gratitudinis, admirationis et amoris erga Christum excitemur.

Ecce homo! ait divinus Pater: *Ecce homo*, qui *meus est Filius dilectus, in quo mihi complacui.* (Matth. 3, 17.) Quantumcunque sputis, sanguine, vulneribus sit deformatus, *imago* tamen *meae* est *substantiae*, non minore dignus admiratione inter sputa, colaphos et opprobria, quam in splendoribus gloriae meae et nisi corda vobis sint aere fusa, hic ipse miserabilis status, ad quem amor vestri redegit eum, debet vobis amore digniorem reddere. *Ecce homo*, quem misi in mundum, ut ei fieret Redemptor, vobis autem magister simul et exemplar sanctitatis. Obstupescite internas ejus virtutes sub abjecta hac exteriore specie latentes: humilitatem in tot opprobriis, mansuetudinem in tam atrocibus injuriis, patientiam in tam horrendis doloribus, caritatem in medio tot tantorumque inimicorum etc. Et siquidem eo fine, ut sancti evadere discatis, eum vobis ante oculos propono, sedulo et assidue ipsum aspicite: *Ecce homo!*

Ita est, o Jesu: tu eris perenne cogitationum, studii, amoris et gratitudinis meae objectum: tu meae eris idea, speculum et exemplar perfectionis, cui me conformem reddere allaborabo, ut viva tuarum virtutum imago evadam. Ita est, amantissime Pater Servatoris mei: ita est; nunquam non oculos defigam in absolutissimo hoc omnigenae perfectionis exemplari, Filio tuo. At quoniam ita vulnerari voluit et deformari, ut mea expiaret peccata, eorum mihi veniam concede, pro quibus adeo pretiosum exsolvit lytrum. *Protector noster aspice, Deus, et respice in faciem Christi tui.* (Psal. 83, 10.) Aspice nos debitores tuos oculis misericordiae tuae: at simul respice in faciem illius, qui se pro nobis praedem fecit et sponsorem. Fieri non potest, ut, quos ille sub deformata facie sua tenet absconditos, deseras, aut tuam illis

misericordiam deneges, pro quibus ipsemet satisfecit, ut tuam placaret justitiam.

PUNCTUM II.

Judaei in diabolica Christum occidendi voluntate praefracte obstinati tantum abest, ut miseranda ejus facie ad commiserationem commoverentur: ut etiam majorem in rabiem exarserint et de novo exclamaverint: *Crucifige, crucifige eum.* Pilatus plus quam barbarae indignatus crudelitati dixit eis: Ergo *accipite eum vos et crucifigite; ego enim non invenio in eo causam* mortis. *Responderunt: Nos legem habemus et secundum legem debet mori* in cruce *quia Filium Dei se fecit.*

Utique dabatur *lex amoris* in corde Jesu, *lex justitiae* in corde Patris aeterni, *lex invidiae* et furoris in cordibus Judaeorum, secundum quam Jesus debebat mori. O leges plane diversas! O lex amoris, quantum me delectas! O lex justitiae, quantum me terres! O lex invidiae ac obstinationis quanto me horrore concutis! Superi! quanti res discriminis est morem gerere legi adeo iniquae, adeo crudeli!

Quis jam explicare queat sensa et dolores, quos in corde Jesu excitavit incondita vociferatio gentis, quae non nisi beneficia ab illo accepit, nunc autem ingratissima probrosissimam benefactoris necem pertinaciter deposcit? Probe meminerat Servator, quod eam omnibus terrae populis praetulerit, innumerisque condecorarit miraculis: nunc autem mala, imo pessima recipiat pro bonis. Enormis ista ingratitudo et supplicium, ob eam Judaicae genti inferendum, maximopere doluit Christo.

Numquid autem, Domine, mea quoque ingratitudo inter ingratos Judaeos tuae menti oculisque tunc obversabatur? nonne scelera mea simul cum Judaeis clamabant: *Crucifige, crucifige?* Pro! quanto cor tuum dolore sauciarit iste clamor! meum potius cor gladio contritionis saucia; fac, ut in aperta rumpatur suspiria et emoriatur prae dolore, quod tuae causa fuerit mortis. Vah maledictam passionis, si aliquando praedominetur, legem! Si quid ex ea sanctissimis legibus tuis contrarium adhuc

resideat in me, illud ex toto corde execror, nolens alteri posthac legi, quam legi amoris tui obtemperare.

PUNCTUM III.

Pilatus sciens, quod per invidiam Jesum tradidissent Judaei, adhuc *quaerebat* liberum *dimittere.* Judaei autem, ut ejus condemnationem extorquerent, minas intentando *clamabant: Si hunc dimittis, non es amicus Caesaris:* quo dixerunt querelas ad Caesarem deferemus, accusaturi te, quod hominem dimiseris, qui in detrimentum imperii ejus sibi nomen regis arrogavit.

En, anima mea: hoc tandem est, quod exiguas justitiae reliquias in corde praesidis ignavi penitus extinxit. Vanus timor amittendi gratiam et amicitiam hominis, mentem, judicium, justitiam et conscientiam Pilati pessumdedit.

Superi! Quid non mortalia pectora cogit timor displicendi principibus? Quam non corrumpit virtutem respectus humanus? Evelle, mi Deus, e corde meo mundanum hunc timorem, qui salutarem tuorum quoque judiciorum timorem posset extinguere. Quodsi vero ignavia Pilati nos percellat, quanto majorem nobis terrorem debet incutere excaecatio Judaeorum, qui falso incensi zelo animum obfirmant tyranno serviendi, licet eos spoliaverit libertate: legitimum autem regem, qui de coelo descendit, ut eos a servitute daemonis vindicaret, aspernantur? Tantam exhorresco perfidiam: cur non et illam, quae tunc, cum meae passioni victus cessi, exclamavit: *Non habes regem, nisi Caesarem?*

Ah! execror, o Jesu, detestor horribilem hanc perfidiam. At in melius mutabo rebelle idioma meum. Dicam imposterum, etiam nunc, ardente incensus desideriò illatam tibi injuriam resarciendi, toto cordis affectu millies ingemisco: *Non habeo regem, nisi Jesum Christum.* Ita est: tu, tu es supremus rex meus: tibi soli mea consecro obsequia. Tibi vivam in tempore, ut amare te possim et glorificare in omni aeternitate.

Feria III.

Ad mortem crucis condemnatur.

(Matth. 27, 19. sq.)

PUNCTUM I.

Sedente autem Pilato pro tribunali, ut sententiam mortis ferret contra Jesum, *misit ad eum uxor ejus, dicens: Nihil tibi et justo illi; multa enim passa sum hodie per visum propter eum.*

Consideremus, quod hujus visionis aut somnii auctor esse potuerit vel daemon, vel angelus bonus: *daemon*, quia videns humana majorem in tantis doloribus et opprobriis Christi patientiam, timere ac suspicari coepit, ipsum esse verum Messiam et Dei Filium, qui morte sua regnum ejus esset destructurus, ideoque, ut Pilatum a pronuntianda in Christum mortis sententia absterreret, in somnio varios uxori terrores incussit, ab hac in maritum, uti sperabat, transfundendos. Potuit autem et *angelus bonus* illos terrores in femina excitare, ut maritum admoneret de gravissimis calamitatibus, in quas se conjecturus esset condemnando innocentem, qui Superis adeo cordi et curae est.

Undeunde orta sit visio, nullum inde emolumentum cepit Pilatus, forsan non minus quam uxor illa turbatus, vehementius tamen humano timore, ne in aula Caesaris impingat. Ubi primum timere coepit offensam Caesaris, desiit timere offensam Numinis. Maluit jacturam facere integritatis, quam fortunae ac dignitatis, ideoque justo Dei punientis judicio jacturam passus utriusque. Haec poena est familiarissima mancipiis gratiae et amicitiae principum, juste Deo permittente, ut per idem brachium carnale destruantur, quod omnipotenti Numinis brachio praetulerunt.

O inanem ac exitiosum, quo iratos homines formidamus, timorem! Quid illi possint mihi obesse, si tu me protegas, o Deus? et quid mihi proderit eorum protectio, nisi tu me defendas? *Confige* igitur *timore tuo carnes meas* (Psal. 118, 120.), cor et animam meam. Confige, inquam, unice *tuo timore;* hic enim solus poterit esse frenum mearum passionum et causa meae salutis.

Altum infige pectori meo verba Filii tui, quibus me instruit, neminem esse timendum praeter *illum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.* (Matth. 10, 28.)

PUNCTUM II.

Videns Pilatus, quia suadendo, sese excusando etc. *nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua lavit manus coram populo, dicens: Innocens ego sum a sanguine justi hujus: vos videritis. Et respondens universus populus dixit: Sanguis ejus super nos et super filios nostros.*

Vide, anima mea, in Pilato imaginem conscientiae falsae, quae se ipsam fallere studet ac decipere: in Judaeis autem vide imaginem conscientiae in malo obfirmatae, quam nec turpitudo sceleris et culpae, nec timor poenae amplius cohibere queat. Incassum Pilatus lavat manus, dum conscientiam inquinat, minus quidem temerarius quam Judaei, at aeque reus mortis Christi. Si autem Pilatus inexcusabilis est, quod ex ignavia Christum insontem condemnarit, quid dicemus de Judaeis, qui tanta rabie sanguinem ejus sitierunt, neutiquam anxii de maledictione, quam effusus innocentis cruor ipsis et eorum filiis adducturus erat?

Noli, quaeso, permittere, o Deus misericordiarum, ut sacrosanctus Filii tui sanguis sit mihi et Ecclesiae filiis in maledictionem: sed fac, ut velut ros gratiae nos mundet a peccatis sanctificetque. Non fudisti illum, ut sit nobis in damnationem; erit igitur nobis, uti speramus, fons benedictionis ac salutis. Noli, obsecro, sanguis pretiosissime Jesu mei, venire super me, ut super rebelles Judaeos, ad confusionem ac damnationem meam. Veni potius cum benignitate ac misericordia, ut me sanctifices et repleas illius amore, qui te tanta caritate effudit pro me.

PUNCTUM III.

Tunc Pilatus Jesum tradidit eis, ut crucifigeretur.

Plura consideranda sunt in hac mortis sententia. 1. Summa *judicis injustitia*, qui ter publice Christi innocentiam testatus, eum tamen damnat ad mortem. 2. *Laetitia* ingens, clamores, plausus et mutuae Judaeorum

congratulationes, quod Pilato extorserint condemnationem hominis, in cujus necem conspiraverant. 3. Et praecipue divinum *Jesu silentium*, serenitas oris et mansuetudo in ejusmodi circumstantiis, quae heroicum quodvis pectus frangere poterant ac perturbare. Licet per evidentem injustitiam damnatus ad mortem, non appellat ad Caesarem, non excipit contra falsos testes, nec verbulo de illata sibi injuria conqueritur. Videns rabiem inimicorum non mutat vultum, in medio populi, sanguinem suum sitientis, tumultu serenus, ac si res ipsum non tangeret.

Inspice, anima mea, adorandum cor Jesu; nullam ibi commotionem animi, nihil impatientiae, perturbationis invenies nihil, sed prodigium perfectissimae in Patris voluntatem resignationis, a quo mortis sententiam, per os Pilati prolatam, lubentissime acceptat, divino se imperio subjiciens ex obedientia et zelo nostrae salutis, contentus desideratissima hac hora complere opus redemptionis nostrae.

Grates tibi ago immortales, Redemptor amantissime, quod sententiam adeo crudelem voluntate tam prompta et generosa acceptes, ut me a justissima damnationis aeternae sententia liberes. Quid autem, o spes mea, o amor mi, quid tantae bonitati tuae possim rependere? scilicet quod unum habeo tibi carissimum, *voluntatem meam* una cum firmo *tuam* in omnibus exequendi proposito. Bene habet: totam trado tibi et consecro. Quascunque ad poenas ac labores me seu permiseris, seu volueris condemnari, en ad omnia tuo promptum exemplo. Id unum supplex rogo, ut tua me robores gratia, adeo, ut nulla sit jactura, nullus dolor, offensa aut injuria sit nulla, quam non hilari, aut certe patienti acceptem animo, ut mea expiem peccata.

Feria IV.

Crucem suam bajulat.

(Matth. 27, 31. sq.)

PUNCTUM I.

Post pronuntiatam contra Jesum mortis sententiam milites, ne Pilato illam mutandi aut omnino revocandi locum darent, sine mora *duxerunt eum, ut crucifigerent.*

Tu nimirum, amantissime Redemptor, prae Judaeis et carnificibus morae impatiens, promptior eras ad mortem patienter subeundam, quam illi ad crudeliter inferendam. Et vero crucem jam paratam vix attulerant, cum Jesus majore animi affectu, quam postea S. Andreas, eam salutavit exclamans: *Salve, crux pretiosa, diu desiderata, sollicite amata, sine intermissione quaesita et jam concupiscenti animo praeparata*, ut illum suscipias, qui brachiis suis stringi, tibique alligari desiderat quam vehementissime.

Quis jam effari possit, quanta illam affectus teneritudine Christus sit amplexus! qui illam primo sanctificarit amplexu! quanta mentis laetitia suis eam humeris, licet per flagella crudelissime dilaceratis, imposuerit! Aspiciebat illam ut *vexillum*, sub quod electos suos erat vocaturus: ut *monumentum* teneri erga nos *amoris* sui: ut *thalamum*, in quo suas cum Ecclesia nuptias et unionem debebat consummare.

Adoro te, o bona crux, per amplexus et sanguinem Jesu, Domini ac regis mei, consecrata! Permitte, ut me tibi uniam. Noli indignum rejicere servum Domini, qui te bajulare dignatus est. Tu vero fac, o Jesu, ut haec fidelium parens, crux tua, suo me recipiat sinu et ulnis: fac, ut filiali eam amore prosequar, pari tecum ardore quaeram, eodem amplectar affectu, omnemque in ea gloriam meam collocem, donec in ejus brachiis tecum feliciter moriar.

PUNCTUM II.

Jesus ergo *bajulans sibi crucem*, ut ait S. Joannes (19, 17.), *exivit in eum, qui dicitur Calvariae, locum*.

Consideremus toto amoris et commiserationis affectu summam Christi confusionem, dum ad cumulum ignominiae medius inter duos latrones, praecone mortis causam per plateas proclamante, ipse suum mortis turpissimae instrumentum portabat. Quantum sub gravissimo onere gemuerit! quanto sudore ac sanguine diffluxerit! quoties cespitarit! quoties succumbens et lapsus a crudelissimis carnificibus sese erigere fuerit compulsus!

Angelici spiritus! qui potest fieri, ut Jesum, Dominum et regem vestrum, otiosi spectetis adeo humiliatum

oppressumque? cur non e coelo descenditis, ut ei suis in cruciatibus solatium afferatis, tantae hominum ad spectandum Christi supplicium confluentium multitudini promulgando, hunc hominem pro eorum salute ad mortem properare.

Contemplare, anima mea, hunc verum Isaac, sui ligno sacrificii onustum: vide simul Patrem aeternum cum eo, velut Abraham olim, *portantem in manibus ignem et gladium*, qui divinam hanc victimam et immolare debent et consumere. Scisne autem, quod onus crucis multo minus, quam scelerum tuorum, quae Nemesis divina humeris ejus imposuit, Christum premat, et quod ad eorum expiationem se immolaturus sit in monte Calvariae?

O amor! o ignis adeo exardescens in corde Patris divini, ut eum compellat justitiae gladium arripere ad immolandum pro mancipiorum salute proprium Filium! Inflamma quoque cor meum, o Deus, coelesti hoc igne, ut redamem tam ardenter amantem: transfige illud hoc gladio, ut moriatur in me, quidquid tibi displicet.

Tu vero, o Jesu, magis oppressus scelerum meorum, quam crucis pondere, quaenam postulas signa doloris et gratitudinis meae? aequum sane est justumque, ut reus ego saltem poenae partem luam et non detrectem leviores, quas mihi imponis, cruces. En igitur paratum cor meum, Domine, paratum ad eas usque in vitae epilogum portandas.

PUNCTUM III.

Principes sacerdotum, conspecta Jesu summa lassitudine, veriti, ne in via deficeret, ipsi autem crudeli voluptate privarentur eum in cruce aspectandi, *angariaverunt hominem Cyrenaeum, nomine Simonem, ut tolleret crucem ejus:* h. e., ut inquit S. Lucas (23, 26.), *imposuerunt illi crucem portare post Jesum.*

Consideremus extremam Jesu derelictionem. Sequebatur eum ingens hominum multitudo, quos inter haud dubie erant, quorum bono patraverat miracula: nemo tamen erat, qui sub crucis onere fatiscentem sublevaret. Equidem piae quaedam mulieres illacrimabantur misero: at mox audierunt ex ipso: *Nolite flere super me, sed*

super vos ipsas flete et super filios vestros. (Luc. 23, 28.) Unicus, qui portantem onus crucis juvabat, Simon erat: at hic ipse *angariatus* solum, seu coactus.

Numquid autem hoc ipsum quotidie inter Christianos usuvenit? Clamet Jesus: *Si quis vult post me venire, tollat crucem suam et sequatur me.* (Matth. 16, 24.) Clamet: ventis verba dabit. Sub illa conditione vix ullus *sequetur.* Omnes cupiunt sequi euntem ad montem Tabor, pauci ad montem Calvariae. Quod si ex amore aut commiseratione aliqui passionem ejus deplorent, paucissimos reperies adeo magnanimos, ut eandem audeant amplecti.

Nil familiarius orbi christiano, quam crucem venerari: at nil rarius simul, quam ad eandem portandam se offerre. Felicem te, Simon Cyrenaee, si beatam agnosceres sortem tuam! Si scires, quis sit, quem sublevas et quale sit onus, quod portas, millies profecto beatam diceres conditionem tuam et, quod necessitate suscepisti, onus cum virtute, amore et gaudio gestares.

Quis enim, o Jesu, te possit intueri onustum cruce, quin amet te? quis amare, quin eandem tecum portare desideret? Quid? tune solus amabilissimam hanc bajulabis crucem: ego autem tuo eam exemplo non bajulem? Profecto non, mi Deus, non ibis solus ad montem Calvariae; ego honorem mihi vindico, sequendi praeeuntem. Quod si non possim ibi cadere victima crudelitatis carnificum, victima ero violentiae amoris. Nolim amplius sine cruce vel per horam vivere. *Absit mihi gloriari* aut oblectari, *nisi in cruce* et communione dolorum ac ignominiarum crucis tuae.

Feria V.

Quid actum in monte Calvariae ante crucifixionem.

(Matth. 27. 33.)

PUNCTUM I.

Consideremus omnes sacrificii, quod Jesus morte sua mox perficiet, circumstantias, utpote mysteriis plenas et a Christo ita ordinatas, ut mors illi ex omni parte

fieret ignominiosior, nobis utilior ob exempla virtutum ibi relicta. Mori voluit 1. in monte *Calvariae*, loco infami, ubi suppliciis afficiebantur hominum sceleratissimi; ut demonstraret, mori se ad expianda mortalium scelera. 2. *In monte*, loco aperto, et quidem 3. *in meridie*, seu pleno die, ut pro omnibus moriens omnium pateret oculis. 4. In die solemnissimo *Paschae*, ut innumeros ignominiarum suarum testes haberet ac spectatores, qui ex omnibus locis Solymam confluxerant ob solemnitatem festi.

En! Jesus studio quaerit claram diem et oculos totius mundi, ut ejus passio et mors fieret magis ignominiosa.

An autem et saeculi amatores ita sunt comparati? an nosmetipsi? Utique cum agitur de nostris, ut vocamus, meritis in lucem protrahendis, aut de illustri quodam facinore aggrediendo, tunc vanitas suggerit nobis, ut meridiem quaeramus et claram diem. Si autem in defectus et errores, qui nostram produnt infirmitatem, labimur, num et tunc spectatorum oculos quaerimus ad augendam confusionem nostram?

Ah! quam pauci, o Jesu, hujus sunt indolis et virtutis! scilicet ii solum, quibus secreta sanctitatis et thesauros in humiliationibus latitantes revelasti. Quod divina haec lumina cor meum haud penetrarint, tu in causa et culpa non es; illa enim frequenter mihi in oratione accendisti. Si ea, quam jure exigebas, fidelitate ac attentione auscultassem, tam clare gratiarum fontes in humilitate ac patientia detexissem, tanto ut desiderio et aviditate quaesiturus fuissem tribulationes ac ignominias, quanta hactenus deliciis et applausibus inhiavi. Ah! illud mihi inspira desiderium, ut exemplo tuo imposterum quaeram majora, quae odi, opprobria: oderim, quos amo, mundi honores et ad mortem usque perseverem in amore humiliationum.

PUNCTUM II.

Ubi *venerunt in locum Calvariae, Jesu dederunt vinum bibere cum felle mistum. Et cum gustasset, noluit bibere.*

Erat more receptum apud Judaeos ultimo supplicio afficiendis generosum propinare vinum, ut vires eorum seu reficerent, seu novas adderent ad mortem fortius subeundam: quo tenui levamine ante alios Christo erat opus, quippe longiore via nimiopere defatigato, flagellatione exhausto, dira siti vexato. Et revera id levaminis indulserunt et *dederunt ei bibere vinum*, at (o crudelitatem ad ea tempora non auditam!) vinum cum felle et amarissima permixtum myrrha, ut linguam et stomachum torquerent, hactenus a cruciatu immunem.

Licet autem Jesus neutiquam ignorarit, quam amarus sit potus, voluit tamen *gustare*, nobis exemplum patientiae in adversis relinquens, si quando homines loco olei, quo dolores nostros et vulnera deberent lenire, fel et acetum affundant. Docuit praeterea nos gulam refrenare. O quam caro tibi, dulcissime Jesu, voluptates nostrae steterunt!

Nostine autem, anima mea, quotidie adhuc propinari et toties a te ipsa propinatum fuisse Jesu tuo vinum amarissimo felle mistum, quoties popularis aurae, inanis gloriae, pertinacis judicii, proprii interesse seu commodi imperfectiones, aut omnino hypocrisin perversasque intentiones bonis et sanctis operibus admiscuisti? nonne divino palato erant *uva fellis et botri amarissimi?* non vinum, sed *fel draconum?* hoc, hoc nauseam ei fecit: hinc *noluit bibere* et acceptare.

Non ita tu mecum agis, Jesu amantissime. Tu ordinarium in cibum potumque mihi concedis pretiosissimum corpus et sanguinem tuum: jucundius dare nil poteras. Admisces mel liquidissimarum consolationum: et ego mortalium ingratissimus nil rependo, nisi *vinum felle mistum.* Ah! tantum ingrati animi vitium mihi condona et tua effice gratia, ut posthac bonorum operum *vinum optimum*, divino hospite *dignum*, possim *ad potandum* offerre, et per caritatem tibi intime uniri.

PUNCTUM III.

Ter vestibus suis jam fuerat spoliatus Servator: scilicet 1. dum fuit flagellatus. 2. Dum purpura induebatur in coronatione. 3. Dum purpura abjecta suis

iterum induebatur vestibus. Quarto denique nudatur, ablata etiam interiore tunica, antequam cruci affigeretur, ita disponente ejus providentia, ut discamus animam ab omnibus terrenis avellere et amplecti nuditatem Christiano ad perfectionis apicem conscendere volenti apprime necessariam.

Et in hoc evangelica paupertas consistit, a Christo toties nobis commendata in Evangelio et tot ejus exemplis illustrata: hanc rursus inculcat ante mortem, quam nudus voluit oppetere.

Tune vero ex hac schola et doctrina nihil proficies, anima mea? non addisces tandem ab hoc divino magistro te perfecte omnibus, quae Deus non sunt, denudare.

Imo ad id unum, o Jesu, dum vixero, incumbam. Fessus atque pertaesus exuvias veteris Adam tamdiu gestasse, non jam vestes alias quam nuditatem tuam, nec alia insignia, quam tuas ignominias, nec opes alias, quam paupertatem tuam, nec alios honores, quam tua opprobria desidero: nudus nudum sequar.

Feria VI.

Crucifixio D. N. J. Christi.

PUNCTUM I.

Nudato vestibus suis Christo Domino mandarunt milites, ut super crucem humi jacentem manus, pedes, corpus extenderet. Paruit momento citius.

Admiremur Christi mansuetudinem, obedientiam, tranquillitatem super lectum doloris. Nec verbulo de carnificum crudelitate conquestus, sine mora ad nutum obedit, suamque animam in pace et patientia sua possidens sublatis in coelum oculis Patrem adorat et gratias agens, quod tandem hora illuxerit tot votis expetita, sese pro mundi peccatis super aram crucis immolandum offert.

O stupendum absolutissimae exemplar obedientiae! Ligandum Christus se praebet, ut olim Isaac a patre impositus lignorum strui, ubi filius obediens fatalem

manus paternae ictum in momenta praestolabatur. Non aliter Jesus expectabat ictus malleorum, ut cruci affigeretur: quamquam ei fuerat jam pridem alligatus per invisibilia caritatis suae vincula.

Pater aeterne, qui olim prompta Isaaci obedientia contentus paternum cohibuisti gladium: ah! si possibile est, etiam hodie contentus esto illius submissione, cujus Isaac solum erat figura. Tuos mitte angelos, qui manus carnificum inhibeant et de altari pretiosissimam tollant victimam pro nobis propediem immolandam. Sed enim (adverto) non exaudies has preces meas. Cum perfecta sint opera tua, Filium tuum immolari vis, ut perfecta, imo et copiosa sit redemptio nostra. Laudetur ergo in aeternum tua plus quam paterna in nos caritas. Per hanc te supplex precor, ut mihi quoque gratiam largiaris me ipsum tibi immolandi in sacrificium, quod sit integrum, perfectum et consummatum, atque adeo germana effigies sacrificii, quod mox offeret Filius tuus, Servator meus.

PUNCTUM II.

Postquam Jesus super crucem fuerat extensus, tortores confestim ambas manus pedesque trabalibus clavis affixerunt cruci non abs ingenti sanguinis ex hisce quatuor vulneribus promanantis effusione.

Expende, anima mea, quantis Christum doloribus affecerint hae crudeles quatuor plagae in tenerrimis corporis longe delicatissimi partibus, ubi maxime concurrunt nervi. Tu ferendo non es puncturam acus: cogita igitur, quantos dolores Jesus pertulerit, manus pedesque tam acutis quam crassis perfossus clavis, qui venas cum carne dilacerabant. Considera ulterius immensos Servatoris tui dolores, quos sustinuit, dum carnifices, postquam una manu confixa nervi gravissime laesi sese ita contraxissent, ut manus altera ad designatum clavo foramen non pertingeret, funibus ligatam tanta vi et crudelitate attraxerunt, ut omnia ferme ossa luxarentur. Audi Jesum apud Psaltem: *Foderunt*, ait, *manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.* (Psal. 21, 17. 18.)

Quo autem animi sensu haec verba consideras, anima mea? Qui fieri possit, ut cor tuum dolore non rumpatur contemplans Deum tanta amore tui patientem? Agedum! enixissime roga eum, ut suis te clavis perfodiat, quo saltem commovearis ejus tormentis, ejus amore et odio peccati, quod eum his doloribus cumulavit.

Quid ergo, Jesu mi dulcissime, *quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum* pedumque? (Zach. 13, 6.) nimirum viva sunt testimonia tui erga me amoris, hac ratione volentis peccata expiare, quae ego manibus et inordinatis affectibus commisi. Profecto grandia oportet fuisse vulnera animae meae, quae sanari haud poterant, nisi per tua. Ob ineffabilem hanc caritatem grates tibi ago immensas. Ah! fac, ut ex his quatuor sacris fornacibus prodeant totidem foci amoris, ad inflammandum tuo amore totum orbem. Unicam saltem cordi meo scintillam immitte, ut divino hoc corripiar igne, quo consumi desidero.

PUNCTUM III.

Ubi primum Christus fuerat cruci affixus, illam carnifices in altum sustulere, tantaque vi ac impetu in paratam dejecere fossam, ut corpus pondere concussum atrociores quam eo usque dolores senserit.

Quale spectaculum, angelis et hominibus stupendum! Huc ergo oculos et cor tuum converte, anima mea; illud enim solum tuos meretur obtutus et amores.

Considera, quantus Jesum pudor simul et dolor obruerit: *pudor*, dum se conspiciebat in oculis totius mundi saturatum opprobriis: *dolor*, dum in omnibus corporis partibus immensum cruciabatur. Caput aspice, quod non habet, ubi se reclinet, nisi supra spinarum sentes: manus et pedes transfossos, quorum vulnera dilatantur pondere sacri corporis ad terram trahente: totum denique corpus, quod non nisi vulneribus inniti potest. Videns autem Jesum ob peccata tua attritum laceratumque, tu quoque pectus tuum prae contritione et dolore, quod illa admiseris, dilacera, nec non amore erga illum inflamma, qui tanto ea impendio expiavit. Certe si amici Job, *cum elevassent procul oculos suos, non cognoverunt*

eum in sterquilinio jacentem et ulceribus plenum et adeo *ploraverunt, scississque vestibus sparserunt pulverem super caput suum in coelum et sederunt cum eo in terra septem diebus et septem noctibus: et nemo loquebatur ei verbum, videntes dolorem esse vehementem* (Job 2, 12. 13.): quid fieri oportebit ab illis, o Jesu, o amor mi, qui solemni sacramento suum erga te amorem profitentur? poteruntne cruci suffixum, a planta pedis usque ad verticem vulneribus inter vehementissimos dolores concisum intueri, quin cineribus caput sparsi in altos gemitus, suspiria, ploratus erumpant?

Utinam ego pari doloris sensu afficerer, o Jesu! ego, qui multo magis utique deberem tuis affici doloribus, quam amici Job infortunio ejus; hic enim pro illis neutiquam passus est, quae tu pateris pro me. Deploremus igitur et amarissime deploremus acerbam Domini adeo boni passionem: commisceamus nostras lacrimis dolorosissime matris et non solum per septem dies, sed per omnem vitam Jesu crucifixo cum illa individui adstemus.

Sabbato.

Repetatur meditatio praecedens.

Dominica Passionis.

Jesus ab omni peccato immunis.

(Joan. 8, 46. sq.)

PUNCTUM I.

Pensemus verba Jesu Christi: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Ut Judaeos non minus ingratos quam pertinaces in quaerenda Jesum calumniandi occasione, suae convinceret malitiae, eorumque vana ipsum denigrandi studia convelleret, palam eos provocat: in medium proferrent, si quid in sua persona, doctrinis aut moribus reprehensione dignum invenissent: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Ut provocaret, vere sanctum oportuit

fuisse et ab omni specie, imo et umbra peccati immunem. Et vero ipsis ora penitus obturavit: aut si aperuerunt, ad solas se converterunt calumnias, qui solus abjectarum mentium clipeus est, quando in iis, quos Vatiniano persequuntur odio, re ipsa nihil inveniunt reprehensione dignum.

Infelices sane, qui passioni tam indignae victas aliquando manus dederunt! Oculos praecludunt lumini naturae, cor et aures rationibus, regulis decori et honestatis, legibus justitiae. Felices autem, qui ejusmodi hominum injuriis expositi in sua innocenti conscientia reperiunt, unde omnia adversantium tela vel repellant vel saltem obtundant, provocando eos ut Christus invidos et calumniatores: *Quis ex vobis arguet me de peccato?*

Haec autem provocatio tibi soli est propria, o Jesu: tibi, in quem nec minima peccatilli labecula, nec levissima imperfectio cadere unquam potuit. Nos vero, qui nascimur et vivimus peccatores, si justitiam ab omni prorsus labe puram nobis tribuere vellemus, praesumptio inanis foret. Tanta refulgentes justitia possumus fors humanis apparere oculis: at coram te, o Deus, qui scrutaris corda, renes et imas iniquitatum latebras, nil consultius nobis, quam humiliari, nostras fateri infirmitates et sic tuam provocare misericordiam, dicentes cum Davide: *Confitebor adversum me injustitiam meam Domino: et tu remisisti impietatem peccati mei.* (Psal. 31, 5.)

PUNCTUM II.

Judaei, quod provocanti Christo respondere non possent, vehementer indignati, ad familiare sibi injuriarum effugium sese receperunt, in faciem Christo dicentes: *Samaritanus es tu et daemonium habes. Respondit Jesus: Ego daemonium non habeo, sed honorifico Patrem meum: non quaero gloriam meam.*

Haec ipsa responsio erat verborum Christi confirmatio. Primam calumniae partem silentio pressit Servator, quia ipsius solummodo personam tangebat, parum curantis, quod se, ut reliquos e Samaria oriundos, suo indignum consortio reputarent. At modeste alteram a se amolitus est calumniam, utpote cedentem in probrum

divini Patris, qui per essentiam non foret sanctus, si, quem ab aeterno genuit, Filius in tempore potuisset a daemone possideri.

Quam refertum doctrinis est hoc exemplum Christi! at quam pauci imitantur! Toti sumus in repellendis, quae nobis inferuntur, injuriis; lenti aut inertes in vindicandis, quae Deo fiunt. Videas vel leviter tangi honorem et auctoritatem principis, magistratus, aulici: nil audies, nisi carceres, vincula, secures et neces ad puniendum expediri. Ast offendatur Deus, susdeque vertantur sanctae ejus leges, blasphemetur nomen Domini, muti sumus, elumbes, fungi inertes, absque ulla commotione, prope dixissem, reflexione.

Vah! quem ergo te credunt aut putant esse homines, o Deus? adeone viluisti in eorum aestimatione, ut majestas tua impune offendatur? Terrae vermiculus vel verbulo, quod honorem ejus tangit, graviter laeditur: et forsan ego omnium primus sum, qui ad tuas silent injurias. Ah! quantum propterea erubesco! at quam firmiter propono saltem in futurum sancto me zelo armare ad defendendum honorem tuum. Laedatur, conculcetur, pereat meus! jacturam abunde reparabit tum voluptas liquida, quod meum tuo honori possim sacrificare, tum honor, quod tecum liceat dicere: *Honorifico Patrem meum: non quaero gloriam meam.* Ita est: *non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* (Psal. 113, 9.)

PUNCTUM III.

Juxta S. Gregorium alia silendo ad nomen *Samaritani* Christo causa fuit propria ejus voluntas, in eam nomenclationem ultro consentientis, quia nomen *Samaritani* significat *custodem*, atque adeo noluit negare, quod sibi conveniat. Aut cui, quaeso, possit convenire melius, quam illi, de quo David: *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam?* (Psal. 126, 1.)

Quanto nobis solatio est, anima mea, ex ipso Dei ore intelligere, quod sub ejus custodia et protectione simus! Enimvero potentibus undique circumdamur hostibus, in perniciem nostram conjuratis, totoque conatu in

id incumbentibus. At quid, obsecro, timendum, si sua Dominus gratia, praesidio, custodia nos protegat?

Aut num de ejus bonitate possimus dubitare, de cujus providentia scimus, quod assidue vigilet super nos, defendat nos ut clipeus pugnantes, *propitietur omnibus iniquitatibus nostris, sanet omnes infirmitates nostras, redimat de interitu vitam nostram et coronet nos in misericordia et miserationibus?* (Psal. 102, 3. 4.)

Deinde qui poteris, Servator mi, te ab ista *Samaritani* appellatione, utut secundum intentionem Judaeorum tibi contumeliosa, eximere, cum ipsemet in Evangelio tuo depingas te sub imagine *Samaritani*, qui nihil omisit, quo viatorem in latronum manus delapsum et ab ipsis graviter sauciatum sanaret? Tu infinite melior Samaritanus nihil non impendisti, ut nostris nos liberares malis, ad curanda animarum vulnera ex pretiosissimo sanguine tuo salubre balsamum conficiens. Tu revera es et semper eris *Samaritanus* misericors: et quoties te isthoc nomine compellaverimus, eo fine ac intentione id fiet, ut, quam ingrati Judaei per illud tibi volebant inferre, injuriam nos pro virili resarciamus per nostram gratitudinem.

Feria II.

Primum Christi verbum in cruce.

(Luc. 23, 34.)

PUNCTUM I.

Post longius in cruce silentium Christus sacratissimum tandem os aperuit, non cum Elia (IV. Reg. 1, 10.) petens, ut *descendat ignis de coelo et devoret* inimicos sibi illudentes: nec ut Elisaeus aut Noë, qui maledixerunt insultantibus sibi: sed aperuit os suum, ut *oraret pro persequentibus se* et a Patre divino veniam sceleris per deicidium incurrendi carnificibus impetraret. Hinc exclamavit: *Pater! dimitte illis; non enim sciunt, quid faciunt.*

O infinitam Jesu mei caritatem, abunde sufficientem ad reconciliandos Patri divino omnes totius mundi peccatores! Obstupesce, anima mea, quantum ea caritas

Christum urgeat. Eam ut exerceat, non expectat, donec in coelum redeat, sed orat pro crudelibus inimicis eo ipso tempore, quo suam in illum rabiem effundunt: oculos et vocem ad coelum tollit, ut ipsis rorem gratiarum et benedictionum obtineat.

Patet enimvero, amabilissime Jesu, patet, te esse Deum amoris et caritatis, siquidem *aquae multae* tribulationum et cataclysmus tormentorum, queis certo certius videbaris submergendus, nec ardentem in corde tuo ignem *extinguere potuerunt*, nec prohibere, quominus ad thronum Patris tui beneficas attolleret flammas, ut ejus justitiam placaret, ad ulciscendum inimicos tuos expeditam. Sacrum hunc ignem, Domine, in me pariter accende, ut, qui me oderunt, diligam, tuoque exemplo precibus meis divinas miserationes illis impetrem.

PUNCTUM II.

Ipse *modus orandi*, quo Christus utitur, satis demonstrat sincerum ejus desiderium veniam inimicis suis obtinendi. Utitur dulci Patris nomine: *Pater!* ut paterna ejus viscera commoveat et per filialem fiduciam certius illum obstringat ad concedendam, quam petit, gratiam. Non exprimit nominatim crimen, cujus veniam poscit, ut, si fieri posset, criminis, scilicet deicidii, atrocitatem tegat: et quoniam illi, quem orat, utpote omniscio celari non poterat, immanitatem, qua licuit extenuat, mitigat, excusat, ignorantiam vocat: *Pater! dimitte illis; non enim sciunt, quid faciunt:* non sciunt.

An et nos ita agimus ab aliis offensi? Heu nos! de offensa querimur verbis plane asperrimis: illam exaggeramus, nigrioribus, quam par est, coloribus depingimus, non solum non excusamus, sed nec audimus rationes excusantium ignorantiam, inconsiderantiam aut intentionem offendentium: imo studiose et pertinaciter nostram fovemus persuasionem, quod consulto dataque opera id fecerint, ut speciosum habeamus titulum offensam oblivione nulla obliterandi. Itane vero discipuli semper nos opponemus doctrinae ac exemplo divini magistri?

O mi Jesu, misericordiae ac bonitatis infinitae Deus! quantum fiduciae tua mihi inspirat clementia! quantus-

cunque sim peccator, cur timeam Patris tui justitiam? aut ipse ponet fulmina capiti meo jam destinata, aut tu de manibus ei extorquebis mea excusando peccata. Profecto, Domine Deus et judex tremende, si dilectissimus tibi Filius me excuset, quis me ausit accusare, nedum condemnare?

PUNCTUM III.

Certum est ex S. Paulo, orationem Christi in cruce exauditam fuisse; ait enim: *In diebus carnis suae* ac mortis *cum clamore valido et lacrimis preces* suas in cruce *offerens exauditus est pro sua reverentia* erga Patrem et pro dignitate Filii Dei. (Hebr. 5, 7.)

Et vero hujus orationis efficaciae debetur conversio tot Judaeorum, qui *simul aderant ad spectaculum* morientis Jesu, et *percutientes pectora sua revertebantur.* Et nonne per eandem orationis Christi virtutem quotidie recipimus gratias conversionis, contritionis et veniae peccatorum? Certe oculis mentis suae nos omnes Christus ad pedem crucis suae aspiciebat carnificibus immixtos dumque ejus lacrimae et sanguis in nos a peccatis emundandos defluebant, suam ille vocem ad coelum tollens supplex rogabat Patrem, ut ratam haberet, quam ipse nobis dederat, scelerum veniam.

Humillimas tibi grates ago, advocate benignissime, mediator omnipotens Jesu Christe. Tu, o Deus bonitatis, *cujus misericordias in aeternum cantabo* (Psal. 88, 2.), tu tota es consolatio mea, refugium meum et spes mea, ad te confugiam in hujus vitae periculis: in tua me brachia projiciam in terroribus mortis et, quando ad tremendum judicis supremi tribunal sistar, tu in mei gratiam dulces ad Patrem tuum preces iterabis: *Pater! ignosce illi; non enim scivit, quid faceret*, quando te offendit.

Feria III.

Secundum Christi verbum in cruce.

(Luc. 23, 33. sq.)

PUNCTUM I.

Cum Jesu duos *crucifixerunt latrones, unum a dextris et alterum a sinistris.* Admiremur hic humilitatem

Christi, in cruce mori volentis duos inter latrones, ac si eorum socius esset aut dux, ut impleretur illud: *Et cum sceleratis reputatus est.* (Isa. 53, 12.)

Contemplare, anima mea, mirabilem aeque ac miserabilem sponsi tui statum. Quamvis autem totus sibi dissimilis videatur, noli esse adeo ingrata, ut eum nolis cognoscere. Quem tu in medio duorum sceleratorum vides cruci affixum, ipsa est purus per essentiam, innocens per excellentiam, Deus gloriae per naturam, divinas inter personas Patrem et Spiritum Sanctum medius in coelo. Ille est, qui in monte Tabor Moysen inter et Eliam medius resplenduit transfiguratus. Ille est, qui medius inter justos a dextris et reprobos a sinistris in die extremi judicii sedebit in nube, ceu sede majestatis suae.

Agnosco utique, Dominus meus et Deus meus, agnosco te in hac licet extrema humilitate. In ea parem cum angelis in coelo cultum et venerationem tibi exhibeo. Non potuit humilitas tibi non fuisse summis in amoribus, quandoquidem in mundum venisti, ut eam emeres pretio et impensis omnium perfectionum tuarum. Nascens duo jacebas inter animalia: moriens pendes inter duos latrones: initio bellissime respondet finis. Omnia me excitant ad te in via humilitatis imitandum et, nisi tandem eam amare incipiam, exiguus erga te sit amor meus, necesse est, quia tuus erga me amor quaerere illam et amare compulit usque ad finem vitae.

PUNCTUM II.

Unus autem de his, qui pendebant, latronibus blasphemabat Jesum et, quia impostor se pro Messia vendidisset, justas dare poenas eidem improperabat. *Respondens autem alter increpabat eum, dicens: Nos quidem digna factis recipimus: hic vero nihil mali gessit.* Et hac ratione latro in cruce omnium primus defendit honorem Jesu Christi: primus excellentias ejus praedicavit. O stupendam gratiae Jesu Christi virtutem et effectum in corde humano, si illud occupat possidetque!

Anima mea! in his tribus cruci suffixis adverte discrimen crucem portantium. Quidam in cruce pereunt

aeternum cum malo latrone, quia cum eodem rei culpae, iniquo tamen animo, ut ille, poenam scelerum ferunt. Alii cum latrone bono in cruce salutem inveniunt, quia cum eodem poena dignos sese agnoscunt, eamque aequo ferunt animo, illud cogitantes: *Iram Domini portabo, quoniam peccavi.* (Mich. 7, 9.) Denique sunt, qui, licet innocentes, cum Christo ardenter cruces desiderant et hilari portant animo, atque adeo ad supremum perfectionis et gloriae apicem pertingunt.

Ex felici horum numero, o Deus, si nequeam esse, tot reus peccatorum, saltem patiens meritas portabo poenas, humili corde dicens: *Peccavi et vere deliqui et, ut eram dignus, non recepi.* (Job 33, 27.) Hac ratione cum bono latrone a dextris tuis locatus benedicam tibi in adversis, glorificabo te in mea cruce et castigantis justitiae manum exosculans tua dignus efficiar misericordia.

PUNCTUM III.

Bonus latro se convertens *ad Jesum dicebat: Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum. Et dixit illi Jesus: Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso.*

Consideremus ex una parte brevem, at ferventem latronis orationem, in ictu oculi verum in poenitentem conversi: ex altera virtutem et efficaciam sanguinis Jesu Christi, qui admirandam hanc conversionem momento effecit: ast eruamus simul inde incitamenta summae erga Jesum morientem fiduciae, nec non inaestimabiles thesauros amoris ac liberalitatis Christi erga latronem: hic solam sui memoriam petit: *Memento mei:* ille autem de coelo securum esse jubet: *Hodie mecum eris in paradiso.*

O liberale cor Jesu! quam lubenter et prolixe tuos prodigis thesauros, si cum humilitate postulentur! Infinite plura donas, quam petere audeamus. Solam sui memoriam flagitat latro: tu regna coelorum ei reseras, de infami cruce tormentorum transferens in gloriam beatorum. O rex gloriae! quam volupe est te sequi usque ad crucem, quia certum ibi nobis datur pignus te sequendi in coelum! Si tam liberali praemio latronem remuneras,

qui tres dumtaxat, quatuorve horas tecum pependit in cruce, quantum solatii, quantum mercedis sperare non possit fidelis servus, qui triginta aut quadraginta annos vixit totidem clavis cruci tuae affixus, quot votis servitio et amori tuo erat mancipatus!

Feria IV.

Tertium Christi verbum in cruce.

(Joan. 19, 25—27.)

PUNCTUM I.

Stabant autem juxta crucem Jesu mater ejus et soror matris ejus Maria Cleophae et Maria Magdalene et discipulus ille, quem diligebat Jesus.

Vide, anima mea, illos ipsos, qui magis in amore Jesu eminebant, etiam cruci ejusdem magis appropinquasse. Adeo certum amoris erga Jesum pignus et argumentum est eundem sequi ad montem Calvariae et crucis, ejus compatiendo doloribus et horum se reddendo participem. Et sane quis ardentius Maria dilexit Jesum? et quis majore quoque constantia cruci adstitit, quam illa? *Stabat juxta crucem*, ait Evangelista. Heroico *stabat* animo: *juxta crucem*, ceu cruci proxima corpore, proximior tamen spiritu; amor enim et compassio tam arcte ipsam cruci affixerant, ut non viveret, nisi in Jesu crucifixo, transfixa cor doloris gladio, viva crucifixi imago.

O Virgo virginum! jure optimo te salutamus hodie *reginam martyrum!* sicut enim puritate omnes longe antecellis virgines, ita amore et constantia omnes superas martyres, martyr ob horrendos, quos Filio compatiens tulisti, dolores, ita quidem, ut non alio, nisi cujusdam miraculi beneficio potueris morienti Filio supervivere. Eja igitur, *eja mater*, *fons amoris*, *me sentire vim doloris*, cor tuum inundantis, *fac*, *ut tecum lugeam: fac, ut portem Christi mortem*, *passionis fac consortem*, *et plagas recolere.*

PUNCTUM II.

Cum vidisset ergo Jesus matrem et discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suae: Mulier, ecce filius tuus! Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua!

Perpende caritatem Jesu, qui tantas inter ignominias ac dolores, velut oblitus sui ipsius, soli carorum commodo et consolationi intentus est. O quantum interest Jesum inter et summum sacerdotem Aaron! Negabat hic, se *Domino posse* in officio suo et *cerimoniis placere mente lugubri.* (Levit. 10, 19.) Jesus autem summus sacerdos, licet undique afflictissimus, perfectione summa implet officium filii erga matrem, magistri erga discipulum. Jam jam discessurus e mundo, ne illos relinquat sine solatio, dilectissimum sibi discipulum matri tradit in filium, huic illam in matrem, ut ille partes filii obeat, ista officium matris.

Felicem profecto filium, qui talem meruit nancisci matrem! Nostine autem, anima mea, te quoque hujus felicitatis esse participem? Ita plane est. Unigenitus Dei Filius, cujus sanguis pretiosissimus nobis id honoris promeruit, ut a Patre aeterno in filios adoptivos assumeremur, pariter effecit, ut haud absimili adoptione simus filii adoptivi sanctissimae Deiparentis. Omnes comprehendebamur in persona Joannis, quando Jesus in vim testamenti dicebat illi: *Ecce mater tua:* haec autem nos exinde ut filios suos habuit, materne fovit.

Quam immensum tibi devinctus sum, Servator mi, quod talem mihi tantamque dederis matrem, meque Mariano filiorum albo inserueris! Sub cruce concepit me in corde suo per virtutem et efficaciam verborum tuorum: *Ecce mater tua!* et ex eo tempore coepit materno me prosequi amore.

O Virgo sanctissima, licet dulcissimo filii nomine sim undequaque indignissimus, illud tamen fidenter usurpo, quia a Jesu mihi inditum: *ecce filius tuus.* Incomparabili emolumento mihi est tuum esse filium et hunc titulum omnibus mundi titulis, honoribus, coronis praepono.

PUNCTUM III.

Cum verba Dei sint efficacia et operentur, quod dicunt, eo modo, quo vult Deus, simul ac Jesus dixit ad matrem: *Mulier, ecce filius tuus!* ad Joannem: *Ecce mater tua!* communicavit una Mariae cor et spiritum

matris erga Joannem: Joanni autem cor et spiritum *filii* erga Mariam matrem; hinc de se ipso Joannes: *Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua:* h. e.. more filii eam amavit, honoravit, et suis adjuvit obsequiis.

Gerere nomen filii Mariae nobis materia et incitamentum est gaudii, gloriae, spei: nil aequius, nihil rationabilius; nam esse filium Mariae est habere summam cum regina coelorum necessitudinem et jus certum maternae protectionis. Verum si illa cor erga nos gerit matris, an nos vicissim cor, amorem et reverentiam filialem habemus matri omnium amantissimae debitam?

Hos mihi, o Jesu, affectus et genuini filii cor inspira. Sicut in matrem mihi concessisti illam, quae suo te gestavit utero, ita mihi concede gratiam, tenerrimo eam sensu devotionis colendi: fervens desiderium, ei fidelem servitutem serviendi: zelum ardentem, ejus gloriam promovendi, ut post expletas boni filii partes mea, quam habeo, corroboretur fiducia, ejus intercessione gratiam me obtenturum tecum et cum illa regnandi aeternum in coelis.

Feria V.

Quartum Christi verbum in cruce.

(Matth. 27, 45. sq.)

PUNCTUM I.

Cum Christus fuisset cruci affixus, *a sexta hora*, quae est meridies, *tenebrae factae sunt super universam terram usque ad horam nonam*, id est, usque ad tertiam post meridiem.

Prodigiosa haec et longior eclipsis praeter omnem naturae ordinem evenit, ut toti pateret universo, 1. quod ipse sol justitiae passus sit eclipsin: 2. quod totus terrarum orbis lugere debeat mortem conditoris sui: 3. quod illi, qui eidem vitam ademerunt, mereantur non solum per omnem vitam lucis usura privari, verum etiam post mortem aeternis Orci tenebris contumulari. Horror, quem in claro meridie nox tetra omnibus incusserat, non modo tanti sceleris, quod commiserant, sed et sui ipsorum horrore Judaeos debebat perfundere. Sed nempe

voluntarii, ut vocantur, caeci erant, quibus exteriores aëris tenebrae adaugebant internas mentis, quas lux gratiae necdum perruperat.

Verum haec ipsa lux gratiae, postquam tot jam annis me collustravit, removitne ab oculis velum, quod mihi hactenus pulchritudinem et pretium humilitatis, patientiae, humiliationum occultavit? si harum amabilitatem mihi manifestasset, pridem earum amore captus totam in patientia et contemptu gloriam collocarem, mendax gloriae mundanae splendor evanesceret, nausea omnium, quae blandiuntur aut satisfaciunt naturae, succederet, nihil in mundo praeter te, o Jesu, et crucem tuam diligerem. Geminum hunc amorem cordi meo imprime et, ne antiqui errores utriusque exercitationem disturbent, omnes mentis tenebras disjice.

PUNCTUM II.

Circa horam tertiam a meridie *clamavit Jesus voce magna dicens: Deus meus, Deus meus! ut quid dereliquisti me?*

Validus iste clamor extremos Christi dolores indicat. Scilicet non poterat, ut supra dictum, in cruce caput reclinare sine novis doloribus: nec manus valebant fessum corpus sustentare, quin novis vulneribus dilacerarentur: pedes sustinendo corpus dilatabant plagas. Praeterea non sine gravissimo doloris sensu intuebatur se Jesus a discipulis derelictum. Videbat rebellem Judaeorum gentem contra se commotam et, quod omnium maxime dolebat, cum ipsa infinitam hominum multitudinem se reddituram fructuum suae passionis indignam. Omnibus his doloribus cumulum addidit, quod Jesus ab ipsomet Patre se aspiceret quodammodo derelictum per subtractionem omnis sensibilis solatii, quod jure expectabat a paterna ejus bonitate. Hoc igitur Jesum compulit jam natantes in morte oculos et clamorem ad coelum tollere: *Deus meus, Deus meus! ut quid dereliquisti me?*

Tunc pariter derelinques Servatorem tuum, anima mea, in extremo moerore et derelictione sua? an non id saltem solatii asperges undique derelicto, quod velis fructum passionis ejus colligere? At certe grates illi

age, quod hanc Patris derelictionem in se aequo susceperit animo, ut expiaret et tuam, in qua olim vixisti, oblivionem Dei et effrenatam, qua toties eum deseruisti, morum licentiam. O fideles animae! quantas crucifixo sponso debetis grates, quod, ut ait S. Cyprianus, in prodigiosam hanc se conjecerit derelictionem non solum, ut vobis sit exemplo patientiae in desolationibus, quas vobis necessario obventuras praevidit, sed etiam ut impetret vobis aut robur et animos in iis constanter perseverandi, aut gratiam in ipsis desolationibus vosmetipsas consolandi.

O Jesu, afflictorum consolatio, imbecillium fortitudo, refugium et asylum derelictorum! quanta dolorum abysso te mersum intueor! O agne Dei, hactenus adeo mansuete, adeo patiens, adeo tranquille! Quid, obsecro, alta tibi suspiria, clamorem et querelas erga Patrem exprimit? et quidem verbis vel rupi emolliendae paribus?

Ah! non sunt questus oris, sed cordis, quibus tuum, o Jesu, exprimis ardens desiderium et preces, ut Pater tuus nunquam me deserat: querelae sunt, quibus ingentem cordis tui dolorem Patri explicas, dum tot infelices intueris animas, quae sua in malo obstinatione ac perfidia merentur a Deo derelinqui: meae saltem miserere animae, o Jesu, amator animarum cupidissime: plora, geme efficaciter pro illa, ut mereatur tuae fieri materia consolationis ac triumphi.

PUNCTUM III.

Christus quidem magna et elata voce ex psalmo 21. ista solum verba pronuntiavit: *Deus meus, Deus meus! ut quid dereliquisti me?* pie tamen creditur et a SS. Patribus asseritur, quod integrum illum, utpote de passione sua clare loquentem, psalmum mente et submissa voce recitaverit. Imo probabile est, quod b. Virgo in psalmis oppido exercitata eundem psalmum una cum Christo vel tacite prosecuta sit, vel certe attenta meditatione expenderit.

Tu quoque melius feceris nihil, anima mea, quam si Mariae te jungas et saltem praecipuos illius psalmi versiculos eodem spiritu perpendas. En ergo illos, prout

David in persona Christi eos pronuntiavit: *Deus, Deus meus! respice in me: Quare me dereliquisti? Deus meus! clamabo per diem et nocte: et non exaudies. In te speraverunt patres nostri: speraverunt et liberasti eos. Ego autem sum vermis et non homo: opprobrium hominum et abjectio plebis. Omnes videntes me deriserunt me: locuti sunt labiis et moverunt caput*, dicentes: *Speravit in Domino: eripiat eum: salvum faciat eum, quoniam vult eum.* Domine, *in te projectus sum ex utero matris meae: Deus meus es tu: ne discesseris a me, quoniam tribulatio proxima est; quoniam non est, qui adjuvet. Circumdederunt me* (peccatores) *vituli multi: tauri pingues obsederunt me. Foderunt manus meas et pedes meos; dinumeraverunt omnia ossa mea. Diviserunt sibi vestimenta mea et super vestem meam miserunt sortem. Tu autem, Domine, ne elongaveris auxilium tuum a me: ad defensionem meam conspice.*

Feria VI.

Quintum Christi verbum in cruce.

(Joan. 19, 28. 29.)

PUNCTUM I.

Sciens Jesus, quia omnia consummata sunt: ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio.

Jesus a nocte praeterita nihil prorsus refectionis, cibi, aut potus accepit. Fatigatus tot itineribus ad varia judicum tribunalia et ad montem Calvariae festinantius, quam ejus imbecillitas ferre poterat, confectis: praeterea ob magnam sanguinis vim in monte Oliveti, in flagellatione, coronatione, crucifixione effusam viribus prope exhaustus, immensos inter dolores tribus jam horis in cruce pendens non potuit non ardentissimam sitim contrahere: molestissimum tamen hoc sitis tormentum patientissimo tulit animo, dissimulavitque, donec a morte abesset quam proxime, tunc exclamavit: *Sitio.*

Ingredere cor Jesu tui, anima mea, et vide, cur hanc sitim prodiderit. Non fecit id animo conquerendi; etenim

qui de malo intolerabili conqueritur, nec ita paucis, nec ita mansuetis utitur verbis: multo minus ita fecit, ut levamen sitis suae obtineret, probe gnarus, nec stillam aquae sibi concedendam. Cur ergo hanc sitis poenam manifestavit? Scilicet ut intelligeremus, quantis ipse suppliciis nostram in cibo et potu intemperantiam debuerit luere: utque disceremus simul generose inopiam pati, si qua nos premat in munere apostolico detentos.

Virgo dulcissima! quam acerbum tibi vulnus inflixit non potuisse sitim levare dilectissimi in cruce Filii! Et vos, spiritus angelici, quis prohibuit vos coelesti nectare, aliove potu regem vestrum reficere? Tu vero, Domine Deus, *qui operis coelum nubibus et paras terrae* (bonis et malis) *pluviam* (Psal. 146, 8.), an non saltem roris guttulam destillabis ad refrigerandam Filii tui linguam? Samson prostratis mandibula asini mille Philisthaeis *sitiens valde clamavit ad te: aperuisti itaque molarem dentem in maxilla asini et egressae sunt ex eo aquae.* (Jud. 15, 18. 19.) Siti aruit populus Israel in deserto. Moyses aquam a te petit: *percutit petram.* Nec mora largas percussa fundit aquas. En! Filius tuus post tot pugnas et defatigationes extrema uritur siti: et nullum, ut eam leves, miraculum patras? Imo ingens tu, o Jesu, invictae prorsus *patientiae miraculum* patras, abunde recreatus e siti, si ad tui imitationem libenter patiamur.

PUNCTUM II.

Ad gravissimam corporis sitim alia accessit longe ardentior: desiderium, inquam, ardentissimum, omnem Patris voluntatem, nec uno jota aut apice omisso, adimplendi, omnia, quae de ipso in Scripturis fuerant praedicta, sustinendi nullamque passionis suae circumstantiam negligendi, ut grande redemptionis nostrae opus quam perfectissime consummaret. Omnia accuratissime jam impleverat, si illud excipias solum: *In siti mea potaverunt me aceto.* (Psal. 68, 22.) Itaque et istud completurus exclamavit: *Sitio;* licet praescius, acetum loco vini aut aquae sibi propinandum.

Anima mea! visne Jesum imitari crucifixum? ergo tria haec solum cordi et curae tibi sint, oportet: obedire

Deo, pati pro Deo, animas lucrari Deo. Haec, haec est sitis vero Dei amatore digna. Ut primum cor nostrum ab omni alio vacuum desiderio nil cupit, nisi perfectam cum Christo Jesu conformitatem, mox cum propheta dicet: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus: sitivit anima mea ad Deum.* (Psal. 41, 2. 3.) Si autem sitiamus solum terrenas voluptates, si sola propriae voluntatis, naturae, carnis commoda et delicias, extemplo infelices erimus, perturbati, nunquam statu nostro contenti.

Aufer a me, o Jesu, perniciosam hanc sitim et tuae similem substitue. Da, ut cor meum te solum suspiret, solas desideret cruces, solo animas convertendi zelo ardeat. Has ipsas in me virtutes desiderabas clamans in cruce: *Sitio.* Ea sitis erat vehemens desiderium me videndi obedientem, mortificatum, sancto ardentem animarum zelo. Insere igitur has virtutes cordi meo: et erit ut vasculum potu plenum, qui tuam possit sitim exsaturare.

PUNCTUM III.

Vas erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori ejus, ut biberet.

Admirare, anima mea, extremam Jesu Christi egestatem, etiam aqua ad solandam sitim carentis: at non minus obstupesce patientiam sustinentis fortiter omnis solatii privationem. Bellissimum patientiae exemplum! docens Christianos, praecipue religiosos, quomodo in summa rerum temporalium penuria debeamus contenti esse ipsas necessitates superioribus modo simplici exponere et solum dicere cum Jesu: *Sitio:* nil addendo, sive opem et levamen referamus, sive non: parati ad mortem usque illas pati sine auxilio, si ita Dei beneplacitum poscat.

Quanta autem erga te inhumanitas est hominum, o Jesu! tuis eos cumulasti beneficiis: tuo pavisti corpore et sanguine: reddunt fel et acetum: quanta crudelitas! At enim quoties ipsemet hanc, quam in aliis execror, erga te crudelitatem exercui? meam desideras salutem eodem, quo in cruce sitiebas, ardore: quid tibi ad restin-

guendam hanc sitim propinavi? scilicet opera felle et aceto peccatorum corrupta, quae horrorem tibi et nauseam creabant. Ast ignosce, Redemptor amantissime: veniam supplex precor: ignosce serio dolenti. Hunc dolorem recipe in compensationem ingratitudinis meae, tuaque confirma gratia firmum, quod concipio, animi propositum toto virium nisu posthac allaborandi, ut tua expleam desideria, tuam satiem sitim.

Sabbato.

Sextum Christi verbum in cruce.

(Joan. 19, 30.)

PUNCTUM I.

Cum accepisset Jesus acetum et delibasset, *dixit: Consummatum est.*

Consummatum est: verbum breve ac mole exiguum: at grandibus foetum mysteriis! Illud pronuntians Jesus tria spectabat, quae totidem hodiernae meditationis puncta fieri merentur.

Consummatum est: h. e. finierunt jam omnes totius vitae meae labores, poenae, tormenta, passio. Pater mi! lubens pertuli abjecta quaevis et aspera, quae volebas a me perferri. Nunc tandem *venit hora: ego te clarificavi super terram: opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam.* (Joan. 17, 1. 4.) Laetus igitur morior.

O quantis in mortis articulo exultabimus gaudiis, anima mea, si viderimus, a nobis omissum nihil, quod in vita agi a nobis aut tolerari voluit Deus, atque adeo dicere licuerit: *Consummatum est*, quidquid Deus nobis imperavit! Quam jucundum erit ad metam curriculi nostri tot cruces, quae viventibus occurrebant, post tergum respicere, si eas cum patientia portavimus, aut omnino cum laetitia!

Hoc coeli praegustu, o Deus, tuos recreas servos. Nil simile habet mundus: perfidus promissarum loco voluptatum fatalem asseclis suis desperationem inducit. Tu vero, Domine, postquam tuos tam brevibus, quam

levibus probasti tribulationibus, in morte solido eos gaudio reples, quod sint passi propter te et patiendo aeternam mercedem promeriti.

PUNCTUM II.

Consummatum est: h. e. meum Servatoris perfecte implevi officium et fines, ob quos in mundum veni, scilicet *ut consummetur praevaricatio et finem accipiat peccatum et deleatur iniquitas et adducatur justitia sempiterna.* (Dan. 9, 24.) Consummata sunt omnia: destructum est peccatum: mors et infernus debellati: reseratae coeli portae: complanata exemplis meis via perfectionis: stabilita lex nova: Sacramenta cum novo sacrificio instituta: omnia sunt perfecta: *Consummatum est.* Feci totum, quod mihi in salutem hominum proposueram; nihil omisi, quo electi mei fierent *consummati in unum*, scilicet in unitione caritatis consummatae, sicut Pater et ego unum sumus.

Grande hoc opus caro stetit Servatori per triginta tres annos: ast natum inde sub mortis horam gaudium, quod tantum opus perfecerit, omnes ei labores affatim compensavit. Idem mihi in agone ultimo obveniet, si omnes servi fidelis, veri Christiani, ferventis religiosi partes explevero.

Et sane explebo, mi Jesu, si absolvas, quod intendis et jam coepisti in me, grande perfectionis meae opus, quod tanto tibi stetit labore, sudore, cruore. Perfice ergo illud, Domine; nam tua agitur gloria: et quanto minus ad id repereris dispositum cor meum, tanto magis tua elucescet potentia et tanto amplius glorificabo te in omnem aeternitatem.

PUNCTUM III.

Consummatum est: h. e. quidquid umbra solum erat at figura, totum disparuit: abolita sunt legis antiquae sacrificia et ceremoniae: impleta prophetarum de me oracula: *Consummatum est* totum; hinc laetus morior.

Moritur quidem Christus ex infami trabe crucis: at comparebit iterum in nube lucida, velut in throno, vivos

judicaturus et mortuos. Tunc istud repetet *consummatum est:* quo dicit transiit mundus cum gloria sua: tempus merendi exspiravit ac demerendi: numerus praedestinatorum jam completus est: finiit tempus, coepta aeternitas. O verbum dulce bonis, terribile impiis!

O supreme hominum judex, non minus in extremo judicio severe, quam nunc misericors! tuam in me misericordiam adimple, ut exemplo tuo omnem Patris tui voluntatem perfecte impleam, tuis conformiter doctrinis vivendo in mansuetudine, patientia, mortificatione et humilitate, quarum virtutum tot illustria mihi exempla reliquisti usque ad finem vitae. Fac, ut in morte possim dicere: *Consummatum est. Bonum certamen certavi cursum consummavi: fidem servavi:* et addere, quod sequitur: *Reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus* inter electos suos. (II. Tim. 4, 7. 8.)

Dominica Palmarum.

Triumphalis ingressus Christi in Jerusalem.

(Matth. 21, 7. sq.)

PUNCTUM I.

Ante omnia considerandum, cur Jesus Solymam, totius Judaeae metropolim, ubi post quinque dies erat cruci affigendus, inter multa laetitiae, applausus et splendoris externi signa triumphans intraverit. Id voluit 1. ut suum pro nobis moriendi desiderium et alacritatem ostenderet, martyribus autem sequendi se robur et animos adderet. 2. Ut disceremus, timores et tristitias, quas postea in horto praesetulit, in inferiori solum animae parte resedisse, quin profundam partis superioris tranquillitatem et debitam voluntati divinae subjectionem turbarent. 3. Ut Solymaeae urbi demonstraret, se ejus ingratitudine ita offensum non fuisse, ut non paratus semper esset sui argumenta amoris exhibere, eamque, si vellet resipiscere, in gratiam recipere. 4. Ut doceret nos, veram gloriam consistere in tolerando opprobria

et ipsam mortem pro Dei honore et salute animarum. 5. Ut tanto majorem redderet passionis suae ignominiam, quanto gloriosior ejus fuerat triumphus.

Hic siste, anima mea, et divino a magistro disce, in quo verus honor et justa gaudendi materia consistat. Ad divinum hoc exemplar falsam opinionem tuam et mendax judicium corrige: errores depone, in quos profana vivendi atque judicandi ratio saecularium te praecipitem egit. Vah! quanto decori est homini christiano gloriam suam collocare in vana existimatione, felicitatem in voluptatibus, probrum in ignominiis, quae tamen Christo erant materia triumphi!

Non jam miror, o Jesu, pueros et puellas cum S. Agatha hilares ad supplicia velut ad nuptias cucurrisse: jucundos cum S. Laurentio ignita in craticula ceu florido in lecto jacuisse. Effectus nimirum tui sunt divini exempli; hinc non miror ista. Illud mirandum, quod plerique humiliationes et afflictiones adeo horreant, postquam tanti a te aestimatas fuisse et amatas credunt videntque. Ah! tantam in me caecitatem atque ingratitudinem noli tolerare, o Jesu, aut permittere, ut meae animi inclinationes tuis sint adeo contrariae. Detestor falsa mundi dogmata: nihil aestimabo imposterum, nihil diligam, nisi quod tuam mereatur aestimationem ac amorem, ut cum Apostolo possim dicere: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis et placeo mihi in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo.* (II. Cor. 12, 9. 10.)

PUNCTUM II.

Fuit autem hic triumphus ex parte Christi moderatus, humilis, modestus, qualem praedixit Zacharias (9, 9.): Dicite filiae Sion: *Ecce rex tuus veniet tibi justus et Salvator: ipse pauper et ascendens super asinam.*

En proprietates Filii Dei! Ex hoc, quod sit sanctus, humilis, pauper et mansuetus, agnoscitur esse rex regum: ex iisdem virtutibus dignoscitur, an ejus sis subditus.

Porro triumphus Christi, utut a fastu et pompa mundi alienus, solemni tamen ritu celebratur per

zelum et populi benevolentiam erga illum; *plurima enim turba straverunt vestimenta sua in via: alii autem caedebant ramos de arboribus et sternebant in via: turbae autem, quae praecedebant et quae sequebantur*, ramos palmarum manibus in signum victoriae tenentes (triumphantis enim in morem recipiebant eum) ex omni parte *clamabant, dicentes: Hosanna Filio David! Benedictus, qui venit in nomine Domini.*

Ingentes tibi grates ago, Pater aeterne, quod tantis honoribus tuum exornes Filium, qui ad reparandum, quem nostra tibi peccata abstulerunt, honorem et gloriam, jam pergit ad mortem omnium ignominiosissimam. Tibi quoque, Spiritus Sancte, grates sint et laudes aeternae, quod sanctum turbis ardorem inspires suum honorandi Servatorem. Egone autem solus sim, o Jesu, qui nihil tantae contribuat solemnitati tuae ac triumpho? Imo tuis substerno pedibus non modo bona, fortunas et facultates meas omnes, sed et honorem meum, commoda, delicias, cor, animam, me totum. Fac de illis et de me, quod libuerit: pedibus conculca, quidquid superbiae aut mundanae vanitatis in me est reliquum. Age plenum de eo triumphum, tamquam de hoste prostrato: ipse ego palmam tibi praeferam victori et tuam ubique decantabo gloriam: *Hosanna Filio David!*

PUNCTUM III.

Tantos applausus et honores Christo exhibitos pharisaei quidam indigne ferentes petierunt ab eo, ut discipulos suos juberet tacere. Respondit Jesus: *Dico vobis, quia, si hi tacuerint, lapides clamabunt.* (Luc. 19, 40.)

En summam invidiae malitiam, quae alienam nescit gloriam ferre, quantumvis justam et legitimam. At vide simul, proprium huic vitio supplicium esse divinis privari inspirationibus, quae non obtingunt, nisi simplicibus, devotis et genuinis Christi discipulis. Et hanc agendi rationem ordinarie tenet gratia. Lumine suo et unctione replet corda, in quibus regnant simplicitas, mansuetudo, caritas: superbos vero ac invidos dimittit inanes, sua in caecitate et pervicacia relictos. Nempe dicendum mihi cum Christo: *Confiteor tibi, Pater*, seu grates ago, *quod*

abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis. (Luc. 10, 21.)

Verum et tibi maximas ago grates, o Jesu, quod hanc parvulis propriam humilitatem me et toties *et efficaciter* docueris, quae tuorum est character discipulorum. Tu solus *potens es de lapidibus suscitare filios Abrahae* (Matth. 3, 9.), cor meum omni marmore durius emollire, tuis inspirationibus reddere obediens, ad orandum et te assidue laudandum inclinare, ut continuo exclamet cum turba Solymaea: *Hosanna Filio David! benedictus, qui venit in nomine Domini.*

Feria II.

Septimum Christi verbum in cruce.

(Luc. 23, 46.)

PUNCTUM I.

Clamans voce magna Jesus ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.

Grande mysterium *clamor* Jesu morientis! Potest equidem hicclamor signum fuisse naturalis repugnantiae, qua sanctissima Christi anima abhorrebat separari a corpore, tam fido per triginta tres annos laborum ac aerumnarum socio. Imo fas est credere, quod Christus nostrum assumendo corpus dedignatus non sit naturalem hanc et mortalibus communem assumere infirmitatem, ut discamus in articulo mortis ex illa facere ultimi materiam sacrificii.

At verius et absque dubio fuit clamor triumphantis et signum victoriae de diabolo ac inferno reportatae; sicut enim Gedeon confringens hydrias, excitato clamore Madianitas, hostes suos, superavit, ita gloriosissimus dux noster Christus corpus suum cruci affixum destruens et *clamans voce magna* daemonem morte sua devicit et infernales conterruit potestates. Re ipsa clamor Christi fuit praeter aut supra ordinem naturae; cruci enim suffixi, quia exsangues moriuntur, prae debilitate non possunt clamare amplius. At Filius Dei *clamavit*, quia voluit

ostendere, se Dominum esse mortis et vitae, quam nemo posset invito eripere: se vel moriendo triumphare de morte, ac in ipsa cruce suam latere fortitudinem et victoriam; se mori solummodo, quia ipsemet mori vellet, juxta illud, quod praedixerat: *Nemo tollit animam meam a me, sed ego pono eam a me ipso: et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam.* (Joan. 10, 18.)

Totus ergo terrarum orbis tibi applaudat, o Jesu, et victoriam gratuletur, utpote quam non tibi solum, sed et nobis morte tua retulisti, ut nimirum et sanctam vitam et beatam mortem nobis merearis. Per merita gloriosi agonis tui supplex te obtestor, *ne, cum* in morte *defecerit virtus mea, derelinquas me* (Psal. 70, 9.), sed tua me gratia tunc ita corrobores, ut usque ad finem vitae gloriosus tuorum meorumque hostium victor coronam, quam per te fuero meritus, recipiam.

PUNCTUM II.

Postquam Jesus suis nos doctrinis et exemplis docuit bene et sancte vivere, in manus Patris suum commendat spiritum, ut nos pariter doceat bene et sancte mori.

Notandum bene: *spiritum suum* commendat Patri, non suas facultates et bona, quae habebat nulla: non suum honorem et famam, quibus dudum renuntiaverat: nec ipsum adeo corpus, quia non erat illud, quod faciebat maximi. Per hoc ostendit nobis, quantam in mortis articulo curam *animae* debeamus gerere, quantum eam Deo commendare, relicto ejus providentiae corpore nostro, quod certo certius erit beatum, si spiritus seu anima in manus Dei feliciter evolarit.

Ita sane est, anima mea. Opus est, ut in manus Patris optimi te commendes in illo rerum articulo, ubi mors dissolvet corporis vincula: per solam ejus protectionem effugere poteris laqueos, tibi ab inimicis tuae salutis tunc parandos. Uti solus ipse est Creator noster, ita solus est protector: in solo ejus sinu securum reperies asylum. Sinus est Patris misericordiarum, tibi, utut miserrimo, semper apertus, unde nulla vis aut potestas te queat avellere.

Erit, o Jesu, meum ibi erit refugium: ibi me fidenter abscondam, ne incidam in manus daemonum. Sed et tua mihi patent vulnera, in quae conjiciam me instar columbae in foramina petrae. In iis, si me recipias, profecto non erit, quod timeam in morte. Imo jam nunc in manus tuas, ad amplexandos peccatores in cruce extensas, commendo spiritum meum; *in his* enim benignissimis *manibus* tuos sanguine *descripsisti* electos, tam valide insertos, *ut nemo illos rapere possit de manu tua*. Spero firmiter, me esse ex pusillo illorum grege, qui in manibus pastoris sui perire non possint.

PUNCTUM III.

Et haec dicens expiravit et quidem, uti expresse addit S. Joannes (19, 30.), *inclinato capite*.

Tribus minimum horis in cruce pependit Jesus, omni prope destitutus sanguine: sensus tamen dolorum, qui in morti vicinis alias consuevit obtundi, erat tam acer in Christo, ut eum ad extrema perduxerit. Tum oculi, qui fuerant unica afflictorum consolatio, coeperunt claudi: labia, e quibus verba vitae aeternae prodierant, livescere: os, quod fuderat tot oracula, in postrema solvi suspiria.

Ita mortuus est auctor vitae, Redemptor mundi, Filius Dei, princeps pacis, pater futuri saeculi, noster consolator, amicus, magister, unica spes nostra: et mortuus est *inclinato capite*, ut se ex obedientia et perfecta submissione mori demonstraret simulque nos instrueret, qua animi resignatione oporteat mortem recipere, quocunque illam tempore Deus immittat.

Tu ergo moreris, o Jesu, o vita animae meae! tu moreris, qui nunquam debebas mori: et moreris, ut mundo vitam, mihi vero clarissima heroici et perfectissimi amoris argumenta relinquas. Tu moreris: et ego tuae sum causa mortis. Ah! utinam licuisset mea vita millies tuam redimere! O si hodie saltem mihi daretur mori pro te et vitam, cum aliud non possim, pro vita reddere! Tu moreris, o amor meus! At vive saltem in cordibus fidelium; in meo vive et debitas ibi recipe laudes, honorem, cultum et gloriam.

Feria III.

De titulo cruci affixo.

(Joan. 19, 19. sq.)

PUNCTUM I.

Scripsit autem et titulum Pilatus et posuit super crucem. Erat autem scriptum: Jesus Nazarenus, Rex Judaeorum: et erat scriptum Hebraice, Graece et Latine.

Titulus iste, ut notat S. Marcus, continebat *causam mortis*, ad quam Pilatus Jesum condemnaverat, quia scilicet fuerat accusatus, quod se fecerit *regem*. Et sane rex fuit, non quidem temporalis, ut Judaei male interpretabantur, sed coelestis ac aeternus. Regnum ejus non erat de hoc mundo, stabilitum tamen in cruce, in qua tamquam throno adorandus erat a fidelibus subditis. Vanus ergo erat ille Judaeorum titulus et *causa* occidendi Jesum.

Genuina mortis Christi causa fuit, quod tuus, anima mea, fuerit Jesus, Redemptor, Salvator. Quantam ergo ei gratitudinem debes et amorem! *Vocatum est nomen ejus Jesus* in circumcisione, quia ibi coepit officium *Salvatoris* exercere, primitias sanguinis sui fundendo pro nobis: hodie autem nominis totius mensuram implet totum effundendo. Augustus hic titulus in cruce super caput ejus fuit positus. Huc ergo oculos semper animumque converte, cum debita gratiarum actione agnoscens, quod, si salvanda sis, ex morte Jesu Christi tua sit salus.

O mi Jesu! quam caro tibi stat utrumque et titulus Salvatoris et mea salus, quia sanguine tibi stant! O Jesu liberalissime, esto mihi Jesus in vita et morte; tu enim tota spes mea es. Fac me frui passionis tuae fructu: *eripe animam meam de manu inimicorum meorum* invisibilium (Psal. 30, 16.) et eam salvando demonstra, te meum esse Jesum et Salvatorem.

PUNCTUM II.

Tres hominum classes hunc legebant crucis titulum. 1. Principes sacerdotum et pharisaei, Christi hostes, qui titulo offensi sese Pilato opposuerunt, dicentes: *Noli*

scribere Rex Judaeorum: sed quia ipse dixit: Rex sum Judaeorum.

Infelices profecto! quia Christum nolebant habere regem, habebunt judicem. 2. Alii legebant titulum ex curiositate, obiter tantum et per transennam sine attentione atque ideo sine fructu. Ita complures legunt historiam de vita et morte Jesu Christi, quin latentia in iis mysteria curent intelligere, aut inde fructum capere. 3. Alii denique, ut b. Virgo et S. Joannes cum paucis titulum legebant cum devotione, reverentia et piis erga mysteria affectibus.

Illos oportet imitari, nec unquam Jesu Christi Evangelium legere, neque crucem aut crucifixum intueri, quin animum serio applicemus ad meditanda eorum mysteria, ad excitandos gratitudinis et amoris affectus, ad eruendas inde vivendi regulas.

Num ita fecimus hucusque? num facimus? Heu! quoties haec mysteria contemplati jam sumus absque interno animi motu? quia scilicet in solo cortice haesimus, latentem in iis nucleum et sensum haud scrutati.

Sufflamina, quaeso, Domine, tantam imaginationis et intellectus nostri levitatem, quae non raro me ipsum mihi eripit tempore orationis et attentionem contemplationi virtutum tuarum. Alliga me cruci tuae vinculo indissolubili, meque tuis include vulneribus, ut devote possim attenteque contemplari, quae tanta caritate et agere et pati pro me dignatus es.

PUNCTUM III.

Respondit Pilatus: Quod scripsi, scripsi.

Ita respondit non absque divina inspiratione. Deus voluit ostendere, non nisi verissima in titulo crucis contineri, adeoque nihil in eo ob quamcunque rationem aut persuasionem humanam esse immutandum, nec solum in cruce perpetuo relinquendum, sed etiam omnibus Christianorum cordibus usque ad finem mundi insculpendum.

Estne ita meo adhuc insculptus pectori? an nunquam fuit deletus? num frequenter ejus characteres instauro? num saltem mearum materiam meditationum inde

desumo? Egone Jesum vere *Nazarenum et regem* non Judaeorum modo, sed omnium terrae nationum agnosco, benedico et adoro omnibus animae meae facultatibus? sumne constans in proposito ei fideliter serviendi omnibus diebus vitae meae?

Hanc ego fidelitatem et constantiam, quam juravi, a tua spero gratia, o Jesu. De novo ratum est, fixum est, juratum est tibi fideliter servire. Frustra contendent daemon, caro, mundus suadere aliud: constanter ipsis respondebo: *Quod scripsi, scripsi:* quod promisi, firmum, ratum, fixum est. Non respiciam retro, nec latum unguem recedam a proposito, quo semper Jesu mei totus esse decerno. Tu igitur, o Redemptor amantissime, et meae Servator animae, qui nec apicem tituli in cruce immutari sinebas, ne, quaeso, permitte ullum mei erga te animi decretum immutari.

Feria IV.

Milites dividunt inter se vestimenta Christi.

(Joan. 19, 23. sq.)

PUNCTUM I.

Milites, cum crucifixissent Jesum, acceperunt vestimenta ejus et fecerunt quatuor partes unicuique militi partem.

Vah crudelem militum avaritiam, quae morientis et inspectantis facultates ac spolia dividit! Sed mittamus ista et certo priusquam exspiret Jesus, in corde ipsius scrutemur causas, cur hanc divisionem admiserit. Praecipue duas reperiemus. Prima est amor summus, quo impellente totum, quod adhuc reliquum habebat, hominibus, imo et carnificibus suis reliquit et quidem in partes quatuor divisum, ut pateat, quod omnibus quatuor orbis partibus stolam gloriae velit impertiri: Altera fuit causa desiderium, adhuc in morte perfectissimum evangelicae paupertatis exemplum nobis praebendi.

En, anima mea! ut paupertatis illius amorem et usum Jesus tibi persuadeat, non contentus suis spoliari vesti-

bus in ipsa cruce, illas simul, dum adhuc pertinebant ad ipsum, *ante mortem* pauperibus justitiae ministris cessit, suo adhuc sanguine manantibus. Quis majorem unquam vidit expoliationem? Quis autem eam in Christo videns, si ad statum religiosum per Dei gratiam sit vocatus, imitari et exercere detrectet, quando ei in persona illius evangelici juvenis Christus dicit: *Si vis perfectus esse, vade: vende, quae habes et da pauperibus et veni: Sequere me?* (Matth. 19, 21.)

Si ego huic voci et vocationi tuae obedivi, o Jesu, tuae effectus est gratiae ac exempli. Utrique felicem debeo et in acceptis refero conditionem meam et statum, ubi nihil amplius possideo, praeter te. Grates propterea infinitas tibi ago, laetior hac rerum omnium orbitate, quae tibi me reddit conformem, quam olim fuerim possessione facultatum mearum, aut forem possidendo omnes orbis thesauros. Quam large bonitas tua voluntariam expoliationem meam compensat, dum pro terrae pugillo, quod onus erat verius quam thesaurus, promittis regnum coeleste, imo pignus et praegustum ejus jam donas, cor meum tua replendo gratia, dulcedine et deliciis tui amoris!

PUNCTUM II.

Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad invicem milites: Non scindamus eam, sed sortiamur de illa, cujus sit. Ut Scriptura impleretur, dicens: Partiti sunt vestimenta mea sibi et in vestem meam miserunt sortem.

Tunica haec erat opus manuum b. Virginis, quae illam videns inter sacrilegas militum manus sanguine Filii sui tinctam, majore, quam Jacob, jure poterat exclamare: *Tunica filii mei est: fera pessima*, aut verius innumera crudelium ferarum multitudo, *devoravit Filium meum.*

Ea Christi tunica fuit symbolum sanctissimae humanitatis, indissolubiliter per virtutem Spiritus Sancti contextae in utero b. Virginis, tunica sane pretiosissima, quam, ut Apostolus loquitur, *induere* debent Christiani omnes, vitam suam vitae Christi conformando et participando caritatem, quae divisionem non admittit, uti

toga Christi non admisit. Eadem tunica est quoque figura Ecclesiae, sanctae Christi sponsae, cujus character genuinus et evidens signum est indissolubilis unitas, quae tam parum dividi potest, ac ipse sponsus: *Numquid enim divisus est Christus?* Anathema sit illi, qui togam Christi dividit aut scindit, seu per errores in fide, seu per schismata caritati inimica.

Noli, obsecro, Servator mi, noli ullam in Ecclesia tua Religionis discordiam, divisionem, scissuram admittere. Fac potius, ut omnes tui fideles vinculo ejusdem fidei et perfectae caritatis uniti cor unum et anima una fiant, atque adeo mysticam hanc togam componant, numquam a te separandi in tempore ac aeternitate.

PUNCTUM III.

Interea, dum milites vestimenta Christi dividebant, *praetereuntes* pharisaei, sacerdotes, populus, carnifices *blasphemabant eum, moventes capita sua et dicentes: Salva temetipsum: Si Filius Dei es, descende de cruce.* (Matth. 27, 40.)

Quanta crudelitas, inter immensos dolores illudere innocenti! Vide, anima mea, in quo rerum articulo constitutus sit Jesus. Existimabat, se non satis dignam sacrificio suo coronidem imponere, nisi atrocibus tormentis extremam jungeret ignominiam: ut suo amori faceret satis, voluit et debuit praebere exempla patientiae, humilitatis et constantiae in tentationibus, queis daemon et mundus tota vi connituntur heroicas infringere virtutes.

O mansuetissime Dei agne, quantas tibi grates debeo, quod horrendas sustinueris blasphemias, ut me animares ad perferendas quascunque injurias, quo illas nonnihil compensem, quas divinitati tuae intulerunt impii. Palam coelo et terra confitebor id, quod in persona tua vel non agnovere ingrati, vel sprevere conscelerati. Publice confitebor, te esse verum Dei Filium, qui de coelo descendit, ut genus humanum salvaret, ipse mortuus, ut aliis vitam daret. Libere fatebor, quod sis verus rex Israel, regnans in throno crucis, nil minus cogitans, quam ex illa descendere. Ego pariter constans cruci tuae assistam, ut ibi discam quotidie mori. Petat,

sollicitet, imperet natura, ut crucem deseram, non persuadebit. Nunquam non amplexabor crucem, ne ex illa descendens excidam dignitate ac sorte filiorum Dei.

Feria V.

Jesus instituit sacramentum Eucharistiae.

PUNCTUM I.

Quando instituit? Pridie, quam pateretur, seu in nocte passionis suae, ut magnitudinem summi erga nos amoris sui melius demonstraret. Antequam ex mundo rediret in coelum, medium adinvenit semper, uti promiserat, nobiscum (sub speciebus nimirum panis) manendi: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* (Matth. 28, 20.) Voluit in Eucharistia perenne et quotidianum *passionis suae* monumentum seu *memoriale* nobis relinquere: et quidem eo ipso tempore, quo homines in necem ejus maxime incumbebant, suum executus est decretum instituendi sacramentum, quod ipsos redderet immortales.

O amor Jesu mei! quam immensus, quam admirabilis, quam inexsuperabilis es ab omni nostra ingratitudine! Multum dixit sapiens de amore, dum dixit: *Fortis ut mors dilectio.* (Cant. 8, 6.) Nimis parum est id dicere de tua dilectione, utpote quae ipsa morte fortior est; quia singulari amore ipsos interfectores tuos amplecteris et summum praestas beneficium illis, qui te atrocissimis enecant tormentis.

Quas autem vices tam stupendae reddemus bonitati, anima mea? daturne aliquid in mundo, quod nec immutare, nec extinguere, nec ullis limitibus possit circumscribere nostram erga Deum caritatem, qui tanto excessu nos dilexit, ut corpus suum in escam, sanguinem in potum nobis daret, insuperhabita omni ingratitudine nostra? Dicamus ergo ex summo grati animi affectu, dicamus cum Apostolo: *Quis nos separabit a caritate Christi? tribulatio? an angustia? an persecutio? an gladius? certus sum, quia neque mors, neque vita, neque creatura*

alia poterit nos separare a caritate, quae est in Christo Jesu. (Rom. 8, 35. sq.)

PUNCTUM II.

Ubi instituit? *In coenaculo grandi, strato* et peristromatis exornato, ubi Christum cum discipulis quidam paterfamilias magno cordis affectu, nec minore reverentia excepit. Ille locus vere Ecclesiam catholicam designat, in qua sola verus comeditur agnus paschalis et gratiae, quas ille sua nobis morte promeruit, recipiuntur. Animam praeterea designat, quam Christus in s. Communione ingreditur et ea mediante inhabitat. Oportet igitur talem animam esse coenaculum *grande* et amplum amplitudine caritatis erga Deum et proximum: *stratum* et exornatum omni genere virtutum, quae aulaeorum ad instar domum Domini (animam) magnifice exornent.

Rogemus, anima mea, hunc regem angelorum, qui dignatur cor nostrum, habitationem adeo angustam et pauperem, ingredi: rogemus supplices, ut illud mutet in regiam se dignam: dilatet per caritatem, extendat per fiduciam, ornet per gratias et virtutes: rogemus, ut cor nostrum mutet in coelum tanto hospite dignum.

Notandum, quod idem coenaculum, ubi Christus fecit Pascha, ex eo tempore transierit in celebre quoddam sanctuarium; illuc enim ex imperio Christi post ejus mortem Apostoli cum b. Virgine se receperunt: ibidem post resurrectionem suam gloriosus apparuit Servator discipulis: ibi Spiritus Sanctus in eos descendit: ibi ad orandum colligebantur Apostoli et inde prodierunt ad praedicandum toti mundo Evangelium Jesu Christi. Tales etiam sunt animae justorum, quas inhabitare vult Christus: facit illas sanctuaria, domos orationis, habitacula Spiritus Sancti, amoenam solitudinem omniumque scholam virtutum, unde illas non evocat, nisi ad manifestandum sua Deique magnalia.

Veni ergo, mi Jesu, veni in cor meum, at prius tuarum copia gratiarum probe a te excultum: cape possessionem ejus; tuam ibi sedem fige, tamquam absolutus Dominus in eo regna, et ita perfecte, ut tuum sit

unice, non amplius meum, unice posthac intentum ad promovendum tuum honorem et gloriam.

PUNCTUM III.

Coram quibus instituit? Coram duodecim Apostolis; cum illis enim et proditor Judas aderat, modo tamen prorsus diverso. Caeteri Apostoli erant praesentes *corpore et spiritu*, per singularem reverentiam ac devotionem, qua consecratum panem acceperunt, promeriti, ut ipsis esset panis vitae: e contrario proditor, qui *corpore solum* aderat, mente et spiritu totus conceptae proditioni immersus, meruit, ut sibi esset venenum et fructus mortis aeternae.

Haec eadem Communionum diversitas hodieque spectatur. Idem sumitur Christus, sed ab aliis ut certum praedestinationis ac salutis pignus: ab aliis ut reprobationis et damnationis aeternae signum. Rite dispositis per caritatem et puritatem fructus est immortalitatis: contra indigne manducantibus venenum. Si volumus primum, adeamus hoc agni convivium et corpore et spiritu: accedamus cum plena intellectus attentione et toto cordis affectu.

Inspira nobis, Domine, ante hanc coenam sanctum ac religiosum timorem, plenum tamen spei, ut juxta consilium sapientis (Prov. 23, 1.), *quando sederimus, ut comedamus cum principe, diligenter attendamus, quae apposita sunt ante faciem nostram*, panemque vitae discernentes a pane communi, illum manducemus uti debito cum honore ac reverentia, ita cum toto fructu, quem inde debemus colligere.

Feria VI.

Mysteria in Jesu crucifixo latentia.

PUNCTUM I.

Quis est, qui pendet in cruce? Id melius ut penetres, anima mea, constitue te ad pedem crucis: oculos in Jesum morientem defigens considera, quis sit ille, qui pendet in cruce. Nimirum *Judaeis*, qui solum judi-

cant secundum debile et superbum rationis lumen, *scandalum est*, *gentibus autem*, secundum solas animi sui passiones judicantibus, *stultitia*: at Christianis verae fidei lumine illustratis prodigium est omni veneratione, admiratione, gratitudine, ac amore dignissimum.

Ita enimvero est, anima mea: ita est. Ille, quem vides cruci affixum, duos inter latrones medium, opprobriis saturatum, excaecatae et prorsus ingratissimae gentis maledictionibus oneratum, vulneribus plenum, hic ipse, inquam, simul est *Deus majestatis*, gloriosus Patrem inter et Spiritum Sanctum. Ille est, *cujus sedes est coelum*, *terra autem scabellum pedum ejus* (Isa. 66, 1.): *ascendens super Cherubim et volans super pennas ventorum.* (Psal. 17, 11.) Ille est, coram quo *omne genu flectitur coelestium*, *terrestrium et infernorum*. (Philip. 2, 10.) Ille, qui est beatitudo hominum et angelorum: cui laudes et magnificum trisagion illud diu noctuque Seraphim in coelo concinunt: *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus Dominus Deus exercituum.* (Isa. 6, 3.) Hic est ille ipsissimus, qui pendet in cruce.

Ita profecto est, o Jesu: licet te opprobriis, vulneribus, sanguine obsitum conspiciam in cruce, meum tamen te agnosco Deum ac Dominum, aeque mea dignissimum adoratione et amore in throno ignominiae, quam in tuae solio gloriae, imo in illo (ausim dicere) meo digniorem amore; quod enim in cruce humilis, patiens et humiliatus appareas, tuus erga me ardens fecit amor, qui te omnibus divinae majestatis tuae proprietatibus et attributis expoliavit, in tantas humiliationes ac tormenta conjecit et velut nebulonum ducem ad mortem crucis condemnavit. O amor fortior morte! nunquamne efficies, ut mihi moriar, illi autem, qui me adeo tenere amavit, unice vivam? Amor inferno durior, nisi cor meum frangas, emollias, inflammes! etenim sine affectu gratitudinis mutuique amoris Deum intueri pro me morientem crudelis est infernus, imo *infernus infernorum.*

PUNCTUM II.

Quis est, qui pendet in cruce? Est *sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech* (Psal. 109, 4.),

supremus novae legis pontifex, a Deo vocatus et electus modo infinite excellentiori, quam Aaron: est *princeps pastorum: pastor et episcopus animarum nostrarum* (I. Petri 2, 25; 5, 4.), qui aram crucis conscendit, ut cruentum offerret sacrificium, omnibus, quae unquam divinae majestati oblata fuerunt, excellentius, in quo idem simul est sacerdos et victima holocausti ad gloriam Patris et in remissionem peccatorum. O mysterium incomprehensibile! o admirabilem sapientiae Dei adinventionem! o prodigium amoris et caritatis, quod ipse Deus se immolet in cruce, sacerdos simul et hostia: idque propter me, abjectissimum terrae vermiculum, vile daemonis mancipium, peccatorem miserrimum, ut me divino reconciliet Patri, nec non donis gratiae et gloriae locupletet!

Quid retribuam tibi, Servator, et animae meae pastor amantissime, pro tam insigni beneficio et caritate quid retribuam tibi? corde ac mente cruento assistam sacrificio tuo et cor meum tuo uniam. Illud tibi *contritum et humiliatum* sacrificabo, dolore plenum ac pudore, eo quod toties et tam graviter te offenderet. Cor offeram summo ardens desiderio omnibus sanguinis sui guttis sua delendi peccata. Quem tu fundis sanguinem, meum quoque mundum efficiet et sanctum, atque adeo dignum oculis tuis holocaustum. Addam quoque sacrificium laudis cum firmissimo animi proposito, quod serio velim per omnem vitam tibi esse devotissimus. Accipe, quaeso, Domine, duo haec, exilia licet, sacrificia: conjunge illa tuo in cruce sacrificio: et certo fient oculis tuis accepta.

PUNCTUM III.

Quis est, qui pendet in cruce? Est doctor et magister e coelo missus, ut homines doceret viam veritatis, virtutis, sanctitatis et altissimae perfectionis. Divinus hic magister, postquam ea omnia per triginta tres omnino annos docuit mundum, denique crucis cathedram conscendit, omnesque doctrinas brevi epilogo repetiit. Primum ad discipulos sermonem habuit *in monte* de octo beatitudinibus: ultimum, at majore efficacia, habet *in monte Calvariae*, ubi proprie ipso opere ac exemplo

beatificat paupertatem, humilitatem, lacrimas etc., in semetipso demonstrans, *beatos* esse pauperes spiritu, *beatos*, qui lugent, *beatos*, qui cum ipso persecutionem patiuntur propter justitiam, etc.

Imaginemur nobis, quod Pater divinus, ut olim Moysi, nobis dicat hodie: *Inspice et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* (Exod. 25, 40.) Adeamus ergo Jesum crucifixum. Ut perfecte instruamur, alia re opus non est, quam oculos in eum conjicere. Inspiciamus 1. quam care nostra illi peccata steterint: et horreamus. 2. Quid et quantum egerit passusque sit, ut gloriam Patris sui repararet: et imitemur. 3. Quantum spernat bona, delicias, honores mundi: et sequamur. 4. Quantum amet crucem: amemus pariter et nos cum illo et propter illum. Caveamus autem vel unum jota aut apicem harum instructionum negligere, sed eas audiamus summa cum reverentia, conservemus tenerrimo cordis affectu, ante omnia in opus deducamus singulari fidelitate, ut vere cum Apostolo possimus dicere: *Non judicavi me scire aliquid inter homines, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum.* (I. Cor. 2, 2.)

O magister divinissime, o increata Dei sapientia, o Jesu mi, recipe me in scholam montis Calvariae: in ea cupio addiscere grandem summique momenti scientiam Jesu Christi, et quidem crucifixi: hanc profunde cordi meo insculpe, intellectui imprime, ac memoriae inscribe, ut mihi sit suprema actionum mearum regula, nihilque posthac amem in mundo, nisi te et crucem tuam.

Sabbato.

Sepultura Christi.

(Joan. 19, 38. sq.)

PUNCTUM I.

Postquam b. Virgo depositum e cruce corpus Filii aliquamdiu, ut suo indulgeret amori, materno tenuit in gremio, illud Josepho ab Arimathaea et Nicodemo tradidit, ut justa illi persolverent: id quod magno cum honore praestiterunt, dum myrrha unctum pretiosissima,

mundaque involutum syndone corpus terrae mandarunt. *Syndon* puritatem denotat, *myrrha* devotionem, qua recipere intra nos et conservare oportet Filium Dei.

Tune simili puritate nites, anima mea, cum s. Synaxin accedis? num dies s. Communionem praecedentes sedulo impendis conscientiae a minimis etiam peccatis emundandae et magno eorum concipiendo horrori? an non inveteratis scates imperfectionibus, quas emendare non curas? suscipisne sanctissimum Jesu Christi corpus cum omni pietatis sensu, quam adeo amabile requirit mysterium? tantumne *myrrhae probatissimae* in corde tuo Jesus reperit, ut totum ejus inungi possit corpus, sicuti olim ante sepulturam? Ad id opus est, ut *mortificationem Jesu semper in corpore tuo circumferas, ut vita Jesu manifestetur in corpore tuo.* (II. Cor. 4, 10.)

Sed enim hae virtutes, haec puritas, haec devotio et continua mortificatio, Domine, non sunt haereditas filiorum Adam, nec flores aut fructus ex sterili naturae nostrae horto. Tuum solius est, o divine sol justitiae, sterilissimum hoc solum foecundare per gratiae tuae influxum. Igitur, antequam facies tua linteamine obtegatur, Domine, unicum ejus radium adhuc emitte in cor meum: absume, quidquid in eo purum non est: omnes dele labeculas: cunctas insere virtutes, quae gratam tibi possint mansionem efficere.

PUNCTUM II.

Ita involutum Christi corpus exigua quidem pompa, at pietate maxima ad sepulchrum fuit delatum, comitante oculis lacrimantibus b. Virgine, sereno tamen corde, fidei et perfectissimae submissionis pleno. Si non eadem, quae viduae de Naim, matri afflictissimae sors et solatium obtigit audiendi haec verba: *Noli flere*, certe non destitit firmiter credere, Filium suum a Patre resuscitandum tempore aeterna consilii divini sententia designato. Haec spes erigebat animum afflictae et inconcussam cordis tranquillitatem conservabat.

Non aliter nos oportet constitutos esse in subitis casibus, praesertim in funere carissimorum. Si fas est eos deplorare, id fiat tum divinam adorando providentiam,

quae eripuit: tum sperando, quod olim resuscitandos denuo nobiscum sit conjunctura. Hac ratione addiscemus et luctum temperare et sanctas reddere lacrimas.

Num autem nos, o Jesu, nulla funeri tuo lacrimula parentabimus? nos, qui ingentem lacrimarum vim non raro profundimus ob causas futiles, ob res nauci et nihili? Ah! mater amantissima! ne permittas, oro, ut mortem Filii tui siccis spectem oculis.

Fac, ut meas tuis commisceam lacrimis et lacrimis *angelorum pacis amare flentium.* (Is. 33, 7.) Ego quoque torrentem lacrimarum funderem, si tenerum, quale tibi erat, cor haberem et, prout aequitas postularet, vere afflictum, eo quod peccatis meis causa fuerim mortis Jesu tui.

PUNCTUM III.

Prope montem Calvariae *erat hortus et in horto monumentum novum*, a Josepho ab Arimathaea in petra excisum, *in quo nondum quisquam positus erat: ibi ergo posuerunt Jesum*, advoluto grandi saxo.

Tale in horto oportebat esse sepulchrum novi Adam, qui mundum ingrediens elegerat purissimum Mariae, quae est *hortus conclusus*, uterum, ut expiaret peccatum, quod vetus Adam in horto commiserat. Quanta auctoris vitae humiliatio est inter mortuos sepeliri! Eo usque demisit se, ut omnia mundi vitia sepeliret secum. O *sepulchrum* Redemptoris mei vere *gloriosum* (Isa. 11, 10.), quia intra te claudis illum, qui est splendor Patris, gloria angelorum, vita, salus et beatitudo hominum! nos quoque tuo recipe sinu, ut cum eo, qui pro nobis mori dignatus est, moriamur, cum eodem sepeliamur, cum eodem resurgamus.

Porro sepulchrum Christi figura et typus est cordis, quod in s. Communione recipit corpus Jesu Christi. Et sane cor nostrum tunc debet pariter sepulchrum esse 1. *novum* per renovationem spiritus, vitamque novam ab omni antiqua peccatorum corruptione immunem. 2. *Excisum in petra* prorsus firma per inviolabilem in perferendis hujus vitae tribulationibus constantiam. 3. *Positum prope montem Calvariae* per assiduam

dominicae passionis contemplationem. 4. Post s. Communionem statim *claudendum* omnibus creaturis, quae aut receptum possent thesaurum auferre, aut tranquillam animae laetitiam turbare.

Pater aeterne, cui sepulchrum Filii tui singulari est curae, ejus sepulchri proprietates cordi meo impertire, ut illum digne recipiat: extingue in eo corruptas veteris Adam inclinationes, novasque novi Adam suffice: da, ut solitudinem amet, ac animi collectionem: fac, ut, postquam regi coelorum semel patuit, omnibus aliis occlusum nihil amplius commercii habeat cum rebus terrenis.

Dominica Resurrectionis.

D. N. J. Christi.

(Marc. 16, 1. sq.)

PUNCTUM I.

Christus Dominus, ut adimpleret, quod praedixerat: *Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus* (Matth. 12, 40.), totidem dies mansit in sepulchro: attamen, ut simul ostenderet sui erga nos amoris vehementiam, tempus contraxit et die tertia *valde mane* resurrectionem acceleravit, *exultans ut gigas ad currendam viam* suam. (Psal. 18, 6.) Ad hoc impulit eum ardens desiderium infidelitati discipulorum velox remedium, matris suae et amicorum afflictioni promptum afferendi solatium, nec non mundum illustrissima corporis sui gloria laetificandi, sicut gloria animae suae illustratum laetificaverat limbum.

An et nos pari ardemus amore ac zelo, nostrum, si occasio fert, ipsi vicissim testificandi amorem? Quanto jam tempore dignatur nos ad sublimem perfectionis gradum vocare? Quamdiu jam conatur nos de terra elevare, de tumulo vitae terrestris suscitare? Quomodo tam clarae ejus voci respondemus et vocationi? qua promptitudine obtemperavimus? Imo languidi semper,

torpentes, terrae affixi haesimus; ad surgendum, ad progrediendum, ad sequendum vocantis vocem vix pedem movimus.

O mi Deus! Quam parum agnoscimus, quam parum curamus nostrum animarum interesse ac emolumentum, utpote tamdiu segnes et tardi ad satisfaciendum nostrae, quam jure tuo postulas, fidelitati! Longe alium tu nobis te exhibuisti, dum summo *mane* e limbo ad nos invisendos rediisti consolandosque. Gratias tibi, Domine, immortales ob singularem, quo te amantes prosequeris, amorem ac sollicitudinem ocius subveniendi. Ah Domine! eandem mihi accelera gratiam. Exurge, meque, obsecro, de teporis sepulchro, ubi tot annis jam haereo et tantum non computresco, extrahere festina. Da, ut in ferventi tui amore imposterum semper vivam.

PUNCTUM II.

Animabus justorum, quae animam Christi e limbo reducem comitatae sunt ad sepulchrum usque, insignia duo, at prorsus diversa inter se spectacula occurrerunt. 1. *Corpus Christi* exsangue et vulneribus deformatum; ut intelligerent, quam caro earum salus Christo constiterit. 2. *Idem corpus*, postquam anima fuit rursus informatum, totum mox gloria coruscans et sole millies splendidius. Ea res in tantam omnes rapuit admirationem, ut prae gaudio attonitae exclamaverint: *Vidimus gloriam tuam*, Domine Jesu, *gloriam quasi Unigeniti a Patre*, *plenum gratiae et veritatis.* (Joan. 1, 14.)

Aderat simul huic spectaculo infinita beatorum spirituum multitudo; nam teste Apostolo Pater aeternus, *cum iterum introduxit primogenitum in orbem terrae, dixit: Et adorent eum omnes angeli.* (Hebr. 1, 6.) Et vero in hac secunda uti in prima generatione adoraverunt, iterantes primum illud genethliacon: *Gloria in altissimis Deo: et in terra pax hominibus bonae voluntatis.* (Luc. 2, 14.)

O faustam et amoenam diem! o diem, anima mea, triumpho sponsi tui sacram! Vere *haec* est *dies*, *quam fecit Dominus: exultemus et laetemur in ea.* (Psal. 117, 24.) Infinitas tibi grates, aeterne Pater, quod debita Filio

praemia tam large reddas. O quam bene gloriosam hanc immortalitatem, qua eum exornas, promeruit corpus ejus sanguine et vulneribus plenum! Laetitiis exulto aspiciens vulnera esse conversa in fontes claritatis, coronam e spinis in coronam gloriae. Tibi vero, Servator mi, tantam millies gratulor gloriam, cumque justis omnibus et angelis te adorans, toto, qua possum, corde tui me triumphi ac laetitiae reddo participem.

PUNCTUM III.

Noluit solus ea corporis gloria frui Christus, sed cum pluribus amicorum, qui *exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus venerunt in sanctam civitatem et apparuerunt multis* (Matth. 27, 53.), eandem resurgendi gratiam communicavit: 1. ut suam demonstraret bonitatem. 2. Ut testes suae resurrectionis haberet. 3. Ut nostram de futura resurrectione spem consolidaret. 4. Ut nos ad novam incitaret vitam secundum exemplar resurrectionis suae instituendam, ita, ut *quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus* (Rom. 6, 4.): h. e. ut *immortales* sicut ipse, *ac impassibiles* non amplius obnoxii simus morti peccati, infirmitatibus naturae, rebellioni passionum, adeo, ut anima nostra caeteras quoque gloriosi dotes corporis aemuletur: *Claritatem* cognoscendo coelestia et inspirationes divinas: *Agilitatem*, celeriter volando, quo voluntas Dei nos vocat: *Subtilitatem*, omnia conceptae animo perfectionis obstacula perrumpendo.

Tene ita comparatam sentis a tempore conversionis seu resurrectionis tuae, anima mea? Conservastine spiritualem, cui poenitentem restituit te Deus, vitam? an nihil remisisti de mortificatione adeo necessaria novae in Christo Jesu creaturae? Nihilne superest tenebrarum in intellectu? imbecillitatis in voluntate? teporis in corde?

Ah Domine! ad statum tam felicem eluctari ut possim, satis non est, me per gratiam tuam esse conversum: novis quotidie et efficacibus mihi opus est gratiis, quae *exspolient veterem hominem cum actibus suis* (Coloss. 3, 9.) meque in via perfectionis immutabiliter detineant.

O igitur gloriose animarum triumphator, de mea quoque triumpha perfecte: perrumpe omnia, quae eam creaturis alligant, vincula: da, ut non nisi coelestibus inhiet; sicque genuinam resuscitati corporis tui imaginem in me efforma.

Feria II.

Jesus apparet duobus discipulis in Emmaus euntibus.

(Luc. 24, 13. sq.)

PUNCTUM I.

Duo ex discipulis ibant ipsa die in castellum nomine Emmaus: et ipse Jesus appropinquans ibat cum illis; oculi autem eorum tenebantur, ne eum agnoscerent.

Ibant ex Jerusalem, partim quia omnia ibi erant turbata: partim quia locus ipsis videbatur periculosus. Causae autem se illis in via jungendi erant Christo sequentes. 1. Commiseratio et desiderium errantes hasce oviculas reducendi ad ovile suum. 2. Mos ejus et consuetudo afflictis in necessitate propediem subveniendi juxta promissum: *Cum ipsis sum in tribulatione.* (Psal. 90, 15.) 3. Delectatio, quam capit ex spiritualibus et sanctis colloquiis: *Ubi sunt duo*, ait, *vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* (Matth. 18, 20.)

En, anima mea: en vere pastorem bonum, fidelem amicum, consolatorem optimum! Ut afflictorum misereatur, fugientes insectetur, miseris celeriter subveniat, satis est a via aberrasse, ex ovili aufugisse, in moerorem incidisse. Ut nostris adsit et benedicat colloquiis, sufficit esse sancta.

Ex his bonitatis infinitae signis qui potuit fieri, magister divine, ut discipuli te non agnoscerent? Ah! in causa erat incredulitas, quae oculis eorum quandam nubem obduxit, luminibus tuis necdum dissipatam. Similis plane nubes in me sit, oportet, o bone Jesu, quae tuis obstet illustrationibus. In oratione praesentem te habeo intra me: ego tibi loquor, tu mihi: et tamen tenebras oculis offusas, quae non sinunt te videre et cognoscere, sentio. Ah Domine! isthoc me fascino libera,

quod oculis meis aufert conspectum admirandae pulchritudinis tuae: da, ut agnita amabilitate tua, cor meum penitus in tui amorem rapiatur.

PUNCTUM II.

Et ait ad illos Jesus: Qui sunt hi sermones, quos confertis ad invicem et estis tristes? Respondit unus ex illis, colloquii et tristitiae causam esse Jesum a Nazareth, his diebus crucifixum, *qui fuit potens in opere et sermone coram Deo et omni populo.* En illustre elogium, quo Servatorem super astra extollunt: attamen illud obscurant subjiciendo: *Nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israel:* quibus verbis plane innuunt, quod eam spem vel penitus abjecerint, vel saltem multum debilitarint. Et hic est communis imperfectorum error. Subinde altas fovent ideas de bonitate ac providentia Dei: at illas tempore tentationis vel obliviscuntur, vel in diffidentiam prolabuntur.

Increpat Jesus incredulos, dicens: *O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus, quae locuti sunt prophetae! Nonne haec oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam?*

Grande documentum, o Jesu, mihi non minus, quam discipulis tuis necessarium! Si te pati oportuit, ut ita intrares in gloriam tuam, quae tibi jure haereditario debebatur: qui ego illam, omni prorsus jure destitutus, mihi adulando promittam, nisi per amorem crucis et tribulationum me dignum reddam? Ah! magister divine, hanc alte cordi meo imprime veritatem animosque et robur, ut eam possim opere exequi, necessarium clementer concede.

PUNCTUM III.

Et appropinquaverunt castello, quo ibant: et ipse Jesus se finxit longius ire: et coegerunt illum, ut maneret et coenaret secum: *et agnoverunt eum in fractione panis.*

En fructum ac praemium caritatis, quae vi amica Jesum *coëgit* manere. Dein panis, in cujus fractione agnoverunt eum, figura saltem fuit panis eucharistici,

cujus effectus communis est internos animae oculos aperire et corroborare multo amplius, quam illud mel, quo *illuminati sunt* et corroborati olim *oculi* Jonathae.

Agnosce, anima mea, immensam Filii Dei propensionem, qua ardenter desiderat se intime nobis unire, sua nobis revelare secreta et plenam omnipotentiae suae cognitionem communicare. Opus est solummodo ista petere enixe. Gaudet nostris *cogi* precibus ac suspiriis, etiam importunis: praecipue cum in s. Communione eum recipimus, oportet aliquo modo, ne separet se imposterum a nobis, illum *cogere*, simulque, ut suas in nos effundat divitias, obtestari, dicendo cum Jacob: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi* (Gen. 32, 26.); vel cum duobus discipulis: *Mane nobiscum, Domine, quoniam advesperascit et inclinata est jam dies.*

Enimvero per eundem amorem, qui te, o Jesu, coegit venire ad me, supplex te precor: ne discedas a me; etenim bene adverto, quod inclinati jam sint dies vitae meae et prope absim ab umbra mortis: id igitur gratiae a te efflictim peto: mane mecum constanter, ut sic impedias, ne lumen fidei et flamma caritatis in me extinguantur: sed fac, ut usque ad extremum vitae halitum tibi fidelis animam efflare possim, plenus fiducia te videndi et perfecte amandi in aeternum.

Feria III.

Christus matri suae, angeli mulieribus annuntiant resurrectionem.

(Matth. 28, 1. sq.)

PUNCTUM I.

Redivivus Servator suis manifestavit se triplici modo: 1. *per sanctos*, qui cum illo ad vitam resuscitati *exeuntes de monumentis venerunt in sanctam civitatem et apparuerunt multis* (Matth. 27, 53.), annuntiantes, quem cruci affixerant Judaei, verum Messiam, regem Israel et Servatorem mundi fuisse et modo vere a mortuis resurrexisse. 2. *Per angelos*, qui ejus resurrectionem sanctis mulieribus annuntiarunt et vacuum monstrarunt

sepulchrum. 3. *Per semetipsum*, suis ipse spectabilis factus, ut excessum caritatis suae ostenderet.

Non aliter Christus quotidie triplici utitur via et modo ad manifestanda nobis vitae novae mysteria: videlicet 1. *per homines sanctos*, qui nos instruunt et velut manu ducunt in via perfectionis. 2. *Per angelos custodes*, qui nos interne illuminant, sancto amore inflammant, ut nos ad sublimem perducant perfectionem. 3. *Per semetipsum, loquendo nobis ad cor* (Ose. 2, 14.), coelestia communicando charismata et internas animae infundendo delicias juxta promissionem suam: *Qui diligit me, diligetur a Patre meo et ego diligam eum et manifestabo ei meipsum.* (Joan. 14, 21.)

O rex gloriae! laudent te omnes angeli et homines ob excellentem, quo tuos prosequeris servos, amorem et eximiam sollicitudinem, qua spiritualem eorum metamorphosin promovere studes. Ego quoque grates tibi, quas possum et par est, maximas dico pro omnibus, quae ad me innovandum adhibuisti, mediis: fac, ut efficacia sint: perfice coeptum bonitatis tuae opus: absolve penitus, quam in anima mea inchoasti, novi hominis imaginem, ut perfectum ipsius ectypon fiat.

PUNCTUM II.

Dubitare non licet, quin Christus primo omnium suae apparuerit matri, quippe prae omnibus ob ejus mortem afflictae. Die igitur tertia dum matutinae orationi intenta vehementius adventum Filii suspirat, ecce tibi! cum omni gloria et claritate corporis sui apparet ei, tam corporis, quam animae oculos ita in matre acuens, totum ut haurire, eoque posset plene frui exsaturarique, ex parte impletum videns illud Prophetae: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* (Psal. 16, 15.)

O quanta fuerit Filii ac matris laetitia! quanta voluptas Filii, maternas detergentis lacrimas, matris contemplantis immensam Filii amantissimi pulchritudinem! O quoties tenerrimo cordis affectu dixerit ad Filium: *Secundum multitudinem dolorum meorum consolationes tuae laetificaverunt animam meam!* (Psal. 93, 19.)

Tuam, Virgo sanctissima, laetitiam renova, dum nos illius hodie memoriam celebramus. Mente denuo recole tempus jucundissimum, quo ille, quem castissimo sub pectore meruisti portare, redivivus tuis sese oculis indulsit, totus splendore rutilans: roga eum, ut nos reddat participes ineffabilis gaudii, quo repleta fuisti tempore suavissimae hujus apparitionis.

PUNCTUM III.

Voluit praeterea Christus resurrectionem suam *prae Apostolis* annuntiari Mariae Magdalenae aliisque sanctis mulieribus, *quae secutae eum fuerant* usque ad montem Calvariae. Hanc autem praerogativam meruit 1. earum *obedientia* legi praestita, dum ob reverentiam diei festi devotionem suam ac ingens desiderium ungendi corpus Christi distulerunt post festum Sabbati, quo ungere fas non erat. 2. *Diligentia et fervor*, nondum orto sole jam properantium ad exhibendum Christo illud pietatis obsequium. 3. *Magnanimitas et fiducia*, nullo difficultatum metu superabilis. Haec tria insuper meruere privilegium et gratiam videndi angelos, qui lapidem sepulchri sustulerunt et gloriosam Christi resurrectionem his verbis annuntiarunt: *Vos Jesum, qui crucifixus est, quaeritis: non est hic. Venite et videte locum, ubi positus erat.*

Anima mea! visne et tu in partem venire gaudii gloriosae resurrectionis Christi? ergo et in partem ignominiarum crucis veni. Quaere Jesum crucifixum per obedientiam et subjectionem: quaere ipsum eodem cum Magdalena fervore, amore, sollicitudine: et brevi coelestibus affl̈ues solatiis; nam *qui mane vigilant ad me, invenient me*, ait ipsa veritas aeterna. (Prov. 8, 17.) Ortum solis praevertas necesse est, si coelestium manna consolationum velis colligere: nec angelorum fruere colloquiis et familiaritate, nisi separata ab hominum consuetudine: nec invenies Creatorem, nisi exueris creaturarum amorem.

Quando autem, bone Jesu, ego illum exuam? quando tibi tam arcte conjungar, ut cum Apostolo gloriari possim: *Non judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum*

et hunc crucifixum? (I. Cor. 2, 2.) Ah! inspira mihi, Domine, universale rerum omnium extra te fastidium: inspira famem justitiae tuae insatiabilem cum ardentissimo te possidendi desiderio.

Vos vero, angelici spiritus, qui bona nova de dilecto cordis mei fertis, vos lapidem auferte, qui obstat, ne illum inveniam: omnia beatitudinis meae obstacula perrumpite, ut in Jesu Nazareno, pro me in cruce mortuo, possim exultare.

Feria IV.

Repetitio unius aut plurium praecedentium meditationum.

Feria V.

Jesus apparet Mariae Magdalenae.

(Joan. 20, 11. sq.)

PUNCTUM I.

Postquam sanctae mulieres nunciassent Apostolis, quae viderant et audierant ab angelis, simul omnes ad sepulchrum redierunt: et tunc (de quo S. Marcus 16, 9.) *apparuit Jesus primo Mariae Magdalenae, de qua ejecerat septem daemonia.*

Obstupesce, anima mea, bonitatem Filii Dei, tanto erga conversos peccatores amore flagrantis, ut in primum resurrectionis suae testem et praeconem voluerit eligere infamem sceleribus peccatricem, ubi in celebrem virtutibus evasit poenitentem. Discamus inde, quod neque numerus, neque gravitas scelerum obesse queat animae, si vero eorum dolore compuncta nihil omittat, quo ea resarciat. Imo mensurae fervoris et caritatis respondet gratia et vis divinae bonitatis.

Quanta peccatoribus, quales nos sumus, causa fiduciae est videre Magdalenam, peccatis onustam, tanta a Christo praerogativa illustrari! At quantum simul tepidis nobis motivum fervoris et caritatis intueri peccatricem, quae in castam Jesu Christi amatricem conversa, ante ejus

pedes lacrimis poenitentiae diffluit, suis eos detergit crinibus et tenerrime amplexatus, suum ubique sequitur Servatorem usque ad montem Calvariae, eundem quaerit in sepulchro, quem unice habebat in corde et ore: nec hominum nec angelorum aspectu se retardari passa, quid ploret, interrogantibus nullum reponit verbulum, nisi illud: *Tulerunt Dominum meum: et nescio, ubi posuerunt eum:* obfirmata aut mori, aut eum, donec inveniat, quaerere.

Egone autem Magdalenam solum imitabor in audacia peccandi, non item in fervore Deum amandi? Ah Domine! non minus, ac illa, te perdidi: ast incipio pariter cum illa sentire tantae magnitudinem jacturae et desiderium eam reparandi anxium me habet et continuo inquietum: *fuerunt mihi lacrimae meae panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus?* (Psal. 41, 4.)

O mi Deus! o Deus animae meae, qui olim consueveras quiescere in corde meo: ubi modo es? quis latro crudelis te mihi abstulit? Revertere, Deus amabilissime, ah! revertere ad me! non invenies amplius in me peccatum, quod expulit te. Insere pectori meo puritatem, innocentiam, caritatem: insere id omne, quod poterit in me perpetuam tibi mansionem figere.

PUNCTUM II.

Jesus commiseratione permotus sese manifestat Magdalenae, at sensim ac pedetentim; ut nos methodum edoceat, quam servare solet, dum animas quaerit, convertit, sanctificat. Igitur stans initio post tergum Magdalenae, levem excitat strepitum, quo eam veluti admoneret, quam paratus ipse sit ad se manifestandum, modo illa nullum amplius ex parte sua ponat obstaculum. 2. Oculis ejus se objicit, at personatum sub habitu hortulani, ut significaret, in ea adhuc pullulare imperfectionum zizania, quae incassum evellere conabitur, nisi ipsemet excolendo ejus cordi manum, curam, laborem adhibeat. 3. Interrogat, quid ploret. Quem adeo sollicite quaerat, interrogat, non quasi causam ploratus aut anxietatis ignoraret: sed quaerit, ut Magdalenae insinuaret, in ejus lacrimis (profluebant enim ex defectu fidei, cum angelis, resur-

rectionem annuntiantibus, non crediderit, plene quaerens mortuum, quem debebat credere resuscitatum) quid latere, quod ipse non probet, nec adeo sciat *scientia*, ut vocant *approbationis*.

Magdalena ex habitu *existimans*, *quia hortulanus esset*, *dixit ei: Domine! si tu sustulisti eum*, *dicito mihi*, *ubi posuisti eum: et ego eum tollam.*

Admirare hic, anima mea, expressam ad vivum perfectam caritatem, quam Christus in corde Magdalenae producit ceu ultimam dispositionem ad recipiendam, qua illam dignari vult, manifestationis suae gratiam: et videbis simul proprietates amoris divini, seu caritatis unitivae. 1. Ita totum possidet cor Magdalenae, ut solum de dilecto suo cogitet ac loquatur, sibique persuadeat, quod omnes, ut ipsa, cogitent de illo ac intelligant, quid ipsa velit et loquatur. 2. Linguam ejus solvit in verba, quae hominum judicio videntur deliria, reapse autem sunt excessus mentis, amoris et animae amantis, dilecto suo uniri percupidae. 3. Magdalenam elevat supra se ipsam ad tentanda etiam viribus majora, quo ad desideratam cum dilecto perfectam unionem possit pervenire.

O amor omnibus naturae infirmitatibus superior! O amor ipsa morte fortior! cur non et meum cor occupas, ut ex eo pellas respectus humanos futilesque rationes, quae tamdiu jam meum fovent teporem, perfectam impediunt cum sponso meo unionem? Magne Deus! inebria me amoris tui dulcedine, ut ita corroboratus arduam sanctitatis viam abs repugnantia animi ingrediar, abs lassitudine prosequar, donec eo feliciter pertingam, ubi non amatur, non possidetur, nisi tu solus, *Deus cordis mei*, *et pars mea Deus in aeternum.* (Psal. 72, 26.)

PUNCTUM III.

Conspiciens Jesus fervorem, lacrimas et sancta Magdalenae vota, iis tandem satisfacit, seque manifestat, proprio illam nomine compellans: *Maria!* Nec pluribus erat opus amanti. Ocius ad haec verba divino lumine, amore, gaudio repleta, *Rabboni*, h. e. *magister*, exclamat et ad pedes Jesu se abjicit osculum fixura. Prohibet ille, dicens: *Noli me tangere.* Per hoc animas etiam

sanctissimas docet, quod amori et familiaritati, qua illis secum frui permittit, reverentiam ac venerationem divinae majestati debitam oporteat conjungere.

Admiremur hic potentiam Christi summae conjunctam suavitati. Sane ipso opere demonstrat, se cordium esse Dominum, quandoquidem unico dumtaxat verbulo cor Magdalenae immutat, exsiccat lacrimas, suavissimis replet solatiis, sanat incredulam, novo amoris castissimi inflammat igne, ut ceu viventem diligat Deum, quem adhuc inter umbras mortis commorantem existimabat.

Immense Deus! quis capere possit, quantum ames, quos singulariter *novisti ex nomine*, prae aliis dilectos? Illis te manifestas: illos tua beas praesentia: solum cum illis familiariter agis: illos doces amare simul et revereri divinas perfectiones tuas. Egone autem, o Jesu, ad tantum felicitatis apicem aspirare possum? utique indignus sum. Verum quid non sperandum de tua bonitate? Fac igitur, o vita et amor cordis mei, *ut te cognoscam, sicut et cognitus sum* a te (I. Cor. 13, 12.): fac, ut cum Magdalena tenerrimo amori tuo perfecte respondeam.

Feria VI.

Christus apparet ss. mulieribus, simul et Magdalenae.

(Matth. 28, 9. 10.)

PUNCTUM I.

Dum Magdalena gaudiis plena redit de sepulchro in via suas offendit socias et enarrando, quid sibi acciderit, ardenti omnes desiderio accendit suum pariter videndi Servatorem. Videns Jesus earum vota ac fervorem, ut sedulitatem summo mane ad sepulchrum egressarum remuneraretur, obviam illis factus et salutans dixit: *Avete!*

Ita consuevit amantissimus hic Dominus cito exaudire preces et vota sibi servientium. Sin, differt, vel ut eos perfectius disponat, vel ut largius remuneretur. O quam felices extiterunt hae mulieres, quod viderint Jesum! quam merito omnis operae et laboris sui pretium se

tulisse judicarunt, cum ex Christi ore vocem solatiis plenissimam perceperunt: *Avete!*

Ego quidem, o Jesu, harum mulierum amorem, diligentiam, fervorem non sentio in me: a tua tamen bonitate gratiam spero cognoscendi te ac videndi in oratione. Ostende mihi faciem tuam: visita omnes animae meae facultates: dic illis: *Avete:* Dominus sit vobiscum: gaudete: et unicum hoc verbum illas replebit gaudio, omni benedictione, donis coelestibus et gloriosae resurrectionis tuae fructibus.

PUNCTUM II.

Ut piae mulieres Christum Dominum agnovere, statim in terram prostratae *tenuerunt pedes ejus et adoraverunt eum.* Ejusdem favoris, quo ante privabatur, Magdalena particeps facta, reverenter pedes ejus exosculabatur, unde non jam sanguinis, sed voluptatis torrens profluebat. En praemium officiosae pietatis, quae mulieres summo mane, ut ungerent corpus Jesu, ad monumentum pertraxit.

Ad imitationem ferventium harum mulierum, quarum praecipuas tres nominat s. Marcus, tres animae potentias ad ungendum, ut ita loquar, corpus Jesu, cum in Eucharistia illud sumimus, adhibeamus: *Memoriam* per sanctas cogitationes, *intellectum* per devotam meditationem, *voluntatem* per tenerrimos affectus. Haec tria pretiosissimum sunt unguentum, cujus odor Deum mire recreat.

Christe Jesu, quem Pater aeternus *unxit oleo laetitiae prae consortibus tuis* (Psal. 44, 8.), ne despicias, quaeso, nostra haec unguenta, quae tibi offerimus: et cum prae omnibus tibi placeat unguentum amoris, illud in corde meo confice: fac, ut igne caritatis tuae incensum ardeat in odorem suavitatis: tunc forte simili cum sanctis mulieribus fruar gratia, tua scilicet spiritualiter tangendi vulnera, unctionem tui S. Spiritus sentiendi, nihil, nisi tuum posthac amorem quaerendi.

PUNCTUM III.

Jesus permisit, ut ss. mulieres suae indulgerent devotioni et affectui et dixit: *Nolite timere. Ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilaeam: ibi me videbunt.*

Nota 1. quod prorsus idem angeli jam prius dixerint mulieribus. Nimirum Spiritus Dei suis se conformat ministris et eorum verba, doctrinas, oracula confirmat. 2. Quod Jesus Apostolos nominet *fratres suos*, ad demonstrandam amoris sui teneritudinem et honorem generi humano praestitum, eo quod humanam, non autem angelicam assumpserit naturam, hac ratione factus *frater noster*. 3. Quod in Galilaea, ubi summa pax florebat, velit se manifestare amicis, non autem in Judaea, quae tumultu et turbis strepebat.

Deum immortalem! quanta harum mulierum est gloria, honor et gratia, electas fuisse ad annuntiandam ipsis etiam Apostolis resurrectionem Jesu Christi, quam ipsi subin in totum terrarum orbem debebant praedicando diffundere! Quanta fidelium consolatio, scire, quod Deus ipsis per suos loquatur ministros! Quanto nobis honori est, Jesum habere *fratrem!* Quanta eorum maxime felicitas, qui relicto mundo intima cum Deo familiaritate fruuntur!

Singulares tibi habeo grates, o Jesu, quod tantam cum vilibus creaturis, quarum ego vilissima sum, necessitudinem contrahere sis dignatus. Nec minores ago grates, quod me tumultu, negotiis et turbis saeculi expedieris, ut mihi ad cor loqui et mysteria novae vitae tuae possis aperire. Impera silentium passionibus meis: dissipa, quae menti adhuc inhaerent, turbulentas saeculi ideas et phantasticas imagines, ut nullum jam supersit impedimentum divinam vocem tuam audiendi, teque tranquilla contemplatione cognoscendi.

Sabbato.

Repetitio unius vel duarum meditationum praecedentium.

Dominica I. post Pascha.

Christus apparet discipulis et Thomae.

(Joan. 20, 24. sq.)

PUNCTUM I.

Thomas unus ex duodecim Apostolis *non erat cum eis, quando venit Jesus. Dixerunt ergo ei alii discipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum et mittam digitum meum in locum clavorum et mittam manum meam in latus ejus, non credam.*

Commissos a S. Thoma defectus et peccata consideremus, ut evadamus cautiores et misericordiam Jesu Christi cognoscamus. 1. Thomas non erat cum Apostolis, quando venit Jesus. Heu! quot gratias perdit, quot incurrit pericula, qui se a communione fidelium et communitate fratrum separat! 2. Noluit credere omnium de Christi resurrectione Apostolorum testimoniis. 3. Temere asseverat, se vero non crediturum, nisi manibus palpet Christi vulnera. 4. Ejus pertinacia testibus fide dignissimis Petro et Joanni, duobus discipulis ex Emmaus reversis, fors et b. Virgini, resurrectionem Christi asseveranter confirmantibus, obluctata est.

Superi! quam merito unum ejusmodi exemplum percellit ac instruit animam proprio judicio et singularibus nimiopere adhaerentem opinionibus! Periculosa haec animi dispositio sensim sine sensu trahit hominem ad incredulitatem, ab hac in temerariam praesumptionem, denique in caecam mentis pertinaciam, cui nemo nisi Deus omnipotente gratia poterit mederi.

Tu vero, mi Deus, gravem hunc Apostoli lapsum permisisti, ut gloriosius eum erigeres et firmissimam Religionis nostrae columnam ex eo efficeres: simulque ostendisti, quanta sit imbecillitas nostra, tuo destituta auxilio, et quod *nemo* per fidem *possit venire ad te, nisi Pater traxerit eum.* (Joan. 6, 44.) Tuam in omnibus sapientiam et sanctam adoro providentiam. Ah! noli, obsecro, permittere, ut unquam me ei subtraham et singulares ingrediar vias, quas s. obedientia non

monstrat. Fac, ut vias amem omnibus communes: fac, ut omni cum humilitate me subjiciam voluntati superiorum, summe omnem horream singularitatem.

PUNCTUM II.

Octo dies expectabat Jesus conversionem Thomae: videns autem sua in obstinatione persistentem malumque augeri, ipse venit, ut promptum aegro ferret remedium. Igitur manifestans se infideli cum reliquis congregato clausis januis coenaculum ingressus omnes salutavit: *Pax vobis! Deinde dicit Thomae: Infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum: et noli esse incredulus, sed fidelis.*

Obstupesce, anima mea, 1. infinitum Jesu amorem, infideli discipulo succurrentis. 2. Sapientiam, aegrum sanantis in praesentia reliquorum, ut, qui fuerant testes obstinationis, testes fierent submissionis. 3. Suavem vulnus infidelitatis tractandi methodum, dum ei palpanda offert corporis resuscitati vulnera. 4. Comitatem alloquentis, ut errantem oviculam fortiter et suaviter reduceret in orbitam et ovile.

O amorem ac mansuetudinem Jesu ineffabilem! O pastor mi amantissime, qui diu intueri non potes errantem oviculam, sed ardentissime quaeris, inventaeque peramanter blandiris! Ex his ipsis clementiae tuae signis te agnosco, felix profecto, quod ad te et ovile tuum pertineam, vocem tuam audire, te sequi ducem mihi obtigerit. At recordare, quod sim levis, inconstans et, licet millies fidem sanctissime tibi jurem, continuo verser in periculo recedendi a te, nisi me in ovili tuo contineas per suavitatem gratiae et per vincula caritatis tuae.

PUNCTUM III.

Thomas post tam manifesta bonitatis divinae argumenta exclamavit: *Dominus meus et Deus meus!*

Non constat, an re ipsa manibus vulnera Christi tetigerit. Id certum, ex illis occultam prodiisse virtutem, quae Thomam momento convertit et professionem divinitatis Jesu Christi elicuit clariorem, quam ullus mortalium eum usque in diem fecerit. Utique approbavit eam

Christus: at non celebravit encomiis, ut illam Petri; quia Thomas nimis morose et tarde eam fecit, nec nisi post experientiam sensuum; hinc Salvator ei dixit: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti. Beati, qui non viderunt et crediderunt*, quo dicit: ut me tuum esse Deum et Dominum crederes, necesse erat, ut videres me et palpares. Meritum et felicitas fidei consistit in credendo, quod non vides.

O mi Deus! quanto nobis hoc solatio est, quibus non datur te videre! quam large hoc ipsum compensatur per fidem solam et pure spiritualem, quam nobis confers! Grates ibi ago quam maximas, o Jesu, ob inaestimabile hoc beneficium, quo supples gaudium ex clara tui visione oriturum. Equidem indignus sum corporeis te intueri oculis: at tuo *beatus* sum effato, quod per fidem te possim mentis intueri oculis. Intellectum illumina, cor ardenti amore inflamma, ut te semper habeam in corde et animo, donec aeternum videre te possim et amare in regno tuo.

Feria II.

Christus apparet Apostolis ipsa die resurrectionis.

(Luc. 24, 36. sq.)

PUNCTUM I.

Cum Apostoli ob metum Judaeorum clausis foribus essent congregati, *die illa* resurrectionis *sero*, ut ait S. Joannes (20, 19.), *venit Jesus et stetit in medio eorum.*

Differt Dominus hanc Apostolorum visitationem in vesperum 1. ut tardioribus ad credendam resurrectionem locum daret ac spatium sese melius ad hanc visitationem disponendi. 2. Ut eorum desiderium se videndi acueret, ac 3. patientiam periclitaretur. 4. Ut nos doceret, nunquam de opportuno in summis afflictionibus Dei auxilio desperandum; *Si* enim, ait propheta, *moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet et non tardabit.* (Habac. 2, 3.)

Cupisne, anima mea, et tu Deum ad te certo attrahere? cura ergo, ut portae sensuum et cordis tui sint clausae evagationibus mentis. Ille cor intrat, cujus omnes aditus occludit assidua animi collectio: gaudet animam incolere, quae omnes suas facultates simul intendit divinarum contemplationi perfectionum. Tunc enimvero illam ut sol illuminat, docet ut magister, perficit ut auctor et consummator omnis sanctitatis.

Veni igitur, Domine, in animam meam. Ostende, quod sis absolutus ejusdem Dominus: perfectum ibi exerce dominium: tolle omnia, quae istud possent impedire, obstacula. Quod mearum erit partium, diligenter satagam, ut ejus portae per accuratam sensuum custodiam nihil, quod tuam operandi virtutem hebetet, admittant. Occupa memoriam meam tuorum consideratione beneficiorum, intellectum meditatione mysteriorum fidei, voluntatem amore ineffabilium tuarum perfectionum.

PUNCTUM II.

Videns Jesus turbari Apostolos, utpote *existimantes, se spiritum videre*, pacem illis impertitur: *Pax vobis.* Subdit: *Quid turbati estis! videte manus meas et pedes, quia ego ipse sum: Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus et pedes* et latus.

En felices divinae visitationis effectus! en certissima boni spiritus signa! quae sunt pax cordis, tranquillitas conscientiae, certus divinae praesentiae ac bonitatis gustus, sancta quaedam laetitia, quae omnes animae facultates occupat, excluso omni timore. O quam liberaliter remuneratur suum expectantes adventum ac visitationem!

Ah Domine! tot jam annis sentio te procul remotum esse a me. Semperne differes tuum visitare servulum? Ecce inclinata jam est dies: advesperascit: *sero* est. Noli igitur ultra differre visitationem animae meae: dic ei pariter: *Ego sum: noli timere.* Si certo sciat, te secum esse, se protegi a te, nihil erit in orbe, quod eam possit perturbare. Tranquille tuae fruetur praesentiae bonis: tuam audiet vocem, tua palpabit vulnera, etiam nunc satiabitur conspectu faciei tuae.

PUNCTUM III.

Ut tandem omne de sua resurrectione dubium Christus discipulis eximeret, *dixit illis: Habetis hic aliquid, quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piscis assi et favum mellis: et manducavit coram eis.*

Consideremus excessum amoris Christi erga Apostolos; etenim omnibus, quibus resurrectionem suam clare ipsis demonstravit, argumentis etiam istud adjecit, per quod sese humiliavit usque ad *manducationem*, actionem, ajo, statui corporis jam gloriosi parum convenientem. Quin ut de veritate mysterii eos plenissime convinceret, ejus veritatem veluti manibus palpandam dedit, ostendens omnia, quae in prophetis praedicta erant de illo, fuisse impleta.

O Jesu, Deus cordis mei! firmissime credo, te esse Christum, Filium Dei vivi, qui, ut Pater tuus, filiis tuis vitam gratiae largiris, postquam illis largitus es naturalem, eosque tua carne nutris in Ecclesia. Si quid a me petis ad manducandum, quid, obsecro, tibi gratum possim offerre, nisi te ipsum? Piscis ab Apostolis tibi oblatus figura est s. humanitatis tuae, igne tribulationum in cruce assatae: Mel tuae est typus divinitatis, quae fons est omnis dulcedinis: utrumque in sacramento Eucharistiae in alimentum animae meae nexu quodam admirabili conjunctum est: utrumque ergo, cum aliud non habeam dignum, quod tibi offeram, pro omnibus beneficiis tuis in gratiarum actionem tibi offero.

Feria III.

Data Apostolis potestas remittendi peccata.

(Joan. 20, 21—23.)

PUNCTUM I.

Christus, ut Apostolos ad munus apostolicum, quod injungere statuerat, rite disponeret, data iterum pace ait: *Sicut misit me Pater et ego mitto vos:* per quae verba significavit, quod eos constituat legatos suos, a se in omnem terram mittendos, ut hominibus viam

justitiae ac veritatis monstrarent, sicut ipse ob hunc ipsum finem a Patre fuit missus in mundum.

Quanta haec est gloria rudium et imperfectorum, quales erant discipuli Jesu Christi, ejus esse vicarios ac ministros in glorioso mundum convertendi officio! At quantum confundor ego et contremisco, quod illis longe imbecillior atque imperfectior ad idem sublime ministerium sim evectus, cujus partes tam parum expleo! Heu me! fors contentus sum accepisse muneris honorem, quin tolerare velim ejus laborem?

Tua scilicet verba, magister divine, male intellexi. Pater tuus, omnium optimus patrum, infinite te amabat; et tamen in mundum te misit, ut persecutiones et ignominias sufferres: et ego mitti vellem ad colligendos honores ac delicias? Ah non, mi Jesu, non cogito alia ratione tuum promulgare Evangelium, quam tu ipse promulgasti tuique Apostoli. Fixum est ejus doctrinas prius deducere in praxin, quam promulgare: prius opere, quam verbo praedicare. Cupio perfecte tibi similis esse in munere, quod mihi commisisti. Omnis mea imposterum gloria erit pati et contemni pro te. Quamvis autem de numero apostolicorum non essem virorum, solus tamen character et nomen Christiani ad hoc me obligaret, ut non glorier nisi in cruce et ejus ignominiis.

PUNCTUM II.

Haec cum dixisset Apostolis, *insufflavit et dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum.*

Per mysticam hanc insufflationem docet nos Christus 1. quod Spiritus Sanctus ab ipso procedat sitque donum cordis Christi aeque ac divini Patris. 2. Quod, sicut olim corpori protoparentis nostri Adam insufflavit *spiraculum vitae*, et formatum de limo terrae fecit in ordine naturae *in animam viventem*, seu in perfectum hominem, ita in ordine gratiae similes in animabus nostris effectus producat, eas operum supernaturalium capaces reddendo.

Ingens ergo desiderium concipiamus accipiendi hunc Spiritum Sanctum et perenixe eum a Filio Dei postulemus, pro certo habentes, nos corpus esse sine anima,

Christianos aut religiosos solo nomine, nisi virtute Spiritus Sancti vivificemur.

Da igitur, o Jesu, per omnipotentem tuam insufflationem da nobis Spiritum sanctificantem, principium et fontem vitae, qua tuos animasti Apostolos, ut eos efficeres tuae instrumenta gloriae, tuique praecones Evangelii. Da nobis per illum vitam gratiae, zelum vere apostolicum, caritatem ardentem, magnanimam in subeundis, quae in munere apostolico aut vita christiana occurrunt, periculis constantiam, ut post exactam in terris vitae sanctitatem mereamur vitam in coelis vivere gloriosam.

PUNCTUM III.

Statim adjecit Christus: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt.*

Per haec verba Christus Apostolis confert potestatem remittendi peccata: potestatem, quae per se non nisi Deo et ejus Filio est propria: et quam conferre dignatur non angelis, sed hominibus, peccato nobiscum obnoxiis, ut propriae necessitatis memores cogat peccatoribus aliis benigne compati.

O caritatem infinitam! o immensam Dei nostri misericordiam! o quantam in spem peccatores erigit scire, quod ad impretrandam peccatorum, utut enormia sint ac innumera, veniam alia re opus non sit, quam hominem accedere, non minus, ac ipsi sint, peccatis obnoxium! Quis autem hujus gratiae magis est particeps, atque adeo majores debet grates, ac ego, tot Dei offensarum reus?

At quid possim tibi, Redemptor benignissime, ad testandum gratitudinem meam reddere pro beneficio tam insigni? quo fragilior mea est natura et ad peccandum proclivior, eo facilius mihi praebes remedium surgendi a lapsu meaque eluendi peccata. An non times autem, Domine, ne remedium adeo facile meam augeat peccandi audaciam, et peccandi longe facilius? Si tuam a peccatis absolvendi auctoritatem Cherubinis commisisses et Seraphinis, fors illam magis fuissem reveritus, te offendissem minus. At at, mi Deus, non minus posthac peccatum horrebo, non fugiam segnius. Imo ardentius

te amabo et, quod consequitur, timebo amplius, ne tibi displiceam.

Feria IV.

Providentia Dei sacramenta instituentis.

PUNCTUM I.

Angelus olim Ecclesiam ostendit prophetae sub hac figura: *Ecce candelabrum aureum totum et lampas ejus super caput ipsius et septem lucernae ejus super illud: et septem infusoria*, ad eas fovendas pretioso plena oleo. (Zach. 4, 2.)

Praesignabantur autem per *lampadem* Christus, per septem *lucernas* minores omnium congregatio fidelium, per *septem infusoria* autem septem sacramenta, oleo gratiae referta. Mysticum hoc oleum spiritualia animarum curat vulnera ac infirmitates: lenit amaritudines, roborat debiles et perficit in omni genere virtutum, ita, ut simus tamquam lampades splendidae ac ardentes coram Deo in sanctuario Ecclesiae ejus.

Omnia haec emolumenta, fructus ac utilitates tibi, Servator mi, et debemus et grati in acceptis referimus; ex tuis enim ss. vulneribus ceu vivis fontibus istud oleum gratiae, in sacramentis sese nostris animabus infundentis, profluit. Sine te nec vires ad oppugnandos salutis nostrae inimicos, nec solatium in vitae miseriis, nec lumen in tenebris, nec fervorem tuo haberemus in servitio. Tuae debemus totum bonitati, si quando vincimus, si dulcem Spiritus Sancti unctionem sentimus, si difficilem perfectionis evangelicae viam generosi currimus.

PUNCTUM II.

Voluit autem Dei providentia *septem* esse *sacramenta* ad conservandam fidelium spiritualem vitam: scilicet 1. *Baptismus* est fons, unde haurimus gratiam regenerationis, atque adeo adoptionis in filios Dei. 2. *Confirmatio* nos, tamquam novos Christi milites, corroborat. 3. *Eucharistia* nutrit pane coeli. 4. *Poenitentia* emundat a peccatis. 5. *Extrema unctio* reliquias

peccatorum abstergit, nosque ad extremam in morte luctam animat. 6. *Ordo* sacerdotes efficit ministros Jesu Christi in sanctificationem animarum. 7. *Matrimonium* est ordinatum ad temperandas carnis concupiscentias et ad multiplicandos Ecclesiae tam militantis, quam triumphantis filios.

Admiremur prorsus sollicitam Dei providentiam, affatim procurantis omnia ad id necessaria, ut in Dei gratia et vivere et mori possimus. Quantas autem bonitati tam eximiae reddimus grates? Quomodo utimur mediis adeo efficacibus, a Deo concessis, ut facillime ad sanctitatem pertingere possimus? Qui fieri potest, ut post haec omnia tam pauci reperiantur sancti? sane alterutrum est necessarium: aut non recurrimus ad hos gratiarum fontes, aut indigni accedimus.

Grates tibi dico immortales, o bonitas infinita, quod ad utilitatem nostram novae legis sacramenta institueris, quae non, ut sacramenta legis antiquae, *infirma* sunt *et egena elementa*, sed unctione coelesti plena, efficacia et digne sumentibus thesauros gratiae conferentia. Cur ergo post frequentem eorum susceptionem ego sum adeo pauper et miserabilis? cur tam exiguum inde fructum traxi? Ah! in neminem alium, quam in me ipsum culpam possum rejicere et in exiguam cordis mei dispositionem, quae eorum efficaciam hebetat. Aufer igitur, Domine, fatale hoc obstaculum iisque animam meam imbue virtutibus, quas nosti necessarias ad fructum e donis tuis colligendum.

PUNCTUM III.

Quod vero Dei infinitam in sacramentorum institutione caritatem mire demonstrat, illud est, quod instituta sint *pro omnibus et duratura* usque ad finem mundi, quia fons, ex quo illorum virtus et liquor coelestis promanat, est ipse Jesus, cujus merita nunquam exhauriri possunt; hinc sacramenta merito vocantur *fons patens in ablutionem peccatoris*. (Zach. 13, 1.)

Oportet autem, anima mea, ad hos fontes accedere *cum siti:* h. e. ardenti cum desiderio bibendi aquam salutis. Anima tepide accedens exiguum haurit fructum.

Ut mirabiles eorum effectus experiaris, opus est, ut omni terreno affectui renunties. Oleum pauperis viduae propter verbum Elisaei nunquam cessavit fluere, quamdiu vacua, quibus reciperetur, aderant vasa. Non aliter coelestis unctio, seu oleum divinae gratiae nunquam cessabit in nostras fluere animas, quamdiu saecularibus eas evacuemus desideriis, quibuscum stare simul haud potest.

Iterum, iterumque millenas tibi grates ago, munificentissime Redemptor, quod in medio Jerusalem seu Ecclesiae tuae sacros hos fontes institueris, qui nostras sanctificant animas, tuaque sancta unctione perfundunt. Infelices tot Christianos, qui, utpote pretium sacramentorum non agnoscentes, nullo ardent desiderio ea suscipiendi! Egone autem, qui de eorum praestantia certus sum, excusari merear aut minus deplorari, quod illa accedam vanis plenus desideriis? Unctio coelestis (novi equidem) cum lutosis mundi aquis stare et componi nescit. Atque istud, Domine, ex parte mea divinos hosce fontes vel obstruit, vel exsiccat. Mea culpa, Domine, mea culpa! sed eam coram te ex animo detestor, conaturus posthac me totum amore mundano evacuare, ut tua participans sacramenta uberes recipiam gratias, quae me animent et repleant amore justitiae.

Feria V.

Jesus apparet Simoni Petro.

(Luc. 24, 8. sq.)

PUNCTUM I.

Sanctae mulieres *regressae a monumento nuntiaverunt haec omnia illis undecim et ceteris omnibus: et visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista, et non crediderunt illis*, imo nec Magdalenae, visionem suam enarranti. Petrus tamen et Joannes caeteris minus videbantur increduli; hinc ad sepulchrum simul contendere statuerunt, rei veritatem exploraturi.

In materia fidei necessario tenendum est medium inter *credulitatem* seu levitatem animi, omnia credentis,

et inter *temeritatem* animi, credentis nihil. Haec sunt duo extrema, in quorum ultimum major Apostolorum pars prolapsa est, pro delirantibus habentium sanctas mulieres, quae tamen nihil ipsis referebant, nisi quod propriis usurpaverant oculis, majorem meritae fidem, quia asseruerunt mysterium resurrectionis, quod Christus ipsemet frequenter jam praedixerat. Petrus et Joannes neque nimis creduli erant, neque omnino increduli, sed ibant ad sepulchrum, quid rei subsit, experturi.

Anima mea! discamus horum exemplo medium vere credentium tenere et, quin inconsiderate in chimaericas devotulorum imaginationes et phantasias incidamus, tam praesumptionem caveamus, quam temeritatem spernendi veras, queis Deus suos beat, gratias visionum. Haec, inquam, caveamus, memores aeque periculosum esse pro chimaera et mentis delirio habere revelationem bene fundatam, ac pro vera revelatione delirium imaginationis.

Tu solus potes, divinissime Spiritus, tuum mihi lumen et gratiam impertire verum discernendi a falso. Non minus averte a me credulitatem illusionibus obnoxiam, quam judicii pertinaciam, superbiae filiam. Tu vero, magister divine Jesu Christe, tu doce me regulas humilis simul ac prudentis fidei, ut nec decipiar, nec refractarius evadam in materia fidei, sed ut submisse prudens, et prudenter submissus revelata a te mysteria nunc credam, tunc vero in tua gloria videam clare sine velamine et nube.

PUNCTUM II.

Petrus autem surgens cum Joanne *cucurrit ad monumentum*, hic tamen, ut ipse testatur, praecucurrit, non tamen in illud introivit. *Procumbens autem Petrus vidit linteamina*, queis corpus Christi erat involutum, *sola* in angulo *posita* cum sudario, quod demortui caput tegebat. Signum hoc erat, corpus Christi non fuisse furto sublatum, sed resurrexisse. Ita convicti ambo crediderunt, quod mulieres dixerant.

Hi duo Apostoli referunt duas praecipuas virtutes, quibus Christum oportet quaerere: *fidem* scilicet et *caritatem*. Fides in Petro adumbrata sepulchrum in-

greditur et fidei nobis veritates patefacit. Caritas in Joanne praesignata mox fidem sequitur: utraque simul conjuncta admirandos in anima facit progressus virtutum.

Clarifica, o Deus luminum et amoris, clarifica in me fidem: inflamma caritatem. Et tu, o Jesu, utramque adauge: largire mihi fidem vivam, quae tua penetret mysteria et veritates degustet. Praecipue autem cor meum ardenti inflamma caritate, quae de omni humano timore, de omni difficultate triumphet, ut tua premam vestigia, teque in omnibus quaeram, ubi te potero invenire, in ipsis adeo humillimis et abjectissimis rebus.

PUNCTUM III.

In reditu ad urbem Petrus seorsim a Joanne secessit, *mirans secum, quod factum fuerat*, quaeque prius audierat et viderat modo in sepulchro. Talia volventi secum Christus apparuit: ut colligere licet ex illis Apostolorum verbis: *Surrexit Dominus vere et apparuit Simoni* Petro.

Pari fervore ad sepulchrum currebant Petrus et Joannes: attamen Petro, non item Joanni, apparuit Dominus; ut discamus, quod certis in occasionibus majores non raro gratias ac favores exhibeat peccatoribus perfecte conversis, quam innocentissimis animabus, ut nempe illis solatium et animos addat.

Pro! quanto Petrus pudore fuerit suffusus, coram se illum videns, quem ter negaverat turpissime! At quanto pariter solatio affectus, audiens ex ore amantissimi Servatoris, quod tanti oblitus sceleris munus sibi imponat *fratres suos* in fide de sua resurrectione *confirmandi!* Quanto id zelo et fervore praestiterit cum Joanne, qui nec invidens, nec indignans, quod eadem cum Petro gratia visionis sibi non obtigerit, primus, aut inter primos publice edixit: *Surrexit Dominus vere et apparuit Simoni.*

Adoro mirabilem tuam cum his duobus Apostolis agendi rationem, o Jesu. Converso te manifestas discipulo, non item discipulo innocenti et prae omnibus dilecto. Iste tibi semper erat fidelissimus: ex sola hac gratia tuum erga se amorem abunde perspectum habebat.

Afflictissimus alter, quod fidem tibi fregerit, opus habebat gratia et solatio sensibili, quod prostrati animum erigeret certumque redderet de tua erga eum benevolentia. Eandem gratiam nec Judae proditori denegasses, si, ut Petrus, sinceram egisset poenitentiam, tuamque confugisset ad clementiam. Ad hanc, dum vixero, confugere, o Jesu, unica est mea consolatio. Hanc confirma spem et fiduciam: fac, ut millies vitam prius, quam vel per momentum firmam in tua misericordia spem amittam.

Feria VI.

Christus apparet discipulis piscantibus.

(Joan. 21, 2. sq.)

PUNCTUM I.

Erant simul Simon Petrus et Thomas cum quinque aliis et exierunt piscatum: at *illa nocte nihil prendiderunt.*

Mysterio non caret, quod ista et alia *nocte*, de qua S. Lucas, Apostolorum piscatio male successerit. Insinuatur nobis 1. quod, cum ante Christi adventum, qui est verus *sol justitiae*, non nisi tenues divinae gratiae radii piscatoribus animarum affulserint plerumque piscatio male successerit. 2. Quod *in nocte* seu statu peccati mortalis frustra laboremus coelum mereri. 3. Quod viri etiam aptissimi incassum ad animarum conversionem sine auxilio et benedictione Dei suam jungant operam.

Viribus suis ac industriae suae inniti, sive in studio virtutum, sive in munere apostolico, idem est, ac tempus, oleum ac operam perdere; nam *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed, qui incrementum dat, Deus* (I. Cor. 3, 7.): ut adeo optima Christiani, ut virtutes acquirat, et religiosi hominis, ut animas lucretur, dispositio sit magna humilitas, in illis Christi verbis fundata: *Sine me nihil potestis facere.* (Joan. 15, 5.)

Hoc ipsum agnosco, Domine, firmiter credo et palam coelo et terra confiteor: sine te nihil possumus. Equidem tua destituti luce et gratia possumus in mare

retia mittere: at nihil capiemus unquam: nullam faciemus actionem tibi placentem. Quantiscunque instructi talentis, nullam lucrabimur animam. Verba nostra aures pulsabunt: at cor penetrare haud valebunt. Tuum est, Domine, illud movere, innovare et ad ferventem justitiae amorem excitare.

PUNCTUM II.

Mane autem facto stetit Jesus in littore; non tamen cognoverunt discipuli, quia Jesus est. Dixit ergo eis: Mittite in dexteram navigii rete. Miserunt ergo et jam non valebant illud trahere prae multitudine piscium.

Admiremur in Jesu et caritatem et plus quam paternam sollicitudinem suis in necessitate subveniendi. Vult nimirum ostendere, servos suos tentari et premi posse, deseri et opprimi non posse: imo quando videtur ab ipsis esse remotissimus, se quam proxime iis adesse, ut laborem et molestiam, quam tempore siccitatis ac desolationis pertulerunt, remuneretur. Notandum autem, quod copiam gratiarum alliget virtuti obedientiae, ut verificetur illud: *Vir obediens loquetur victoriam.* (Prov. 21, 28.)

Hanc obedientiae vim ac potentiam millies expertus sum, Domine: e contrario merissimas debilitates, propriam sequendo voluntatem. Quaecunque moliebar, nunquam bene ac ex sententia successere, nisi quae agenda suscepi secundum tua et superiorum imperia. Quoties meo egi arbitrio, toties meam retuli confusionem. Non alia, quam obedientiae decempeda bonos metior successus meos. Tu scilicet ita ordinasti, Domine, ut *superbum sequatur humilitas* seu humiliatio, *et humilem spiritu suscipiat gloria.* (Prov. 29, 23.) Ejice igitur e corde meo, quidquid superbiam redolet ac praesumptionem: destrue spiritum omnimodae libertatis, omne jugum obedientiae ac subjectionem excutere volentis, tuo adeo contrariae Evangelio: fac me humilem ac obedientem, qualem te olim in vita exhibuisti.

PUNCTUM III.

Dixit discipulus ille, quem diligebat Jesus, Petro: Dominus est. Sine mora *Petrus misit se in mare,* ut

citius ad eum perveniret. Reliqui autem *discipuli*, *ut descenderunt in terram*, *viderunt prunas positas*, *et piscem superpositum*, *et panem*. Et jussit eos Christus manducare.

En typum vitae spiritualis. Signatus in S. Joanne *intellectus* cognoscit in meditatione potentiam ac bonitatem Dei: *voluntas* in S. Petro adumbrata ocius ad Christum cum fervore contendit, nec pericula formidans, nec difficultates. Utraque potentia extemplo conjungitur objecto amoris sui, sanctasque Dei et coeli voluptates delibat praegustando convivium, quod ipsis in regno suo Christus praeparat.

Adeo suaviter tuos saginas servos, o Deus, qui in oratione te satagunt cognoscere et glorificare in operibus, a te praescriptis. Pascis eos pane, qui descendit de coelo, ubi magnificum ipsis paras convivium; te ipsum, inquam, quo saturabuntur. *Beatus* sane, *qui manducabit* hunc *panem in regno Dei*. (Luc. 14, 15.) Beati, *qui edent et bibent super mensam Jesu Christi in regno ejus*. (Luc. 22, 30.)

Sabbato.

Repete unam aut plures ex meditationibus praecedentibus.

Dominica II. post Pascha.

Pastor quaerit ovem perditam.

(Luc. 15, 3. sq.)

PUNCTUM I.

Cum audisset Jesus murmur pharisaeorum, eo quod peccatores reciperet, *ait ad illos parabolam istam: Quis ex vobis homo, qui habet centum oves: et si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto et vadit ad illam, quae perierat, donec inveniat eam?*

Considera, quis iste sit pastor: quae oves: quae sit ovis perdita: quomodo pastor quaerat et inveniat

perditam. 1. *Pastor* est Jesus Christus, qui de se ipso dixit: *Ego sum pastor bonus* (Joan. 10, 11.): id quod luculenter ostendit sua agendi ratione. Suas *cognoscit* oves: utque eas distinguat, charactere sui amoris et gratiae notat. Ut dux gregis *vadit ante illas* et praeit vitae exemplo: curat scabiem et morbos peccati: defendit a lupo infernali: illas ita amat, ut non contentus sua illas pascere doctrina et sacramentis, se ipsum praebeat in cibum.

2. *Oves fideles* sunt justi, qui *audiunt vocem ejus*, in omnibus obtemperando. 3. *Ovis perdita* est peccator, qui se ejus obedientiae subtrahit, coelestem nauseans doctrinam, pertaesus asperam humilitatis et mortificationis viam ambulare, imo refractarius contra Dei mandata. Bonus hic pastor misericordia motus, ut errantem insequeretur oviculam, de coelo in terras delatus mille labores ac aerumnas tolerat toto vitae tempore, imo et mortem in cruce.

O infinita Jesu pastoris nostri caritas! o felices oviculae, quae nunquam hunc pastorem deseritis, sed tutae sub ejus protectione et cura quotidie cum regio propheta dicitis: *Dominus regit me: et nihil mihi deerit: in loco pascuae ibi me collocavit.* (Psal. 22, 1. 2.) At e contrario infelices et caecas oves, quae per effrenatam vivendi licentiam amabili ejus regimini et custodiae se subtrahunt, periculoque exponunt incidendi in ungues ac dentes luporum, qui continuo rugientes circumeunt, quem devorent, quaerentes. Imo o perditas aeternum oves, nisi in tempore pastor bonus subveniat miseris!

Et vero nec momento differs auxilium, pastor divine, sed ubi primum infelix te desero, persequeris fugientem, ceu tua interesset me non perire. At nihil tua interest. Si ovibus necessario indigeres, ne tu in terris habes alias, quae fideliter te sequuntur: practerea adhuc meliores, tuoque e nutu perfecte pendentes in coelis. Quod me errantem persequaris, solum amoris tui partus est. Ah! tanto amore ni commoverer, profecto insensibilis forem: ingratissimus, nisi imposterum perpetuo tibi adhaererem. Tu omnem mihi curam impendis: et ego omnem tibi

consecro affectum cordis, cum sponsa dicens: *Dilectus meus mihi et ego illi.*

PUNCTUM II.

Et cum invenerit eam, imponit in humeros suos gaudens, et veniens domum convocat amicos et vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quae perierat.

In hac parabola admirare ineffabilem Dei erga peccatores, qui ad eum et cor redeunt, caritatem. Non cogit invitos se mancipiorum instar sequi, sed quadam trahit suavitate, qua eos blande facit suos. Non adigit vi ad ambulandum in via Domini, quos novit ex se et viribus naturae nec latum unguem posse progredi. Imbecilles ex commiseratione suis quodammodo portat humeris, sua sustentat gratia et portantes jugum mandatorum adjuvat. Tandem videns errantem reverti, angelos coeli et sanctos terrae invitat, ut inventam sibi festive congratulentur ovem.

Compara modo, anima mea, divinam hanc agendi methodum cum humana, qua utimur implacabiles et feroces erga illum, a quo offensi sumus. Quis vidit unquam terrenum principem rebellibus subditis obviam ultro procedentem, ut veniam offerat, aut statim priori iterum gratiae loco eos reponentem, nec alio fine memorem offensae, quam ut amplius diligat offendentes?

Scilicet tu solus, o Deus, tanta clementiae prodigia nosti patrare. Misericordia tua minor non est majestate tua: utraque sine termino et fine. Et adhuc reperire sit peccatorem, qui de sua desperet salute, aut formidet, se in sinum Dei tam infinite boni projicere? Dei, qui peccatores benigne praevenit, sollicite quaerit, blande excipit? O pastor bone, humillimas tibi grates ago ob patientiam, qua me rebellem sustinuisti: ob sollicitudinem, qua insecutus es fugientem: ob admirandam caritatem, qua inventum reduxisti ad ovile tuum. Angelos invitas et homines, ut tecum de meo gaudeant reditu: et ego obtestor eos, ut hanc misericordiam mecum laudent in aeternum.

PUNCTUM III.

Dico vobis, quod ita gaudium erit in coelo super uno peccatore poenitentiam agente, quam super nonaginta novem justos, qui non indigent poenitentia.

Ita parabolam concludit Christus. Ut haec rite intelligamus, imaginemur nobis patrem, qui inter plures liberos bene sanos ac felices unum numeret aegrum, imo ad extremam redactum miseriam: non poterit hunc sanitati subito restitutum intueri, quin *actu* majus sentiat gaudium, quam habeat ob continuam caeterorum sanitatem. Haud aliter conversio et poenitentia peccatoris beatos spiritus majore gaudio *actuali* afficit, quam perseverantia justorum poenitentia non indigentium.

Absit, ut cum pharisaeis murmuremus contra benignam hominum apostolicorum erga peccatores caritatem: potius cum illis satagamus errantes quaerere oviculas et ad Christi gregem reducere. Quod si ipsimet de infausto errantium numero essemus, sine mora ad pastorem bonum revertamur: et novam ei totique curiae coelesti materiam gaudendi praebebimus. At caveamus simul in priores relabi errores et avia; secus gauderent daemones: *Angeli pacis amare flerent.* (Isa. 33, 7.)

O angeli pacis! supplicate supremo animarum pastori, ut meam perfecte convertat, ad sinceram perducat poenitentiam, confirmet in gratia, suo accendat amore, sibique tam arcte adstringat, ut non possit amplius separari. Et sane ultro revertor ad te, Domine. Mille rationes mihi suppetunt vitam mutandi in melius. Quod si ex omnibus haec sola esset, quod sciam, conversionem meam tibi fore materiam gaudii, nec momento illam differrem, satis superque felix, quod vel semel in vita tibi causa gaudendi extiterim.

Feria II.

Christus Petrum constituit caput Ecclesiae.

(Joan. 21, 15. sq.)

PUNCTUM I.

Dicit Simoni Petro Jesus: Simon Joannis, diligis me plus his? dicit ei: Etiam, Domine, tu scis, quia

amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Joannis diligis me? Annuenti Petro iterum Jesus reposuit: *Pasce agnos meos.* Post tertio iteratam eandem quaestionem *contristatus est Petrus et dixit: Domine, tu omnia nosti: tu scis, quia amo te. Dixit ei Jesus: Pasce oves meas.*

Antequam Jesus Petro gregem suum committeret, cor ejus examinat. *Ter* Petri erga se amorem explorat, ut ansam ei praebeat triplici amoris actu trinam compensandi negationem suam. Quaerit autem: *Diligis me plus his?* ut intelligamus, ad regimen animarum opus esse excellenti caritate. Ter eandem repetendo interrogationem se praesenti Simonis dispositioni diffidere simulat, ut eum longius a praesumptione, praecipua lapsus prioris causa, removeat, simulque solidaret in humilitate, quae non minus atque caritas Ecclesiae pastoribus est necessaria. Et vero discipulus mentem divini magistri assecutus, utramque virtutem in gradu eminenti possedit. Noverat quidem Petrus, quod ardentissime amaret Jesum: attamen sola trinae negationis recordatione territus suae diffidebat scientiae ac voluntati, cujus inconstantiam abunde nuper expertus fuerat. Ad Christi igitur scientiam se referebat, contentus dicere: *Domine, tu omnia nosti: tu scis*, an verum sit, *quia amo te.* Videns Jesus, Apostolum suum in solido humilitatis fundamento jam esse stabilitum, universalem totius Ecclesiae pastorem declarat; postquam enim bis dixerat: *Pasce agnos meos*, quibus communis fidelium grex significatur, tertio subdidit: *Pasce oves meas*, quae sunt veluti spirituales agnorum matres, h. e. directores et pastores animarum.

O Jesu, *princeps pastorum!* quam tenere tuum amas ovium gregem! quam ardenter idem expetis ab illis, quibus curam illius committis! Quas tibi grates reddam ob sollicitudinem, qua sponsam tuam, Ecclesiam, curas pastores eligendo eximiis praeditos virtutibus? In profunda humilitate fundatos conserva, ardenti caritate inflamma, sancto animarum zelo accende et dignos efforma successores Petri, quem ipsemet tuum in terris vicarium et visibile caput Ecclesiae constituisti. Denique et

agnis et ovibus constantem inspira obedientiam, illi praestandam, qui a te constitutus est omnium pastor, ut in toto orbe non sit, nisi unum ovile et unus pastor.

PUNCTUM II.

Subjunxit Christus: *Amen, amen dico tibi*, Petre: *cum esses junior, cingebas te et ambulabas, ubi volebas; cum autem senueris, extendes manus tuas et alius te cinget et ducet, quo tu non vis.*

Christus his verbis indirecte S. Petro indicat, quod officium pastoris et facta de suo in magistrum amore protestatio non minus ipsum obliget ad mortem crucis, ac obligaverat Christum, ut *bonus pastor daret animam suam pro ovibus suis.* (Joan. 10, 11.)

Nos blandimur nobis, quod flagremus amore Dei et zelo animarum: at quae utriusque argumenta et indicia ostendimus? ubi, quaeso, est spiritus mortificationis ab utroque inseparabilis? an in juventute, aut in religioso tirocinio nos ipsos cinximus, voluntariis mortificationibus nostras frangendo cupiditates? aut modo, dum adultior viget aetas, nosque ad perfectius abnegandam voluntatem propriam reddit magis idoneos, num gaudemus ab aliena (superiorum) ligari manu, crucique alligari et duci, quo non vult naturalis inclinatio nostra?

Si tu, o Jesu, me ita cingis, objiciendo me variis pro te persecutiones patiendi occasionibus, tuam adoro providentiam et nutum: humili cum reverentia exosculor ferientem manum: et quamvis in speciem dura mihi videatur, paterna tamen et suavis mihi est, ejusque verbera lubens excipio, beatior in cruce, quam in splendidissimo totius mundi throno, dummodo tua ordinatione cruci ad gloriam tuam alligatus vivam et moriar amore tui crucifixus.

PUNCTUM III.

Postea Jesus dixit Petro: *Sequere me.* Videns Petrus venientem dilectum Christi discipulum, scire cupiebat, quid de eo futurum esset: *Hic autem quid?* Christus hanc Petri curiositatem reprehendit, dicens: *Quid ad te? tu me sequere.* Uterque, Petrus et Joannes, Christum sequuntur: iste solo amore impulsus: expresso ille im-

perio. En duplex vocationis genus, aequaliter ad perfectionem ducentis. Quacunque autem via simus vocati, Christum fideliter sequi oportet via nobis monstrata, quin curiose aliorum vias indagemus.

Quid boni autem magnive praestiti, Domine, ut me ad tibi famulandum singulari modo vocares? Certe ad id jam a teneris vehementia sensi illicia. Antequam blandae Sirenum mundanarum voces animum subierint, aut saeculi amor occuparit cor meum, seria me invitantis ad te vox tua auribus jam insonuit: amor tuus tanta suavitate cor meum jam possedit, ut ad tui sequelam me pertrahi senserim, pene antequam faciendae electionis capax fuerim. Atque hoc singulare beneficium grata semper memoria prosequar; cumque melius haud possim gratum demonstrare animum, quam fideli servitio, fac de aliis, quidquid placuerit; unica posthac mea erit cura totum me tradendi providentiae tuae et usque ad Calvariae montem te sequendi. Felicem me, si tecum moriar in cruce!

Feria III.

Christus omnibus simul apparet discipulis in monte Galilaeae.

(Matth. 28, 15. sq.)

PUNCTUM I.

Undecim autem discipuli cum quingentis et amplius, ut insinuat S. Paulus (I. Cor. 15, 6.), *abierunt in Galilaeam in montem, ubi constituerat illis Jesus: et videntes eum adoraverunt: quidam autem dubitaverunt.*

Consideremus 1. *obedientiam* Apostolorum: *abierunt in montem, ubi constituerat illis Jesus.* 2. *Zelum*, quo dispersos undique tot discipulos collegerunt. 3. *Fervorem*, quo in montem sanctum, ubi se ipsis appariturum promiserat Jesus, abierunt fraterna uniti caritate.

Superi! quantis Apostoli exultarint laetitiis, conspicati Jesum adeo gloriosum! Ne illi, ut nuper S. Petrus in monte Tabor, exclamaverint: *Bonum est nos hic esse!* si permittis, Domine, hic semper tecum perseverabimus.

Quanta insuper reverentia adoraverint praesentem! Quanto ejus amore exarserint! Quod si quidam eorum imperfectiores initio, an sit Jesus, *dubitaverint*, omne dubium mox dissipatum est glorioso vultus divini lumine, ita, ut omnes eum agnoverint et ut Deum suum adoraverint.

O si et ego ex felici eorum numero fuissem, Domine! quanta ego laetitia eorum homagio junxissem meum! quanto amoris tenerrimi sensu tuos fuissem complexus pedes, exosculatus vulnera! quam volupe mihi fuisset te ita frui posse! At numquid tu non idem ipse es, quo longe melius fruor in s. Communione? cur ergo tanta tepiditate te ibi suscipio? Ah Domine! veniam humillime peto, simulque per amorem, quem in Eucharistia demonstras, supplex te obtestor, ut eodem cor meum inflammes, cum illud subire dignaris.

PUNCTUM II.

Et accedens Jesus locutus est eis dicens: Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra: euntes ergo in mundum universum docete omnes gentes: praedicate Evangelium omni creaturae. (Matth. 28, 18; Marc. 16, 15.)

Admirare, anima mea, conjunctam simul potestatem summam et infinitam Servatoris bonitatem. Rerum omnium Dominus et monarcha totius universi *qua homo*, seu vi unionis hypostaticae suisque meritis: nihilominus sua quoque hasta, ut ajunt, jure belli et victoriae illam potestatem voluit comparare. Hoc potissimum sensu asserit, omnem sibi a Patre datam esse potestatem ceu pretium ac praemium sanguinis sui. Quem autem in finem tanta utitur potestate, nisi ut nos aeternae felicitatis suae reddat participes? Ea utitur *in coelis*, ut ibi solium gloriae nobis praeparet: *in terris*, ut eandem mereri possimus per fidem vivam et flagranti animatam caritate. Hinc simul ac dixit: *Data est mihi omnis potestas*, mox adjecit: *Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae.*

O potentissime simul et amabilissime Servator, qui totam, qua polles in coelo et in terra, potestatem expendis, ut me reddas beatum, *quid mihi est in coelo? et a te quid volui super terram?* (Psal. 72, 25.) In te velut in

fonte omnia habeo, et, ne aliquid desit mihi, te possidere satis est. Quantum tibi obstricti sumus, quod in terram descenderis, ut nos possimus ascendere in coelum? Aeterne Deus, Pater D. N. Jesu Christi, grates bonitati tuae agimus demississimas, quod illum mittere dignatus sis, ut luce doctrinae coelestis totum illuminaret mundum: da, ut omnis natio terrae eam recipiat et nemo non hominum te *agnoscat*, ametque *solum Deum verum et quem misisti* in mundum, Filium tuum *Jesum Christum.* (Joan. 17, 3.)

PUNCTUM III.

Baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia, quaecunque mandavi vobis.

Filius Dei, postquam Apostolos jusserat ire in mundum universum et docere omnes gentes, ut sic disponerentur ad suscipiendum baptisma, duo alia adjecit mandata: 1. ut eas baptizarent in nomine trium personarum SS. Trinitatis. Hac ratione rigorem circumcisionis abrogavit, eum immutando in ceremoniam longe suaviorem magisque respondentem stabiliendae a se legi amoris et gratiae. 2. Ut sua explanarent praecepta baptizandis, atque ita eos docerent vitam ducere fidei conformem; hinc subjicit: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* (Marc. 16, 16.) Sic Jesus ad duo haec capita verum genuini Christiani characterem revocavit, non in solo situm baptismo, sed insuper in vita et operibus vivae fidei consentaneis.

Quanta est felicitas hominis, baptizati *in nomine Patris*, qui eum vi sacramenti adoptat in filium et regni sui haeredem! *Et Filii*, qui eum suscipit in fratrem, cohaeredem, discipulum et amicum! *Et Spiritus Sancti,* qui ejus animae se unit, ut dignam tanto sponso efficiat sponsam, suis exornet donis, supernaturalibus ditet ac dotet virtutibus, in fide et caritate sibi eam desponset!

Verum quanta vicissim talis animae, tot gratiis cumulatae, obligatio est, omnem Dei adeo boni ac liberalis voluntatem exequendi, praecepta observandi et per

morum sanctitatem tanto, quem a rege coeli accepit, honori respondendi.

Laudent igitur te ac infinitam bonitatem tuam, Domine, omnes angeli ob tot ac tanta, quae generi humano contulisti et quotidie confers, beneficia, reddendo eos divinae consortes naturae, filios adoptionis, haeredes regni tui, viva Spiritus Sancti templa. Confirma, o Deus, et absolve, quod coepisti in nobis tuae opus misericordiae: da, ut tot tantisque gratiis fideles respondeamus, omnem voluntatem tuam et apices legum perfecte adimplendo.

Feria IV.

Repetitio praecedentium duarum meditationum.

Feria V.

Christus promittit, se nobiscum semper mansurum.

(Matth. 28. 20.)

PUNCTUM I.

Denique Christus ad Apostolos dixit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.*

Cur autem Christus id promisit? 1. Ut consolaretur tristes ob suam absentiam, cum ad Patrem esset rediturus. 2. Ut eos animaret ad difficultates in praedicatione Evangelii exantlandas. 3. Ut incitaret ad laborandum majori cum fervore ac diligentia.

Imaginemur jam nobis, quod Christus idem nobis dicat: *Ecce! ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi*, ut vester consolator, protector, spectator et remunerator omnium, quae amore mei agetis aut patiemini. Oculos ad coelum tollite: ibi me aspicietis solatiorum imbres in vos depluentem in adversis, vos adjuvantem in omni opere et manu coronas praeferentem, vestrorum praemia et mercedem laborum.

O mi Jesu! si mihi relinquerer soli, tuo destitutus auxilio, brevi succumberem multitudini malorum, undique

me prementium, furori inimicorum, ex omni parte me obsidentium. Egone solus par sim ferendo meae infirmitatis ac miseriae ponderi? At quid gemo? tu, quia Pater meus, solum me et orphanum non relinques: desolatum non permittes tristitiae barathro absorberi, quia consolator meus: non recedes a me, quia sine te nihil sum, nihil possum, sed omnia tecum et in te. Esto igitur semper mecum, protector amantissime: et praesentia tua utut invisibilis gaudio me replebit in omni tribulatione, magnanimitate in omni pugna, novo semper fervore in omni exercitio virtutum.

PUNCTUM II.

Considera praestantiam promissionis et emolumenta in his tribus verbis contenta: *Ego vobiscum sum.* Non ait Deus, ut olim ad Moysen: *Ecce! ego mittam angelum meum, qui praecedat te et custodiat in via et introducat in locum, quem paravi* (Exod. 23, 20.): sed ait: *Ecce ego ipse vobiscum sum:* ego ipse vos comitabor in omnibus viis, mea protegam providentia, mea ducam manu, quocunque mea ad imperia iveritis. Nolite quidquam timere sub ejus ductu et protectione, *cujus voluntati non est, qui possit resistere.* (Esth. 13, 9.) Ego, ego sum, cujus potentiam toties jam experti estis. Nunquam meo ex conspectu vos dimittam: semper ero tam praesens vobis, ac fueram, dum familiariter conversabar vobiscum.

O quantum, anima mea, solatium est semper et ubique praesentem nobis habere Deum amore plenum! Nec adest nobis modo solum communi, ut omnibus creaturis, *per immensitatem:* aut per *gratiam*, ut inest omnibus justis: sed adest necessitatibus nostris *per singularem providentiae curam*, nostra in commoda semper vigil: neve consolationis quid desit, continuo vobis vere et realiter est praesens in Eucharistia, nostrum intrat cor et per intimam unionem nobiscum unum quid efficitur.

O bonitatem Dei nostri incomprehensibilem! o amorem! o summam amoris Jesu ergo nos teneritudinem! Grates igitur, o Jesu, immortales tibi ago pro liberali adeo et magnifica promissione, vi cujus mecum eris

usque ad consummationem saeculi. Ah! meam vicissim promissionem clementer suscipe. Promitto ac firmiter spondeo, me quoque semper tecum fore, nunquam a te separandum, ut tenerrimo, quo me constanter prosequeris, amori tuo respondeam et singulos vitae meae dies in tui contemplatione ac amore transigam.

PUNCTUM III.

Quamdiu haec Servatoris praesentia in Ecclesia sua durabit? Scilicet *omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Erit igitur Jesus cum fidelibus suis sine ulla vel minimi temporis intermissione non modo cunctis diebus, sed et horis, imo et momentis usque ad finem vitae ac mundi, ut postea modo excellentiori ac magis glorioso cum ipsis esse queat in aeternum.

Dicamus ergo Servatori amantissimo aeternas grates pro bonitate adeo constanti: utque solidam ei praestemus gratitudinem, nunquam tanti recordationem beneficii deponamus, memores illius moniti: *Sicut nullum est momentum, quo homo non fruatur vel utatur bonitate divina, sic nullum debet esse momentum, quo eum praesentem non habeat in memoria.* (S. Aug.)

O si possem tam justae gratitudini omnes meas consecrare facultates! Ah! Domine, vagam, quaeso, fige imaginationem meam: dele *in memoria* tot inutiles phantasias, identidem recurrentes pro eo, quod tuorum debeat meminisse beneficiorum: exstirpatis tot frivolis occupationibus *intellectum* tuarum contemplationi perfectionum affige, nec permitte imposterum, ut ulla *voluntatis* meae affectio in te non tendat, qui es centrum humani cordis.

Feria VI.

Diversae Christi apparitiones.

(Act. 1, 3. sq.)

PUNCTUM I.

Licet Christus cum discipulis suis semper fuerit modo quodam invisibili, illis tamen spectabilem non raro

praebuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta, donec ad Patrem ascenderit, *apparens eis*.

Id ipsum sanctus hic animarum sponsus facit erga justos; praeterquam enim, quod toto vitae tempore, quod teste S. Augustino *his quadraginta diebus* designatur, cum ipsis maneat modo invisibili, interdum modo peculiari eisdem adest et apparet, illos interne visitando, blande consolando, suamque testando praesentiam nunc per vivaciores mentis illustrationes, nunc per sensibiles animi gaudio exultantis motus: ut plerumque fieri amat tempore s. Communionis, ubi manifestis demonstrat argumentis, quod hic panis non sit vulgaris, sed *panis, qui de coelo descendit.*

O Deus cordis mei, qui, licet totus invisibilis, modo tam sensibili tuis te manifestas amicis, meam pariter animam fac dignam spirituali ejusmodi apparitione, quae tam stupendas in hominum cordibus conversiones producit. Veni, sponse dulcissime, veni in animam meam, tuaeque dulcedinem praesentiae da ei gustandam: illumina illam, ut infinitam agnoscat pulchritudinem tuam: his tamquam certis illi demonstra argumentis, quod sis Deus vivus, qui solus omnem mereatur amorem et obsequium.

PUNCTUM II.

Nota insuper, Christum, quando Apostolis apparuit, *locutum esse de regno Dei*, de veritatibus aeternis, quarum fides et praxis perducit ad salutem. Quae docuerat, eis in memoriam revocabat: Mysteria explicabat et dogmata Evangelii: addebat lumen intelligendi Scripturas: verbo: de iis solum loquebatur, quae spectant ad regnum Dei, quod est *justitia et pax et gaudium in Spiritu Sancto*. (Rom. 14, 17.) Aliquando incredulitatem eorum increpabat: jam animos subdebat timidis: jam amoris sui flammas tepidis, nunquam sine novis illustrationibus ac solatiis.

En, anima mea! Colloquia Dei longe diversa sunt a vanis saeculi confabulationibus, de quibus bene propheta: *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non*

ut lex tua, Domine (Psal. 118, 85.), neque sicut tu eam doces in corde meo.

Id millies ego, Domine, tam bene ac David sum expertus. Integras cum saecularibus horas confabulando consumpsi, at semper minor (virtute) homo redii, nec aliud mecum retuli, quam intellectus tenebras, vacuitatem cordis, confusionem phantasiae et ideas aut inanes aut periculosas. Contra quando te audio loquentem, o Deus, sentio me divinis illustrari luminibus, justitiae inflammari amore. Sentio sanctas in phantasia ideas, in animo malaciam, in corde pacem et laetitiam, tuae testem praesentiae. Duc me igitur a saeculi conversationibus remotum in solitudinem et loquere ad cor meum. Obseratis ibi mundo auribus, ex toto cordis affectu dicam: *Loquere, Domine, quia audit servus tuus.* (I. Reg. 3, 9.)

PUNCTUM III.

Denique nota quasdam apparitionum Christi proprietates. 1. Non erant continuae, sed interruptae. 2. Erant repentinae ac improvisae. 3. Nec eodem loco, nec tempore eodem ingruebant, sed quando et ubi voluit Christus; ut Apostolos nosque instrueret, quod in coelo dumtaxat *perpetua* ejus visione ac possessione detur frui: quod suam interdum faciem nobis indulgeat, sed ad breve solum tempus; nam, ut ait S. Bernardus, venientis Dei *rara hora et brevis mora.* Item quod divinae visitationes non alligentur loco, tempori, aut nostrae occupationi, sed quod tota animae justi cura esse debeat, se ad recipiendam Dei visitationem disponere per cordis puritatem et per ardentia Deum videndi desideria, coelorum incolis dicendo: *Adjuro vos, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei, quia amore langueo.* (Cant. 5, 8.)

Veni igitur, Jesu dulcissime, veni et visita nos in arida hac terra, ubi degimus procul a fonte omnis solatii; omnis autem gaudii unctione replebimur, simul ac ostenderis faciem tuam. Nil nisi praesentia tua poterit mei fastidia exilii mitigare, ardentem meam sedare sitim. Suum oculis meis splendorem ac illecebras ostentent creaturae omnes, frustra erunt. Nihil in illis reperio

meis dignum oculis aut desideriis. Tu solus imples animam et totum, qua patet, cor meum. Quid ergo ultra desiderem, nisi te solum, amor mi, nisi te solum?

Sabbato.

Providentia Dei erga praedestinatos.

PUNCTUM I.

Tres eximios favores, teste Apostolo, Deus exhibet praedestinatis: *Quos praedestinavit, hos et vocavit: et quos vocavit, hos et justificavit: quos autem justificavit, illos et glorificavit.* (Rom. 8, 30.) Igitur 1. Deus *vocat* eos tam fortiter et suaviter, ut voci ejus obediendo justificentur. 2. Eos *justificat* modo tam efficaci, ut in justitia perseverent usque ad finem vitae. 3. Post mortem eos *glorificat.* En totam praedestinationis electorum seriem! Orditur eam Deus *per gratiam vocationis:* perficit *per donum perseverantiae* in bono: atque hae duae gratiae, quae sub meritum non cadunt, utut diversae inter se, sunt invicem colligatae quadam serie et catena plurium gratiarum, quae ex parte nostra postulant cooperationem nostram. Huc omnis vertenda est cura ac studium loco vanae et curiosae investigationis, an simus praedestinati. Suum Deo arcanum nostrae praedestinationis relinquamus; imitemur constanter praedestinatos: simus, inquam, humiles, mites, ferventes: ex toto corde diligamus Deum, cura reliquorum omnium eidem relicta.

Ita enimvero docuisti me, Domine. A primo vocationis meae momento cogitabam semper, quod occultum praedestinationis mysterium me debeat conservare sollicitum ac humilem, amplius tamen excitare ad fervorem et fiduciam. Ita sane est. Unica, quam bonitas tua mihi contulit, vocationis gratia sperare me jubet alias omnes gratias, praecipue gratiam bene vivendi ac moriendi in tuo amore ac amicitia.

PUNCTUM II.

Duae autem sunt causae praedestinationis. 1. Bonitas et misericordia Dei, electos segregantis de communi hominum massa, *ut ostendat divitias gloriae suae in*

vasa misericordiae, quae praeparavit in gloriam. (Rom. 9, 23.) 2. Infinita passionis Jesu Christi merita, quae Pater non poterat melius remunerari, quam ejus honoribus certam electorum suscitando familiam, *conformem imagini Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* (Rom. 8, 29.)

Atque isti sunt duo fontes aeternae beatitudinis meae; scilicet *sinus Patris* misericordiarum, *et cor Jesu* amore mei apertum. Et somniare possim, duos hosce bonitatis infinitae fontes mihi clausos esse exsiccatosque post tot tantasque in me jam effusas gratias? Numquid sola ad fidem catholicam vocatio certum est pignus, quod Pater et Filius me justificare decreverint? An forte efficaces ipsos gratiae et opportuna deficient media in vita justitiae feliciter me perducendi ad metam? Imo juxta Scripturam id unum ex parte nostra necessarium est, anima mea, *satagere, ut per bona opera certam nostram vocationem et electionem faciamus* (II. Petr. 1, 10.), securi, ex parte Dei ob merita Christi nihil, quod ad finalem in gratia perseverantiam fuerit necessarium, nobis defuturum.

Vae illis, qui loco fiduciae in tua, o Deus, misericordia et meritis Filii tui collocandae, immodice timent et in pusillanimitatem praecipites eunt! Me quod attinet, quo majorem timendi causam mea mihi praebet miseria, eo plus consolationis et fiduciae in tua concipio misericordia. Infantis instar me confidenter projicio in brachia Patris adeo benigni: mancipii instar in vulnera amantissimi Redemptoris mei, nullus dubitans, quin coeptum redemptionis ac salutis meae opus ipse sit perfecturus.

PUNCTUM III.

Quod si nihilominus tuam de praedestinatione anxietatem moderari haud posses, ecce tibi quaedam praedestinationis signa satis certa. Sunt autem 1. audire libenter verbum Dei: 2. divinis prompte obsequi inspirationibus. 3. Mandata Dei et evangelica observare consilia. 4. Frequentare sacramenta et orationis exercitia. 5. Facere opera misericordiae. 6. Singulari devotione Deiparam colere.

Jam te ipsam paulisper ingredere, anima mea, et vide, an ista electionis signa in te reperias. Sin? contre-

misce. Si autem? exulta; *Spiritus enim Sanctus testimonium reddet spiritui nostro, quod simus filii Dei et cohaeredes Christi.* (Rom. 8, 16.)

O rex aeterne, cujus dilecti et electi discernuntur per ardens tibi serviendi desiderium et per subjectionem tuis mandatis debitam, geminum hunc *zeli* ac *obedientiae* spiritum mihi impertire. O pastor bone, cujus oves in eo dignoscuntur, quod *audiant vocem tuam*, te sequantur, tuam imitentur vitam, imprime, quaeso, cordi meo haec signa, ceu genuinos ovium tuarum characteres, ut iis insignitus certo sperare possim, quod in die judicii ad dexteram tuam me sis locaturus et in coeleste deducturus ovile.

Dominica III. post Pascha.

De sermone Christi post coenam ultimam.

(Joan. 15, 9. sq.)

Vide meditationem Feria VI. post Quinquagesimam p. 171.

Feria II.

Causae, cur Christus in corpore glorioso retinuerit quinque vulnera.

NB. Cum una ex iis causis fuerit ista, ut memoriam passionis dominicae, ipso etiam tempore paschali et laetitiae spiritualis, nunquam deponamus, huc rejecimus novem meditationes, quae ad illud mysterium spectabant, suis autem locis non poterant commode inseri.

PUNCTUM I.

In illa verba S. Bernardi: Christus retinuit cicatrices quinque vulnerum *sibi ad gloriam*, *nobis ad gratiam*, *inimicis ad confusionem*.

Retinuit *sibi ad gloriam*, velut totidem monumenta suae victoriae ac triumphi, totidem argumenta suae resurrectionis, totidem ora eandem promulgantia, totidem testimonia, quanti labores, aerumnas et opprobria aestimet; inde enim intelligimus, quod de

suppliciis ac ipsa morte gloriose triumpharit, idemque corpus, quod vulneribus erat deformatum, suam venustatem ac vitam receperit.

Quanta veris Christi fidelibus laetitiae causa est intueri plenum vita et gloria caput, cujus ipsi sunt membra! scire, se pariter exemplo capitis sui aliquando resurrecturos! posse cum Job (c. 19, 25—27.) dicere: *Scio, quod Redemptor meus vivit et de terra surrecturus sum et rursum circumdabor pelle mea et in carne mea videbo Deum meum; quem visurus sum ego ipse et oculi mei conspecturi sunt et non alius. Reposita est haec spes mea in sinu meo.*

Imo non solum in sinu meo, sed et in gloriosis vulneribus tuis, Redemptor mi, reposita est haec spes mea. Destruat mors corpus istud, quod manibus tuis formasti de limo terrae: ulceribus cum Job scateat, vermibusque in fimeto: dilaceretur flagellis ac vulneribus ut tuum: haec omnia ad majorem ejus in resurrectione splendorem servient et quanto magis tuorum fuerit particeps cruciatuum, tanto amplius particeps tui erit triumphi.

Atque hoc ipsum, Domine, incitat me, ut vitam amplectar in Christo crucifixo absconditam, ignominias crucis diligam, poenitentiae rigorem omnibus mundi deliciis anteponam, nihil gloriosius esse ducens, quam posse cum Apostolo dicere: *Ego stigmata Domini Jesu in corpore meo porto*, certa beatae resurrectionis meae vadimonia. (Galat. 6, 17.)

PUNCTUM II.

Nobis ad gratiam: scilicet ut nobis non solum memoriam refricet omnium, quae nostri amore fecit, verum etiam ut certum nobis pignus ostendat protectionis suae in his vulneribus semper reperiundae. Asyla sunt nunquam non patentia, ut nos recipiant: media sunt opportunissima ad sedandam Patris iram, qui non poterit suam nobis non exhibere misericordiam, si Filius infinite dilectus eam nobis petat, ostendens vulnera, quae accepit, ut nobis veniam peccatorum impetraret.

Saepius igitur in his vulneribus oculos defigamus, ut intuendo tam pretiosa bonitatis Jesu erga nos pignora,

ad eum glorificandum omnes animae facultates conspirent, cor autem nostrum flammis, quas hae amoris fornaces continuo spargunt, correptum nec vivat, nec spiret aliud, quam ejus amorem. Imaginare tibi, anima mea, quod divinus hic sponsus tibi dicat, quod sponsae suae: *Surge, amica mea, columba mea et propera ad foramina petrae* hujus (Cant. 2, 14.): confidenter ingredere, secura, quod ibidem nec mundus nec infernus tibi valeant nocere.

Bene. Da igitur, Redemptor amantissime, *da mihi pennas sicut columbae: et volabo et requiescam* in sinu tuo. (Psal. 54, 7.) O felix habitatio, ubi non erit, quod meae timeam saluti ab Orco: erit autem, ut tranquille possim ad meam totus perfectionem incumbere, re nulla occupandus, quam cominus intuendo, quanti tuus erga me amor tibi constiterit et gratitudinem meam tuorum magnitudine beneficiorum dimetiendo.

PUNCTUM III.

Inimicis ad confusionem et ad damnationem reprobis, qui nullum ex Christi passione fructum hauserunt: contra ad laetitiam electorum, qui inde proficientes desiderium Christi, quo illos salvare ardentissime cupiebat, impleverunt. Quid autem, ait S. Augustinus: quid reprobi Christo poterunt reponere, si dicat: Aspicite vulnera, quae mihi inflixistis? latus, quod lancea aperuistis? per vos et propter vos apertum fuit: et noluistis intrare. Tunc enimvero erit ingens fletus et planctus agnoscentium, at eheu! sero nimis, tot neglecta salutis suae media. E contrario justi gratiis bene usi laetitia ineffabili exultabunt, aspicientes Jesu vulnera, suae fontes salutis, ubi micantibus insculpta litteris aeterna sui erga Redemptorem suum amoris et gratitudinis motiva perspicue legent.

O Redemptor amantissime! per sacra te vulnera supplex rogo obtestorque: illos in me effectus produc, ob quos ea accepisti. Recordare, quod amore mei illa acceperis, volens esse fontes et tuae bonitatis et meae salutis. Fac igitur, ut inde ubertim promanent in me flumina gratiae, quae cor meum irrigent, bonorum operum

ferax reddant et perennem passionis tuae memoriam in eo conservent. Erit illa mihi per totam vitam meditationum materia, perfectionis exemplar, unicus amoris mei scopus et, quod spero firmiter, refugium et spes mea usque ad finem vitae meae.

Feria III.

De prodigiis in morte Christi factis.

(Matth. 27, 51. sq.)

PUNCTUM I.

Velum templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum: idque ob duas causas. 1. Quia, uti Caiphas ob blasphemiam, quam sibi falso imaginabatur, eo quod Christus se Filium Dei dixerit, ex dolore simulato *scidit vestimenta sua*, ita velum templi scissum est ad testandum justum horrorem ex vero et recens commisso a sacrilegis Judaeis deicidio conceptum. 2. Ut sciremus, quod Jesus Christus moriendo sanctuarium nobis reseraverit, viam aperuerit ad cognoscenda, quae eo usque sub figuris et umbra legis antiquae latebant mysteria.

Velum templi scissum est in morte Christi: et memoria passionis ejus non scindet cor meum? Quid? egone, quod unigenitus Dei Filius, ut mea expiaret peccata, sit mortuus in cruce, potero meminisse, quin compatiatur et dolore scindatur cor meum? Nisi suum pro me fudisset sanguinem, in umbra mortis sederem adhuc, meaque peccata veli ad instar lumen gratiae hodiedum mihi eriperent.

Ita est. Meritis passionis tuae, o Jesu, debetur mea ad veram fidem et Ecclesiam vocatio, quotidianae sine numero gratiae, spes tota coelum obtinendi. Da, Domine, ut memoria passionis tuae nunquam in corde meo oblitteretur, sed ut continuam ejus amaritudinem sentiam. Fac, ut hoc meum cor, licet marmore sit durius, sola dolorum, quos pro salute mea sustinuisti, recordatione rumpatur.

PUNCTUM II.

Et terra mota est et petrae scissae sunt et monumenta aperta sunt.

Haec prodigia totidem erant linguae, Judaeis exprobrantes 1. atrocissimum deicidii crimen, recens patratum. 2. Crudelitatem in ejus passione. 3. Vesanam in urgenda Christi morte obstinationem. Numquid autem idem Christianis exprobrant, qui passionem Christi renovant quotidie, ac petris duriores eum, si possent, suo dejicerent throno, ut rursum affigerent cruci? Quod si ego quidem tam impius non sim, an non saltem causam habeo erubescendi, dum creaturas omnis sensus expertes magis, quam me, morte Christi commotas video? Toties tragicam passionis historiam mente revolvo, toties haec mysteria contemplor: an autem ad tantam Patris erga Filium suum severitatem contremisco? moveorne infinita hujus Filii erga me caritate? num dolorum ejus et meorum, quae illorum erant causa, peccatorum aspectus cor meum contritione ac dolore scidit unquam?

Ah! ne permittas, o Jesu, me insensibiliorem esse terra, duriorem petris, mortuorum sepulchris crudeliorem, siquidem non pro inanimatis his rebus, sed pro me mortuus es.

PUNCTUM III.

Centurio autem et qui cum eo erant custodientes Jesum, viso terrae motu et his, quae fiebant, timuerunt valde, dicentes: Vere Filius Dei erat iste. Porro addit S. Lucas (23, 48.): *Et qui simul aderant ad spectaculum istud, percutientes pectora sua revertebantur.*

En! prodigia mortem Christi secuta in passionis ejus virtute, quos praenuntiabant, effectus produxerunt: vehementissimos nimirum animorum motus et conversiones animarum, confessionem hostium publicam, quod non tantum sit homo justus, sed et *Filius Dei:* item dolorem de peccato, quod necem hominis adeo justi impie promoverint.

Obstupesce efficaciam gratiae Jesu Christi, quae tam mirabiles animorum mutationes efficit, potens *de lapidibus filios Abrahae suscitare* (Matth. 3, 9.), et publi-

cam confessionem de sanctitate et divinitate Christi, quem paulo ante ut latronem, ultimis dignum suppliciis, cruci affixerant, etiam Judaeis et gentilibus extorquere.

Hi nimirum passionis tuae sunt fructus, mi Redemptor, et effectus tuae ad Patrem orationis, quam in cruce pro peccatoribus fudisti. Da, ut et ego vim ejus sentiam. Non minus prodigiosam, ac in animis cruci tuae adstantium, in me conversionem effice: scinde cor meum sincero dolore de peccatis, tamquam unica mortis tuae causa: fac, ut per reliquum vitae aliud non agam, quam ut ad tuum honorem et meam confusionem palam ubique praedicem et meae excessum malitiae et tuae magnitudinem misericordiae.

Feria IV.

Repetatur meditatio praecedens.

Feria V.

Lancea Christi latus aperitur.

(Joan. 19, 31. sq.)

PUNCTUM I.

Judaei rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, qui crucifixi erant: per quod nequiter intendebant novo Jesum, siquidem adhuc viveret, supplicio afficere. At Dei providentia id non permisit: ut impleretur in Christo, quod de agno paschali praecipiebatur: *Os non comminuetis ex eo.* Item ut significaretur, quod tormenta passionis, utut atrocissima, constantiam Christi non fregerint.

Divinum hoc exemplum nunquam non animavit justos animatque in adversis. Sciunt nimirum, se, ut Jesum, a Deo protegi, non permissuro, ut vel unicum os comminuatur ex eis: h. e. sciunt, virtutem suam, ringentibus inimicis, firmam a Deo conservatum iri, integramque.

Meae pariter fidelitati, quam tibi debeo, o Deus, intra et extra me insidiantur hostes. Non permitte,

eam assultibus illorum infringi. Memento, quod de limo terrae formatus nihil sim, nisi fragilitas, inimicorum malitiae ac furori, si vel momento tuam subtrahas manum, certo certius succubitura.

PUNCTUM II.

Unus militum lancea latus ejus aperuit.

Hic lanceae ictus ex barbari militis parte fuit effectus crudelitatis: ex parte Jesu effectus tenerrimae caritatis. Fidelissimus hic amicus per istud cordis foramen nobis patefacere voluit, cor suum nobis semper patere, non modo ut manifestum sui erga nos amoris argumentum, verum etiam ut asylum contra insidias hostium et arcem fortitudinis contra nostram imbecillitatem.

Rimare jam, anima mea, profunditatem hujus vulneris: et deprehendes, quantus sit Jesu amor et desiderium tibi in ipso corde suo fontem gratiarum et consolationum aperiendi. Huc in omni necessitate confugiendum. Hic quocunque in statu graduque virtutum fueris, praesentissimum reperies in malis remedium. securum in periculis refugium. Est vulnus hoc 1. *refugium herinaceis* (Psal. 103, 18.), seu magnis *peccatoribus*, qui se ibi tegant adversus iram Dei. 2. *Foramen petrae* (Exod. 33, 22.), ubi *imperfectiores*, qui teste S. Augustino per timidos lepores denotantur, sese occultent, ut ab hostibus sint securi et licet adhuc imbecilles, rupium instar fiant invicti. 3. Sancta *solitudo* (Psal. 54, 8.), quo sicut columbae, ut requiescant, animae volant pertaesae negotiorum et turbarum saeculi. 4. Denique *nidulus* (Job 29, 18.), in quo *perfecti* tranquille vivant et moriantur in Domino.

O coelestis sponse animarum! siquidem ss. vulnera mihi sponte reseras, praecipue cordis tui, et infinita caritas tua me invitat, ut habitem in illis, tuo fretus auxilio tria faciam tabernacula, non in monte Tabor, sed in monte Calvariae. Primum erit in vulneribus pedum tuorum, ut ibi addiscam currere tuorum viam consiliorum. Alterum erit in vulneribus manuum tuarum, ut ibi mea sanctificem opera. Tertium et prae caeteris solatii feracissimum, erit in vulnere lateris tui, ubi sedulo

insatiabilem tuam erga me caritatem contemplabor, ut iisdem, quibus tu fuisti consumptus, amoris succendar flammis.

PUNCTUM III.

Ex perfosso latere *continuo exivit sanguis et aqua*, ad liquido demonstrandum, quod Redemptor suum nobis *sanguinem* dederit ad ultimam usque guttulam; item quod amor, qui Jesum in sanguinis effusione reddidit prodigum, nobis insuper *aquae vivae* pararit fontem, unde promanare debebant novae legis sacramenta velut totidem canales, e quibus in animas nostras merita et virtus pretiosissimi sanguinis Christi derivarentur ad nos a peccatis lavandos et ad communicanda nobis gratiae dona.

Idem amoris mysterium indicatur nobis *per aquam et vinum*, cum a sacrificante miscentur in calice. Suscipientes igitur sacramenta, praesertim Eucharistiae, nobis imaginari debemus, quod os admoveamus vulneri lateris Christi; quod bibamus de isthac aqua et sanguine; quod largas gratiarum *aquas hauriamus in gaudio de fontibus Salvatoris*. (Isa. 12, 3.)

O *petra* viva, ex qua in latere percussa *egrediuntur aquae largissimae* ad refrigerandos, qui in mundi hujus deserto propemodum siti pereunt: restingue ignem passionum nostrarum: tempera ardorem cupiditatum: depelle sitim, quae nos in tam longo vitae itinere consumit. Ah! ne cessa unquam salutares gratiarum imbres in nos depluere, ut post confectam feliciter peregrinationem puri ad beatam terrae promissae patriam perveniamus.

Feria VI.

Corpus Christi e cruce deponitur.

(Joan. 19, 38. sq.)

PUNCTUM I.

Post haec rogavit Pilatum Joseph ab Arimathaea (eo quod esset discipulus Jesu, occultus autem propter metum Judaeorum), ut tolleret corpus Jesu, sibique redderet. Et Pilatus reddi jussit.

Diu in cruce pendebat corpus Jesu non sine ingenti dedecore ac infamia afflictissimae matris. Dei providentia igitur et Filii defuncti honoribus et matri desolatae consulens, homini divitiis et nobilitate claro, at pietate magis conspicuo, mentem injecit, Jesum e cruce deponendi et hujus rei copiam petendi a Pilato. Adeo proprium ac familiare tibi est, o Deus, consolari afflictos, honorare humiliatos et ad eorum gloriam tuae demonstrare potentiam gratiae!

Admirare, anima mea, singularem Dei providentiam, seligentis instrumentum, implendis Deiparae desideriis et honorando funeri Jesu aptissimum: hominem, inquam, qui vere *erat discipulus Jesu, at occultus propter metum Judaeorum:* cui tamen tantum animi addidit, ut *audacter*, ait S. Marcus, a Pilato petierit corpus magistri sui Jesu ad sepeliendum. Hic utique elucet virtus crucis Jesu Christi et efficacia gratiae ejus, ex anima timidorum omnem pellentis metum, ita ut, quod prius vehementer timuerant, contemnant: ambiant, quod prius horrebant.

Tange, o dulcis Jesu, tua inspiratione efficaciter cor meum tange: corrobora illud adversus inanes mundi metus et respectus humanos, ut iis liber nunquam posthac ignominias crucis erubescam, sed unice glorier esse me et profiteri tuum discipulum, qui *audacter* aggrediatur, quidquid ad tuam cedit gloriam.

PUNCTUM II.

Aeque occultus Christi discipulus, nomine Nicodemus, Josepho ab Arimathaea, magistri corpus e cruce deponenti, piam junxit operam. Uterque mutua animati societate omnem deponunt metum et sancta pleni audacia pium opus simul aggrediuntur. Adeo verum est illud: *Frater, qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma.* (Prov. 18. 19.) Tanti refert, duos simul pios convenire ad praestanda pietatis opera; etenim unus alterum bono animat exemplo roboratque. Porro uterque eorum caritate uniti aliquid ad sepulturam Christi contulerunt, Joseph *sindonem* omnino novam, Nicodemus *mixturam myrrhae et aloës, quasi libras centum*, ut more apud Judaeos recepto totum Christi corpus ungeretur. Pari modo

oblaturus cor meum Christo in sepulchrum, bonis operibus et vitae novae actionibus jungam necesse est *mortificationem* ac internam devotionem, quae illis velut animam et majus pretium addant.

O quam beatus essem, Domine, si in corde meo sepeliri et requiescere dignareris! Veni ergo, amantissime Jesu, veni. Omnes animae meae facultates simul conspirabunt, ut modo, quo fieri poterit, nobilissimo per omnigenos virtutum actus te glorificent: Sanctus autem Spiritus, quem id gratiae supplex rogabo, illis sanctam addet *unctionem*, quam dare in sola ejus potestate est.

PUNCTUM III.

Joseph igitur et Nicodemus refixis manuum, pedumque clavis magna cum reverentia et devotione corpus Christi deposuerunt de cruce, afflictissima autem mater sacrum hoc depositum suis excepit ulnis. Magdalena memor, quod *ad pedes* Jesu nuper suorum impetrarit veniam peccatorum, sanguine manantes stringens dissuaviata est, in solis, quas pedibus large affundebat, lacrimis suam inveniens voluptatem ac solatium. Dilectus Jesu discipulus Joannes recta statim convolavit *ad pectus*, super quod elapsa nocte recubuerat et apertum videns, cupiebat illud ingredi, nunquam amplius inde egressurus.

O matrum afflictissima, quam aliter, ac Bethlehemitico olim in stabulo, tuum hodie amplexaris Filium! Tunc fasciculus florum tibi erat, sua fragrantia et pulchritudine te mirum oblectans: at hodie est *fasciculus myrrhae, inter ubera tua commorans* (Cant. 1, 12.): fasciculus myrrhae, qui *replevit te amaritudinibus, inebriavit te absynthio*. (Thren. 3, 15.) Vos vero, Magdalena, Joannes, Joseph et Nicodeme, felices vos, quibus fas erat tangere, exosculari, stringere corpus Servatoris mei!

O dulcissime Jesu, o amor animae meae! o centrum et meta affectionum mearum! patere, ah! patere, ut saltem animo et spiritu sacrosanctum stringam corpus tuum, sacra exosculer vulnera, os vulneri lateris tui admoveam et totus amore transformer in te. Eris mihi posthac, ut matri tuae, *fasciculus myrrhae* in sinu meo, imo et fasciculus meae voluptatis.

Sabbato.

Repete praecedentem meditationem.

Dominica IV. post Pascha.

Promittitur Spiritus Sanctus.

(Joan. 16, 16.)

PUNCTUM I.

Ut Christus Apostolos ad perferendas forti animo persecutiones, quas ipsis post suum e mundo discessum superventuras praedixerat, etiam atque etiam animaret, suas pro illis fundendas apud Patrem preces, et obtinendam per illas missionem Spiritus Sancti promisit. Causae et motiva tantam Apostolis, nobis, cunctisque fidelibus conferendi gratiam Deo erant 1. *excessus* infinitae *caritatis*, qua *sic dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret* (Joan. 3, 16.) in Redemptorem et modo Sanctum superadderet Spiritum suum in Sanctificatorem. 2. *Promissiones* et desideria Christi, qui sancte promiserat: *Ego rogabo Patrem: et alium Paraclitum dabit vobis.* (Joan. 14, 16.) 3. Extrema *necessitas nostra.* 4. Hominum *redemptio consummanda* per omnipotentem hunc Spiritum, qui manum ultimam debebat imponere coepto operi, cui Filius Dei vitam, mortem, se totum impenderat.

Meruitne mundus favorem et donum adeo eximium? imo numquid illo erat indignissimus? aut, postquam Filium Dei tantis affecit ignominiis, suppliciis et morte crudelissima, numquid vel sperare adhuc poterat mittendum a Patre Spiritum Sanctum? O infinitam Dei misericordiam, nulla ingratitudine labefactandam! O bonitatem immensam, cujus fontes nulla exsiccant hominum scelera! At stupendam non minus cordis nostri duritiem, si tam tenero, tam constante Dei amore non moveretur ad redamandum!

O Pater misericordiarum! grates, quas possum, summas tibi ago ob amorem, quo non modo tuum nobis Filium, sed et Sanctum dedisti Spiritum. Quid, amabo,

quid denique poteramus agere, quo tantum mereremur donum? aut quid imposterum agere poterimus, quo gratiam tanto reddamus beneficio? sicut illo eramus plane indigni, Domine, ita impares sumus compensando. Tu, mi Jesu, tu solus illud nobis promeruisti, petiisti, impetrasti. Tu pariter solus es, qui, ne ingrati simus, impedies, offerendo pro nobis Patri tuas gratiarum actiones, nobis vero inspirando fiduciam, nostras quoque eidem offerendi cum firmo animi proposito, totis viribus in id incumbendi, ut a nobis per omnem vitam glorificetur.

PUNCTUM II.

Quem vero in finem Pater aeternus mundo Sanctum dabit Spiritum? Dabit, ut nobis sit 1. loco Christi protector, advocatus, *consolator* noster. Ita Christus ad Apostolos: *Ego rogabo Patrem: et alium Paraclitum*, advocatum, consolatorem *dabit vobis.* 2. *Doctor* et *magister*, qui doctrinas Christi elucidet et *suggerat nobis omnia*, *quaecunque dixit* Apostolis. 3. *Testis* irrefragabilis, *qui testimonium prohiberet de Christo* (Joan. 15, 26.) et ejus de se ipso testimonium confirmaret. 4. *Judex*, qui *mundum arguat de peccato*, de vitiis, infidelitate, summa erga Redemptorem suum ingratitudine.

Si et tu, anima mea, operanti intra te Sancto Spiritui aures et mentem adhiberes, ne tu eosdem in te effectus experireris; ille enim te protegit in periculis, consolatur in adversis, sustentat in imbecillitatibus, erigit a lapsibus, increpat et corrigit in defectibus, illuminat in tenebris, inflammat amore Jesu Christi.

Veni igitur, veni S. Spiritus, protector potentissime, consolator optime, magister divinissime. Veni, meque contra hostes protege, in conflictibus robora, consolare in afflictionibus, instrue in ignorantiis. Veni, meque illius cognitionem doce et amorem, *quem cognoscere* et amare est *vita aeterna.* Reple memoriam meam sanctis cogitationibus, intellectum divinis luminibus: nec unquam permitte, ut ignis caritatis tuae in corde meo vel refrigescat, vel penitus extinguatur.

PUNCTUM III.

Quale autem, quantumque donum est communicatio Spiritus Sancti? Est *donum Dei altissimi*, donum donorum per excellentiam, fons et origo omnium gratiarum. Illum donando Pater aemulatur fontis cujusdam dominum, qui, non contentus ex fonte aquas largiri, cum his illum quoque donat. Sic immensae Numinis liberalitati non sufficit plenis manibus suas in nos depluere gratias ac dona, sed per excessum amoris ipsum quoque gratiarum omnium auctorem nobis ac fontem donat.

Et cui? aut quibus tam pretiosum largitur donum? Enimvero ingens procul dubio bonitatis ac munificentiae indicium est, largiri piscatoribus, egenis, timidis, idiotis: at longe majus quid est, illud offerre omnibus mundi populis, nationibus etiam barbaris, imo manantibus adhuc sanguine Filii Dei Judaeis: nemini omnium denegat juxta promissum: *Effundam Spiritum meum super omnem carnem.* (Joel 2, 28.) Quanta haec mea, utut miserrimi homuncionis, consolatio, posse ad tantam aspirare felicitatem, ad communicationem, inquam, Spiritus Sancti!

O munificentiam ac bonitatem infinitam Patris misericordiarum, qui tanta prodigalitate suum in nos effundit Spiritum! in nos, in vasa adeo immunda, in corda, ajo, carnea, non nisi terrenis plena affectionibus, ad corruptionem semper propendentia! In haec, ut fiant *vasa misericordiae, quae praeparasti in gloriam* (Rom. 9, 23.), effundis, o Deus, sacrum hoc opobalsamum, spiritualem hanc unctionem, hunc *fontem aquae salientis in vitam aeternam.* (Joan. 4, 14.) Veni ergo, alme Spiritus, tuaeque prodigia gratiae in me renova. En me hominem, qui totus est caro, cupiens tamen tuo vivificari Spiritu et vitam spiritualem vivere. Id enimvero fiet, si digneris illum incolere, vivificare, renovare, ut juxta beneplacitum tuum possit vivere.

Feria II.

De solitudine b. Virginis post sepulturam Christi.

PUNCTUM I.

Justis Christi Jesu funeri rite persolutis, b. Virgo domum rediit. Credibile est, quod ab illis, qui sepeliendo

Filio sociam junxerant operam, ducta per vias, dilectissimi Filii sanguine irrigatas, cruenta ubique vestigia devote spectarit, domum vero delata Josephum et Nicodemum a se non dimiserit, nisi post actas pro obsequiis grates, usa forsitan verbis prophetae regii ad viros Jabes Galaad, eo quod Saulem sepelierint: *Benedicti vos a Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum Domino vestro et sepelistis eum. Et nunc retribuet vobis quidem Dominus misericordiam: sed et ego reddam gratiam, eo quod fecistis verbum istud.* (II. Reg. 2, 5.)

Quantus gratiarum thesaurus Josepho et Nicodemo obvenerit! Quae vota pro illis et preces factae a b. Virgine! Quantum spei fundamentum ipsis fuerit, scire ex ore matris, quod Filius praestita ab ipsis obsequia caritatis sit remuneraturus! Quid autem? putasne, anima mea, Deiparam minus affici honore, quem Christo exhibemus in sacro Eucharistiae tabernaculo ceu sepulchro, in quo ejus asservatur corpus? aut minus affici piis misericordiae operibus, quae pauperibus, vivis Christi membris, exhibemus? Imo non, virginum sanctissima, non afficeris minus, nec minores rependis grates. Satis est illa compassionis, misericordiae ac pietatis opera obire, ut certi reddamur de liberali in coelis praemio et de potenti tua in terris protectione. Impetra mihi igitur a Filio tuo cor, quod ipsi compatiatur et illis, in quorum persona se ipsum jubet considerari; hoc enim certissimum est medium et tuam mihi benevolentiam et Filii benedictionem promerendi.

PUNCTUM II.

Post jacturam Filii nihil, quod matrem afficiebat, supererat in mundo. Ergo domum suam mutavit in solitudinem, soli passionis Filii immersa contemplationi. Tristis haec imago assidue recurrebat menti et altius semper in animum descendebat. Pro! quantam lacrimarum vim profudit, dum videre sibi videbatur Filium cruci affixum! At quantos simul admirationis, gratitudinis, amoris affectus illud spectaculum in ea produxit!

Cur autem similes in me non producit? certe in me vivaciores deberet producere, quo clarius mihimet possum

ac debeo exprobrare non solum, quod pro me Christus fuerit in cruce mortuus, sed et quod mea illum peccata cruci affixerint: cum e contrario mater afflictissima saltem id solatii habuerit, quod nihil unquam commiserit sanguine Filii sui expiandum.

Fac, o Jesu, ut ego pariter crudelem, quam pro me obiisti, mortem lugeam: ejus memoriam mihi ita imprime, ut nunquam possit oblitterari: praecipue autem meo eam cordi ita insculpe, ut cum matre tua, sacrae amans solitudinis, dumtaxat occuper contemplando, laudando, amando Deum pro me crucifixum.

PUNCTUM III.

Pastor bonus, qui animam suam posuerat pro ovibus suis, etiam in sepulchro jacens eas non destituit; eo ipso enim tempore, quo anima ejus in limbum descendit, ut ibi animas justorum, avide suam praestolantium redemptionem, consolaretur, eandem jamjam instare nuntiando, discipulis, ob mortem suam tristitia sepultis, eam mentem inspiravit, ut sese ad Mariam matrem suam reciperent, quae loco absentis magistri solaretur afflictos, animaret pusillanimes.

Porro dubitari vix potest, quin ad Mariam se contulerint, haecque materno illos affectu susceperit, *ut gallina*, cum milvus imminet, *congregans sub alas pullos suos*, eorumque de Filii sui resurrectione fidem ac spem, jam prope emortuam, suscitarit. Quanta Apostolorum erat felicitas, adeo bonam et dulcem invenisse magistram! Quanto lacrimarum imbre trinam negationem suam coram illa deploraverit Petrus! quanta vicissim solatia et blanditias ab eadem receperit! Quam singularia maternae bonitatis signa tulerit dilectus Christi discipulus Joannes, quem adoptavit in filium! Quantum ab ea reliqui Apostolorum per verba dulcedinis et doctrinae plena fuerint confirmati!

Ita est, o mater dulcissima, ita profecto est. Tu primas Ecclesiae columnas, variis concussas perturbationibus, confirmasti: tu propemodum extinctam eorum fidem denuo excitasti: tu jam tunc gloriosum *conservatricis fidei ac Ecclesiae* titulum meruisti. Ah! eam semper

defende, ex omni parte oppugnatam: Ecclesia vicissim nunquam cessabit ingeminare: *Gaude, Maria Virgo: cunctas haereses sola interemisti in universo mundo.*

Feria III.

De custodibus sepulchri Jesu Christi.

(Matth. 27, 62. sq.)

PUNCTUM I.

Altera autem die, quae est post Parasceven, convenerunt principes sacerdotum et pharisaei ad Pilatum, dicentes: Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens: Post tres dies resurgam. Jube ergo custodiri sepulchrum usque in diem tertium, ne forte veniant discipuli ejus et furentur eum et dicant plebi: Surrexit a mortuis: et erit novissimus error peior priore.

Detestare, anima mea, insatiabilem Judaeorum adversüs Jesum rabiem et pervicaciam. Non contenti, illum vidisse suspensum e patibulo, sepultum in tumulo, resurrectionis gloriam obscurare, vel adimere conantur. Ut Christi vaticinio de sua resurrectione omnem derogent fidem, vocant seductorem: *seductor ille*, et mille artibus veritatem prophetiae obscuratum eunt, cui respondens eventus aeterna Christum gloria, perenni Judaeos confusione et probro debebat afficere. Quam bene vates! *Superbia eorum, qui Deum oderunt, ascendit semper.* (Psal. 73, 23.)

At imbecillem malitiam! cassas fraudes vestras, o impii: in vestrum caput recidet impietas vestra et omnes machinae ac molimina, quae ad opprimendam Servatoris gloriam adhibetis, totidem sunt argumenta et motiva credibilitatis, certiorem atque illustriorem semper redditura fidem resurrectionis Christi. Ita nimirum ludificas, o Deus, falsam mundi prudentiam, tuoque cogis servire Numini ac providentiae. Confunde, quaeso, eorum fraudes et technas, qui non abhorrent increatam sapientiam habere pro impostore: mihi autem da gratiam cane peius et angue fugiendi, quidquid funestam mundi sapientiam sapit.

PUNCTUM II.

Ait illis Pilatus: Habetis custodiam: ite: custodite, sicut scitis. Illi autem abeuntes munierunt sepulchrum, signantes lapidem cum custodibus.

Consideremus admirabilem Dei erga Filium suum providentiam, in Daniele olim praesignatam; Christus enim, ut Daniel, missus est in lacum sepulchri, lapide obsignato clausum, ut devoraretur non a leonibus, sed a vermibus: qui tamen, licet instar leonum famelici, virgineam Christi carnem contingere ausi non sunt, integre conservatam, ut ringentibus Judaeis gloriosa post resurgeret.

Agamus meritas grates aeterno Patri, quod omnem curam et machinas adhibuerit, ut in gloriam Filii cederet, quidquid ad eam obscurandam moverant Judaei. Porro ex isto filiorum iniquitatis exemplo oportet discere, qui custodiendum sit cor nostrum, quando Christus eucharisticus illud subit velut sepulchrum et habitationem suam. Opus est nimirum illud obsignare animi collecti sigillo et continua nostri vigilantia custodire.

Verum enimvero quodnam sigillum securius, quam ego custodiam adhibere possim fideliorem, quam te ipsum, o Jesu, qui dixisti? *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.* (Cant. 8, 6.) Obsigna proin cor meum, sensus, facultates animae omnes sigillo caritatis tuae: adde custodiam virtutum, ut nihil possit penetrare animam, quod fructum tuae in me commorationis valeat impedire.

PUNCTUM III.

Toto, quo corpus Christi in sepulchro jacuit, tempore integrum permansit incorruptumque juxta prophetiam: *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* (Psal. 15, 10.) Etsi Christus sese communibus naturae humanae miseriis sponte subjecerit, noluit tamen carnem suam, etiam a morte, corruptioni obnoxiam esse aliorum more cadaverum, quae in pulverem abeunt. Quodsi autem noluit corruptionem pati in corpore suo, quippe unito personae divinae, num id patietur in anima mea, quae debet esse templum Spiritus Sancti?

O divine puritatis amator! quam salubria nobis documenta relinquis ad tumulum usque! quam belle haec tua ab omni corruptione immunitas, quam tanto ardore ambis, nos docet sollicitudinem minimas quasque labes declinandi! Nec humiliationes unquam horruisti, neque cruciatus: imo amasti et toto vitae cursu quaesiisti. At quantum illa ambiisti, tantum et amplius omne semper peccatum horruisti.

O Jesu! o puritas per essentiam! destrue, quaeso, in me corruptionis causam, quam protoparens Adam mihi haereditariam reliquit: radices ejus evelle stirpitus et, ne unquam repullulare queant, purissimo amoris igne totas consume.

Feria IV.

Repetatur praecedens meditatio.

Feria V.

Christus in limbum patrum descendit.

PUNCTUM I.

Antequam Christus coelum reseravit, portae ejus erant clausae animabus justorum, etiam sanctissimorum. Portabantur ab angelis in locum quendam subterraneum, ubi continua earum occupatio erat suspirare adventum Messiae, qui eas in libertatem assereret et velum, quo vetabantur Dei visione frui, removeret. *Domine*, clamaverint cum David, *ostende nobis, Domine, misericordiam tuam et salutare tuum da nobis.* (Psal. 84, 8.) Vel cum Isaia (64, 1.): *Utinam disrumperes coelos et descenderes! Rorate coeli desuper et nubes pluant justum.* Redemptorem nostrum: *aperiatur terra et germinet Salvatorem.* (ib. 45, 8.)

Elice, anima mea, similes affectus et, ut facilius elicias, cogita, quod te videas in hoc terrestri corpore velut in limbo et obscuro carcere captivam, diuturnae ingemiscentem captivitati. Roga Deum, ut tempus liberationis

tuae abbreviet et adventum acceleret Redemptoris, qui te in libertatem vindicet: dic cum Apostolo: *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (Rom. 7, 24.)

Rumpe igitur vincula mea, Domine: *educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo.* (Psal. 141, 8.) Quale gaudium erit mihi, qui sum sejunctus a te? Quin *lacrimae meae sunt mihi panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus?* (Psal. 41, 4.) Quando venies, Domine, in hanc lacrimarum et exilii mei vallem, ut inde educas me et tecum unias in patria?

PUNCTUM II.

Perpende anima mea, gloriosum Christi ingressum in limbum. Imaginare tibi, quod sanctissima ejus anima eo descenderit stipata ingenti angelorum agmine, illa quoad litteram ascensioni Christi propria ingeminantium verba: *Attolite portas, principes, vestras: et introibit rex gloriae.* (Psal. 23, 7. sq.) Quaerentibus justorum animabus: *Quis est iste rex gloriae?* unanimi voce responderunt angeli: *Dominus virtutum ipse est rex gloriae:* et protinus apertae sunt limbi portae.

Admiremur omnipotentem hunc regem gloriae, qui nullo resistente *contrivit portas aereas et vectes ferreos confregit.* (Psal. 106, 16.) At simul advertamus, quod non sit *rex gloriae* nisi quia fuit *Dominus virtutum: Dominus virtutum ipse rex gloriae:* per humilitatem, patientiam et crucis amorem hanc summam meruit potestatem, victoriam et triumphum de morte ac inferno.

Hic tuarum humiliationum, Domine, et ignominiarum, quas pro nobis perpessus es, fructus est: sed et meae fundamentum spei. Tua est anima mea non solum creationis titulo, verum et redemptionis. Ingredere ergo illam, o rex gloriae: contere, confringe, quidquid tibi obstiterit: plenissimo jure totam posside: et aeternum tuae cantabo gloriam victoriae.

PUNCTUM III.

Anima Christi vix tenebrosum ingressa limbum, mox coelesti quodam lumine totum illustravit adeo, ut

detentis ibi animabus tota patuerit majestas illius, qui venerat eas vinculis eximere, suique participes reddere triumphi.

O quantis viso Redemptore suo exultarint gaudiis! Quas gratiarum actiones, quos honores et summae actus reverentiae eidem praestiterint! Quam mirabili omnes concentu ejus gloriam ac triumphum celebraverint illo coelesti cantico: *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem et divinitatem et sapientiam et fortitudinem et honorem et gloriam et benedictionem!* (Apoc. 5, 12.)

Felicem me, Servator amantissime, si me pariter invisere dignaris in articulo et umbra mortis! ejus ego horrorem neutiquam formidabo, utpote tui splendore vultus mox dissipandum. Erumpent ex illo coelestes radii, qui ad animam usque penetrantes omnem mortis dispellent metum. Tunc enimvero ovantibus in limbo animabus, quarum taediis ac moeroribus hodie finem imponis, meos quoque applausus jungam, ingeminaturus canticum illud: *Dignus es, Domine, aperire* portas aeternales, *quoniam occisus es* pro nobis, *et redemisti nos Deo in sanguine tuo,* delectos *ex omni tribu et lingua et populo et natione* (Apoc. 5, 9.); hinc aeternum per misericordiam tuam tua erimus corona, regnum, haereditas.

Feria VI.

De statu gloriae coelestis.

PUNCTUM I.

Status gloriae est status perfectus: h. e. aeternus, securus, immutabilis, immunis ab omni malo culpae et poenae, quae alias et possunt et debent timeri: refertus autem omnibus naturae et gratiae bonis, quae possunt desiderari. Hinc ex mente S. Augustini beatus est, qui habet omnia, quae vult et nihil vult mali. En statum, quem in hac vita possumus desiderare, at solum obtinere ac possidere in altera.

Frustra hunc statum quaeritis in terra, quos mundus beatos jactat, quibuscunque demum divitiis, hono-

ribus, deliciis affluatis. Si (quod raro contingit) mali nihil desideraretis, nunquam tamen totum, quod desideratis, habetis. Vix unum expletur desiderium, novum enascitur, alia et alia, quae in novas vos curas ac perturbationes conjiciunt, de novo pariens desideria. Quodsi autem nihil amplius vobis desiderandum superesset, id saltem optaretis semper, ut vestra sorte ac felici statu excideretis nunquam; et ipse excidendi metus vos redderet infelices. *Filii hominum! usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem et quaeritis mendacium?* (Psal. 4, 3.) O felicem animam, quae spretis rebus terrenis bona quaerit coelestia!

In te solo, o Deus, veram reperire est felicitatem, at solum in coelo perfecte possidendam. Equidem exiguo tempore, dum remota, quae tuam nobis faciem obvelat, nube non raro te nobis ostendis, aliquid voluptatis degustamus, quam tamen omnibus mundi deliciis haud permutaremus: quid ergo futurum est, cum remoto penitus sipario in splendoribus gloriae tuam nobis faciem dilucide monstraveris?

PUNCTUM II.

Jam oculos attolle, anima mea, ipsamque loci seu patriae coelestis pulchritudinem considera. S. Joannes ait: *Structura muri civitatis Jerusalem est ex lapide jaspide: ipsa vero civitas aurum mundum, simile vitro mundo et fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata: et duodecim portae sunt duodecim margaritae et platea civitatis aurum mundum, tamquam vitrum pellucidum*, omnia pretii inaestimabilis. (Apoc. 21, 18. sq.) Nihilominus totum hoc rudis solum idea ac delineatio est illius civitatis; Apostolus enim, testis oculatus, ait: *Non oculus vidit* tanta, *nec auris audivit* talia, *nec in cor hominis ascendit* simile eorum, *quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum.* (I. Cor. 2, 9.) Omnia unico complexus est verbo Isaias (33, 21.) de coelo scribens: *Solummodo ibi magnificus est Dominus noster.*

O terque quaterque beatam habitationem! O regiam Deo dignam! O paradisum voluptatis, cui comparatus

terrestris paradisus, etsi ob amoenitatem et delicias ab ipsa Scriptura nuncupetur *paradisus voluptatis* et deliciarum, non est nisi rudis imago, exilis umbra! Ah! *quam sordet mihi terra, dum coelum aspicio!* Quandonam liberabor de corpore mortis hujus? quando concidet luteus corporis paries, ut anima mea libere ad ipsum usque divinitatis sinum, omnis centrum beatitudinis, possit avolare?

Interea gemam semper, o Deus, et amore languens, continua, ardentis desiderii testes, suspiria cum Davide mittam ad te: *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit et deficit* prae magnitudine desiderii *anima mea in atria Domini* (Psal. 83, 2. 3.), quoties eorum recordatur: et quando poterit non recordari? Illumina, Domine, oculos mentis meae, utque in exilio gementem consoleris, immitte cordi meo radium lucis tuae, quae mihi nonnihil manifestet admirandas coelestis Solymae pulchritudines, loci sanctitatem ibi regnantem, *flumen pacis* illam inundantis, magnificentiam omnibus obstupescendam, ut tot prodigiis captus spernam ac nauseam, quidquid humanus amat et aestimat oculus.

PUNCTUM III.

Non minor est civium, quorum jugi consortio in coelis fruemur, elegantia et amabilitas, angelorum scilicet et sanctorum numero innumerabilium, quin tanta multitudo ulli sit obnoxia confusioni, invidiae, dissensioni. Mirabilis inter illos viget ordo, perfecta voluntatum consensio, suavissima cordium unio, quae uni sunt Deo unita velut centro, quo singulorum amor collimat. Ipsa gloriae inaequalitas omnes aequaliter delectat, eo quod una omnium delectatio sit implere voluntatem et beneplacitum dispensantis inaequalem gloriam. Uti ardentissimo se invicem amore complectuntur, ita hic ipse amor, qui eos perfecte unit in Deo, omnibus commune facit gaudium, ut mutua delectentur beatitudine: sicque bonum unius fit bonum alterius, et bonum omnium fit bonum singulorum et vice versa.

O beatam societatem, longe diversam ab humana! in hac non datur multitudo sine discordia, diversitas

sine divisione, inaequalitas sine invidia, rancore, dissidio. In coelo autem multitudo beatorum non dividit sui objectum et scopum amoris, sed singuli totum possident Deum: inaequalitas graduum et gloriae non imminuit, sed auget concordiam, amorem mutuum, fiduciam, gaudium, voluptatem. O si imitaremur felices hos s. Sionis incolas! profecto integri ordines religiosi, urbes et familiae in veros transirent paradisos.

Effunde, o Deus amoris, hunc unionis spiritum in omnia mystici corporis tui membra: tam arcto caritatis vinculo omnes Ecclesiae filios connecte, ut omnes fiant sicuti olim *cor unum et anima una.* (Act. 4, 32.) Praecipue autem da, ut haec unio, pax, subordinatio et ordo floreat inter illos, qui singulari devotione tibi sunt consecrati: et quoniam hi solemni sacramento sanctam et angelicam profitentur normam vivendi, horum caritatem fac aequalem caritati, quae angelos et sanctos inter se perfecte unit, ut illis hic similes in sanctitate, mereantur similes ibi evadere in gloria.

Sabbato.

De gloria corporis et animae post resurrectionem.

PUNCTUM I.

Essentialis gloria seu beatitudo animae consistit in clara visione Dei; per hanc enim Deum possidet, amat, in eoque delectatur tam perfecte, ut tota repleatur Deo, deificetur, in Deum transformetur: fere ut ferrum candens videtur omnino transisse in ignem. Omnes talis animae facultates solo plenae sunt Deo: *Memoria* recordatione gratiarum ac beneficiorum, quae ab eo accepit accipietque. *Intellectus* absorbetur visione intuitiva essentiae divinae, trium personarum augustissimae Trinitatis et ineffabilium ejus perfectionum. *Voluntas* insolubili unionis nexu voluntati divinae adstricta, ardet tota amore Dei, ex quo velut ex fonte inexhausto torrentes voluptatis prorumpunt, animam beati inundant, imo, si ita loqui fas est, inebriant, ita ut tota *intret in gaudium Domini sui.* (Matth. 25, 21.)

Quanta autem animae beatitudo est, Deum suum clare intueri, amare, possidere, et hac ratione velut deificari conformiter promisso Dei! *Revelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur.* (II. Cor. 3, 18.)

Hoccine capi potest, anima mea? minime gentium: divina haec transformatio capi non potest, nedum explicari. Hoc modo fidei tuae ac spei objectum est: in coelo autem erit summa beatitudinis tuae. Hanc sane anticipares, si nosses rite mentali vacare orationi. Videres saltem in figura, quod re ipsa fit in statu gloriae: omnes, inquam, tuae facultates attenta ejusdem objecti, cujus visio coelites reddit beatos, contemplatione absorptae delicias coeli praegustarent.

O mi Deus! o unica animae meae gloria! quandonam te videbo revelata facie? quando tam beatus ero, nihil ut amplius desiderem extra te? quando tanta mihi obtinget animae puritas, ut faciem tuam clare intueri liceat? utinam fecissem nunquam, quod bonitati tuae displicere et beatam divinitatis tuae visionem impedire potuit! Purifica me, inflamma me, Domine, ac disrumpe omnia, quae creaturis me alligant, vincula: dispone omnes facultates meas ad perfectam tecum unionem: *Memoriam*, ut acceptorum semper recordetur beneficiorum: *Intellectum*, ut tuas cognoscat perfectiones divinas: *Voluntatem*, ut infinitam amet bonitatem tuam. Totam occupa animam, ut jam nunc faciat per gratiam tuam, qu odfactura est pro gloria tua in saecula saeculorum.

PUNCTUM II.

Corpus beatitudinis, qua fruitur anima, fit particeps per quatuor dotes gloriosas, *claritatem*, *impassibilitatem*, *agilitatem*, *subtilitatem*. Per primam longe solem superabit fulgore. Per alteram erit immune a morbis, doloribus, morte. Per tertiam sine ulla difficultate aut mora ab uno coeli angulo ad alterum fulguris instar volabit. Per quartam ut spiritus angelici omnia perrumpet obstacula et quodvis corpus solidissimum.

En mercedem, anima mea, en praemia a Deo praeparata corpori: si tamen in vita *semper mortificatio-*

nem Jesu in corpore nostro circumferamus (II. Cor. 4, 10.), si cruciatuum ejus et passionis nos participes reddamus: si, ut ipse, *exhibeamus corpora nostra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem* (Rom. 12, 1.), in gloriam Patris.

O felicem igitur humilitatem ac ignominiam, lumine gloriae coronandam! Felicem poenitentiam exemptione ab omni malo remunerandam! Felices sane labores, aeterna quiete compensandos! Felices lacrimas, coelestibus permutandas gaudiis! Quam dulce est igitur carnem affligere in terris, cum tanta illi praemia sint constituta in coelis! tunc praecipue sancti poterunt exclamare: *Cor meum et caro mea exultant in Deum vivum.* (Psal. 83, 3.)

An pari modo exultabit caro tot sensualium, tot animalium hominum? Imo ejicietur, eheu! in tenebras exteriores, aeternis mancipanda suppliciis, ferreis constricta catenis in flammivomo carcere immobilis futura: *quantum in deliciis fuit, tantum dabitur illi tormentum.* (Apoc. 18, 7.) Illam igitur in terris mortificare, in servitutem redigere, illam odisse, est vere eam amare.

Credo hoc firmiter, Domine, imo persuasissimum habeo: ea de causa sanctum hoc mei ipsius odium, salubrem omnium mundi deliciarum nauseam, generosum omnigenae austeritatis amorem, qui me ad crucifigendam carnem impellat, a te supplex efflagito, ut nunc per poenitentiam humiliata tantundem aliquando participet de gloria et gaudio mei Servatoris, quantum nunc participabit de ejusdem opprobriis et doloribus passionis; etenim *secundum multitudinem dolorum meorum consolationes tuae laetificaverunt animam meam.* (Psal. 93, 19.)

PUNCTUM III.

Uti nulla animae beatae facultas suo carebit praemio et gaudio, ita quinque pariter sensus suis singuli sibi propriis fruentur gaudiis secundum mensuram adversitatum, quas in adimplenda Evangelii lege fortiter tolerarunt. Erunt autem ea sensuum gaudia pura, ineffabilia, infinite majora terrenis; etenim *non oculus vidit* unquam tanta, *nec auris audivit* talia, *nec in cor*

hominis ascendit simile eorum, *quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum.* (I. Cor. 2, 9.)

Gaudete igitur et exultate, sancti eremicolae et religiosi, ab omni saecularium consortio remoti, omnibus naturae commodis ac voluptatibus destituti, diu noctuque sedulo intenti, ut imaginem crucifixi sponsi in vestro corpore efformetis. Haec imago, ut ejus exemplar, aliquando transformabitur, et sicut cicatrices vulnerum, quae Christus in corpore suo retinuit, sunt fontes lucis et gloriae, ita sensus vestri, olim strenue mortificati, totidem erunt fontes gaudii ac voluptatis. Atque hoc ipsum omnes viae ac vitae difficultates debet lenire. *Scio*, debetis cum Job (c. 19, 25—27.) dicere: *Scio*, *quod Redemptor meus vivit et in novissimo die de terra surrecturus sum et in carne mea videbo Deum meum: quem visurus sum ego ipse et oculi mei conspecturi sunt.* Scio, Domine, quod aures meae concentus angelicos sint auditurae, lingua mea cum illis aeternas laudes tuas decantatura egoque, ut illi, coelesti manna sim recreandus.

Ita sane promisisti, o Deus, et sine dubio, si omnibus sensuum oblectamentis mihi interdico, praestabis, quod promisisti. Nuntium igitur mundanis remitto deliciis, ut frui merear coelestibus. O beata civitas Jerusalem! te solam suspirabo. *O Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundum misericordiam tuam magnam regenerasti nos* per gratiam *in spem vivam* obtinendi *haereditatem incorruptibilem et incontaminatam et immarcescibilem, conservatam in coelis* (I. Pet. 1, 3. 4.): ah! dignare tuis me annumerare filiis, meque tua semper conserva in gratia, ut meam haereditatem obtineam in gloria.

Dominica V. post Pascha.

De efficacia et necessitate orationis.

(Matth. 7, 7. sq.)

PUNCTUM I.

Oratio instrumentum est, seu medium, a Dei providentia mundo subministratum, ad obtinenda omnia bona nobis necessaria et avertenda omnia corporis ac

animae mala. Est autem hoc medium 1. *efficacissimum*, quia nititur promissione divina: *Petite*, ait Christus, *et dabitur vobis; omnis enim, qui petit, accipit.* 2. *Facillimum;* quid enim facilius, quam petere a Deo, qui nos paterne amat, promptior ad dandum id, quo egemus, quam nos ad accipiendum? 3. *Universalissimum*, utpote prorsus ad omnia se extendens: per quod Deus suas manifestat perfectiones, communicat dona et gratias.

Anima mea! rectene aliquando intellexisti efficaciam ac virtutem, qua pollet oratio ad permovendas omnes Dei perfectiones et attributa, ut tuis veluti serviant commodis ac utilitatibus? Ut nobis ejus bonitas se communicet, caritas benefaciat, misericordia subveniat, omnipotentia exequatur, quidquid ejus sapientia et bonitas ad nostram utilitatem ac salutem ordinaverat, solum est opus per orationem petere. Haec, haec est clavis universalis, omnes Dei thesauros reserans. Et qui non reseret, o Deus, quandoquidem tuum nobis cor reserat, in quo omnes continentur thesauri? O quantos ego jam collegissem, si clavi illa fuissem usus! Et quid amabo in futurum deesse mihi poterit, si assidue oravero? O Deus infinite liberalis, qui aliud non desideras, quam tuis me ditare thesauris, cumulare beneficiis, replere benedictionibus: at petis simul, ut frequenter orando me iis dignum reddam; largire mihi verum exercitii tam sancti amorem; certus enim sum, quod, si ego *non amovero orationem meam, neque tu a me amoturus sis misericordiam tuam.* (Psal. 65, 20.)

PUNCTUM II.

Non minus autem Dei providentia suam nobis manifestat bonitatem denegando, si petimus, noxia, quam concedendo petentibus utilia. Pater est Deus et bonus, imo optimus Pater, qui *filiis suis non porrigit lapidem, serpentem. scorpionem, sed panem* necessarium. Saepe loco illius, quod petimus, largitur meliora, uti largitus est S. Paulo, qui ter Dominum rogavit, ut *discederet a se stimulus carnis, angelus satanae, qui colaphizabat eum.* (II. Cor. 12, 7. 8.) Deus repulsam Paulo dedit, at meliorem simul gratiam, nimirum vincendi tentationes

carnis. Si Deus nos e vestigio non audit, id facit, ut nos exaudiat tempore magis opportuno.

Igitur nunquam despondeamus animum orantes: neque enim in coelum unquam *ascendit oratio*, quin aliqua *descendat miseratio* et gratia. (S. Aug.) Sin illa, quam petimus, erit alia nobis utilior. Vel differt, quam postulamus, ut illam conferat tempore et loco, ubi sanctius ea utemur: imo non differt protinus dare, si vel necessaria sit, vel nullum ex parte nostra adsit obstaculum.

Sis aeternum benedictus, Pater amantissime, tam ob ea, quae mihi concedis petenti, quam ob illa, quae negas; in utrisque enim tuam erga me et benevolentiam ostendis et beneficentiam. Ejusdem bonitatis tuae effectus est, seu cito, seu tarde me exaudias. Deinde, mi Deus, hoccine sit tarde mihi subvenire, quod nunquam in necessitatibus mihi desis?

PUNCTUM III.

Efficacissimum hoc orationis medium *omnibus*, nemine excepto, offert Deus. Nec multitudo, nec varietas, nec importunitas precum facit ei negotium. *Petite*, ait ad omnes, *et dabitur vobis: quaerite et invenietis: pulsate et aperietur vobis; omnis enim qui petit, accipit: et qui quaerit, invenit: et pulsanti aperietur.*

O bonitatem immensam! O liberalitatem infinitam! O stupendam Dei nostri indulgentiam! Quis unquam talia in nostris principibus vidit, aut videt? Offendis, si quid petis: iram provocas eorum, si importunus urges. Pauperibus aut animus, aut fas non est eorum thronos accedere.

At non ita tu agis, o Deus! Volupe tibi est videre supplices, audire preces, nunquam tibi displicituras, nisi vel tepidae fuerint, vel minus sincerae. Quid, obsecro, tua refert nostras exaudire preces? quid utilitatis inde tibi? cur adeo nos urges, ut *sine intermissione oremus*, tuamque imploremus misericordiam? Haec ipsa scilicet infinita misericordia continuo pro nobis pulsat cor tuum, cui proprium magis nihil est, quam misereri semper, locupletare pauperes, sublevare miseros.

Feria II.

Sex coeli praemia vincentibus a Christo promissa.

(Apoc. 2, 7. sq.)

PUNCTUM I.

Primum est: *Vincenti dabo edere de ligno vitae, quod est in paradiso Dei mei.* (v. 7.) Alterum: *Vincenti dabo manna absconditum.* (v. 17.)

Hoc lignum seu *arbor vitae* est ipse Deus ter optimus, maximus, immensus. *Arboris rami* sunt omnes divinae perfectiones: operationes autem Dei tam ad intra, quam ad extra sunt *fructus*, quorum dulcedine fruuntur sancti per continuum et infinite jucundum essentiae divinae intuitum. Hoc deliciosum est manna, quo nutriuntur sancti in coelis et cujus praegustu mire recreantur justi in terris, contemplantes Dei infinitas perfectiones.

Domine Deus! si justi in terris, qui non nisi minimas de tua coelesti mensa cadentes micas delibant, adeo iis exsatiantur: si guttula ambrosiae tuae homines sancte inebriat, quid, obsecro, in coelis fiet, ubi manna pluit sine mensura, continui pleno alveo torrentes voluptatum sine fine fluunt? Quis effari possit, Domine, *quam magna sit multitudo dulcedinis tuae, quam abscondisti timentibus te?* (Psal. 30, 20.) Quis ergo non timeat te? Ah! quid dico, timeat? quis, Domine, non amet te, cujus tam eximia est liberalitas? quis non omnes intendat nervos, ut tibi serviat et placeat soli?

PUNCTUM II.

Tertium: *Esto fidelis usque ad mortem et dabo tibi coronam vitae* post victoriam: nam *qui vicerit, non laedetur a morte.* (v. 10, 11.)

Hoc praemium Deus pollicetur generosis victoribus, qui arma continuo manibus tenentes nunquam fatigantur dimicando pro gloria Dei. His lauros parat immortales. Quanto igitur jucundius est, anima mea, securiusque regi coelorum servire, quam principibus terrae! Hi impendio et dispendio subditorum triumphant, nec raro magnanimos milites, qui sudore ac sanguine suo palmas

ipsis et coronas messuerunt, sine praemio dimittunt. Contra Deus minima aestimat obsequia et neminem servorum dimittit, quem non ipsemet coronat.

Jure igitur meritissimo dicis, o Jesu, quod *jugum tuum suave sit et onus tuum leve.* (Matth. 11, 30.) Armorum pondus, quae gerimus pro te, vix sentimus: tua in praeliando sustentamur gratia, certi de victoria, modo sequamur te: et licet in te solum ac per te victoriam referamus, tu tamen nos jubes tecum dividere spolia, gloriam, triumphum. Ob summam hanc indulgentiam sis aeternum benedictus. Fac illam tam clare ab universo cognosci mundo, ut neminem posthac sit reperire, cui non sit *magna gloria* et tota felicitas te *sequi Dominum*, ducem, Deum. (Eccli. 23, 38.)

PUNCTUM III.

Quartum: *Vincenti dabo potestatem super gentes.* (v. 26.) Quintum: *Qui vicerit, vestietur vestimentis albis.* (c. 3, 5.) Sextum: *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo.* (c. 3, 26.)

En supremam sanctorum excellentiam et consummationem triumphi. In mundo humiliati fuerant: in coelo illorum capitibus inambulabunt, quorum pedibus olim fuerant conculcati. Loco pauperis et abjecti, quo tegebantur, centonis triumphantium in morem ornabuntur fulgente stola gloriae. Quia locum humiliorem et infimum sponte elegerunt, Deus *a terra suscitabit inopem, et de stercore eriget pauperem, ut collocet eum cum principibus* in throno gloriae suae (Psal. 112, 7. 8.), et felicitatis suae reddat participes.

O gloriam incomparabilem! o felicitatem incomprehensibilem! o beatissimam eorum sortem, qui constanter tentationibus diaboli restiterunt, carnem mortificando vicerunt, gloriam et fastum mundi conculcarunt! O quanta jam eorum est pax, voluptas, gloria in coelo!

O quam *honorificati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum!* (Psal. 138, 17.) Quantis exultabunt laetitiis, videntes sese gloria vestitos et usque ad thronum majestatis tuae evectos! Quantis aeternum triumphabunt gaudiis, quod fideliter tibi servierint, sub

vexillo Filii tui expugnarint ejus et tuae gloriae inimicos, cum ipso humiliationes, paupertatem, persecutiones, adversa amaverint! Haec, haec tua, o Jesu, insignia sunt ac ornamenta: haec sola usque ad mortem gestandi unica et summa erit ambitio mea, quantumvis tota reclamet natura. Illa a te humillime peto ex toto corde, certus, me, si eam Filii tui vestem gestavero in terris, aeterna gloriae corona ac veste exornandum in coelis.

Feria III.

Christus ipso die ascensionis suae apparet Apostolis.

(Luc. 24, 49. 50.)

PUNCTUM I.

Cum illuxisset dies, quo Christus in coelum ascendere statuerat, Apostolis ac discipulis tam constanter dilectis ultima amoris sui argumenta daturus, eis in coenaculo recumbentibus apparuit et humanissime cum illis convescens, ut tristes ob discessum suum consolaretur, haud dubie rationes aliquas, in sermone post coenam ultimam in medium allatas, repetiit. Dixerit illis: 1. *Vado parare vobis locum* et thronos in coelo, *et iterum venio et accipiam vos ad me ipsum.* (Joan. 14, 2. 3.) 2. *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem, quia Pater major me est.* (ib. v. 28.) 3. *Expedit vobis, ut ego vadam; si enim non abiero, Paraclitus non veniet; si autem abiero, mittam eum ad vos.* (ib. 16, 7.)

Contemplare, anima mea, quam mirabiliter connectantur inter se Jesus et felicitas amicorum ejus. In coelum ascendere gloriosum est magistro, utilissimum discipulis ad perficiendam eorum fidem, ad erigendam spem et purificandam caritatem. Res mira sane! prorsus exquisitissimam Christus puritatem exigit in cordibus, quae fieri debent aut volunt sedes Spiritus Sancti. Quod discipuli nimium sensuali quodam affectu corporali Servatoris praesentiae adhaeserint, Spiritus Sancti adventum impediebat, qui Spiritus infinite purus terreni et materialis nihil tolerare potest.

Ito, Jesu mi, unica spes mea, ito secundo Numine in coelum, quia tuum est. At nos quoque fac aptos, qui aliquando te illuc euntem sequamur. Interea noli nos orphanos et sine solatio relinquere. Sanctum nobis tuum mitte Spiritum, qui ex parte nostra tuas absentis suppleat vices: cumque ille sit purissimus amor, qui nequit animam ingredi vel minima labe infectam, ab omni inordinato amore animam meam tam perfecte repurga, ut nihil, quod ipsi displicere possit, in ea reperiat et ad me cum omni gratiarum affluentia dignetur venire.

PUNCTUM II.

Postquam Jesus discipulos consolatus est, adjecit: *Sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto.*

Jubet eos in pace et quiete Spiritum pacis, quem missurus erat, expectare, quin tamen jubeat in desertum aut montem seorsim secedere. Videlicet quia S. Spiritus non solis mittebatur Apostolis, oportebat eum accipere in urbe omnium celeberrima, ut confluentibus in eam cunctis gentibus novam legem statim initio promulgare possent juxta prophetiam Isaiae (2, 3.): *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem.*

Quanto id viris apostolicis solatio est, anima mea, quod nihil perdant gratiarum, quas Spiritus Sanctus in animas a mundi negotiis ac strepitu remotas dignatur effundere! Imo ut majores accipiant, satis est *solitudinem cordis*, sine qua parum prodesset solitudo corporis, conservare in publicis muneribus. Id unum ipsis observandum, ut animarum conversioni se non dedant, nisi *virtute ex alto induti.*

O Pater luminum! o fons inexhauste gratiarum! meam agnosco infirmitatem ac impotentiam. Infans sum coram te, impar vel tantillo pro gloria tua suscipiendo operi, a te solo necessarium ad promovendam s. nominis tui gloriam, zelum spero roburque. Indue me igitur ex alto virtute tua, ut eam expeditionem felici auspicio et sine praesumptione possim aggredi, ne absque alis volitans praecipiter in profundum et *forte cum aliis praedicaverim* et saluti fuerim, *ipse reprobus efficiar* (I. Cor. 9, 27.), et mihimet sim exitio.

PUNCTUM III.

His dictis Jesus e coenaculo *eduxit eos in Bethaniam*, in montem Oliveti.

Nota 1. eundem Christus montem, ubi suae initium dedit passioni, elegit, unde in coelum ascenderet; ut intelligamus, unicam ad coelum viam esse viam crucis. Nota 2. per *Bethaniam*, quod significat *domum obedientiae*, transiit in montem *Oliveti*, qui significat *culmen caritatis ac misericordiae;* ut ostenderet, obedientiam esse veram ac certam viam, quae ducit ad perfectionem.

Ad hanc tendis et aspiras, anima mea. Ergo, si ad felicem hunc terminum cupis pertingere, opus est viam eo ducentem ingredi, viam scilicet *obedientiae.* Omnes aliae viae sunt erroribus obnoxiae tam in vita privata, quam publica, si alterutram nostro eligimus arbitrio. Propria voluntas etiam in sancto poenitentiae ac mortificationis exercitio suspecta est. Ab obedientia regi debet, ne exorbitemus vel nimis parum agendo ex animi remissione, vel nimium ex immodico fervore.

Hanc tu mihi viam monstrasti, magister divine, toto vitae tuae curriculo a cunis ad crucem usque: et hanc sequi viam mihi fixum est, insistendo vestigiis tuae humilitatis, perfectaeque subjectionis. Domine, hoc meum confirma animi decretum: ardentem obedientiae amorem mihi inspira et sicut haec ipsissima adeo illustrem, quam modo adire paras, gloriam tibi promeruit, ita firmiter spero, me illam fideliter sequendo dignum fore aeterna mercede tua.

Feria IV.

Repetitio praecedentis meditationis.

Feria V.

Ascensio Christi in coelum.

(Luc. 24, 50.)

PUNCTUM I.

Delatis in montem Oliveti discipulis Christus *elevatis manibus benedixit.*

Veteris Testamenti patriarchae, utpote filii Adae hominis terreni, impertiebantur benedictionem *terrestrem*, seu de bonis terrenis, cum homine perituris: in novo autem Testamento Christus Jesus, homo coelestis, non nisi *coelestem* largitur benedictionem, seu de bonis coelestibus solidarum virtutum et gratiarum, quae sunt semen immortalitatis. Ideo suis benedicturus *elevavit manus in coelum*, ut inde omnis donorum spiritualium abundantia descenderet.

Neque tamen iste gratiarum imber in solos tunc praesentes discipulos effundebatur, sed etiam in omnes eorum imitatores. Haec ipsa Christi benedictio hodieque in istorum animabus producit gratiae prodigia, eas perficiendo et sanctificando. *Pater sancte*, dicebat Christus, *sanctifica eos in veritate: serva in nomine tuo* non solum, *quos dedisti mihi*, sed et quos usque in finem mundi dabis, *credituros per verbum* et praedicationem *eorum in me*, *ut sint unum*, sicut et nos, et ascendant postea, quo ego jam ascendo, videantque gloriam et *claritatem*, *quam dedisti mihi*, et tuum erga me amorem *ante constitutionem mundi*. (Joan. 17, 12. sq.)

Benedictus Deus et Pater D. N. Jesu Christi, *qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in coelestibus in Christo.* (Ephes. 1, 3) Benedictus sis et tu, o Jesu, atque glorificatus in saecula, quod in servos tuos tam copiosas benedictiones effuderis et etiamnum effundas quotidie! In me pariter, servulorum infimum, illas effunde, non terrenas, quales neutiquam desidero, sed coelestes, quae solae cor meum et affectum merentur.

PUNCTUM II.

Post datam discipulis benedictionem Jesus a terra levari coepit et *ferebatur in coelum*. Ascendit autem sensim, non ut Elias *in curru igneo et equis igneis per turbinem ascendens* (IV. Reg. 2, 11.), sed propria virtute subvectus.

Discipuli insolito attoniti spectaculo et ob tantam magistri sui gloriam gaudio exultantes, tamdiu oculis ascendentem secuti sunt, donec nubes lucida, velut currus triumphalis, eum conspectui eripuerit. Tum vero spiritu

et corde insecuti exclamaverint cum Elisaeo: *Pater mi! Pater mi! currus et auriga ejus* (l. c.).

Obstupescamus cum discipulis majestatem, potentiam ac splendorem Servatoris nostri, *super pennas ventorum ambulantis* (Psal. 103, 3.), et supremi totius naturae Domini. Exultemus, quod terram adeo ingratam, ubi pessime fuit habitus, tandem deserat, redeatque in coelum, ubi omnes Seraphini solemne homagium, observantiam et latriam deferent. At rogemus simul amantissimum hunc Patrem, verorum Patrem Israelitarum, fidelium ducem animarum; rogemus, inquam, ut nos in suum gloriae currum et in lucidam nubem recipiat et in gloriam sequi permittat.

O Servator mi! quam amabilis, quam decorus es hodie! Quantis exilio laetitiis, te videns in medio aëre velut *aquilam, quae provocat ad volandum* post se *pullos suos!* (Deut. 32, 11.) Mihi pariter aquilae alas concede, queis subvectus sequar te terrena omnia supervolitans; *quid enim a te* et extra te *velim super terram?* (Psal. 72, 25.) postquam tu illam deseruisti, nihil jam in ea nisi taedium reperio. Rumpe igitur vincula, quibus ei hucusque alligabar et, si necdum ultima advenit hora eam deserendi corpore, da saltem, ut spiritu et corde ab ea expedito ad te sine omni obstaculo evolem.

PUNCTUM III.

Ubi *nubes Christum suscepit* seu abstulit *ab oculis eorum*, non cessabant tamen continuo *intueri in coelum*, donec *duo viri* sive angeli *in vestibus albis* spectabiles facti dixerint: *Viri Galilaei, quid statis aspicientes in coelum? hic Jesus, qui assumptus est a vobis in coelum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in coelum.* (Act. 1, 9—11.)

En insignia duo documenta, Apostolis data et in eorum persona nobis: videlicet 1. quod vita contemplativa certum debeat servare modum, mensuram, limites, neque illi ita sit immorandum, ut obligationes nostri status negligamus. 2. Quod in excessu amoris, qui solet esse partus contemplationis, oporteat nunquam oblivisci casti et sancti timoris, qui humilitatem conservat, sine qua vel summa Dei gratia periculis subjacet.

Utique tempus est contemplandi coelum: ast et tempus est laborandi in terris. Quies orationis et zelus animarum debent per vices occupare virum apostolicum: nec minor esset error ac deceptio negligere salutem animarum, ut totum te orationi tradas, quam orationem omittere, ut sis totus in procuranda animarum salute. Porro quantocunque flagres zelo, noli fidere, nisi comitem et sui custodem habeat humilem et salutarem metum.

Tu, mi Jesu, sancta haec documenta alte cordi meo imprime: da mihi spiritum et amorem orationis, qui aliis sese obligationibus meis accommodet: et quascunque mihi gratias concedas, praecipue gratiam mihi confer tua semper timendi judicia, meamque superbiam. Frequenter ter faustae recordabor diei, qua in coelum conscendisti, ut meus ibi sis advocatus, meam erga te spem ac amorem animaturus: at diei simul, qua redibis ut meus judex, obliviscar nunquam, ut ista cogitatio sanctam mihi injiciat sollicitudinem meas ad apicem implendi obligationes.

Feria VI.

Gloriosus Christi in coelum ingressus.

PUNCTUM I.

Quis mente possit assequi pompam ac triumphalem Christi coelum ingredientis apparatum? Stipatus erat omnibus e limbo eductis animabus, quarum acerbam servitutem in gloriosam mutavit captivitatem, eas catenis sui amoris sibi devinciendo. Hi sunt felices captivi, de quibus David: *Ascendens* (Christus) *in altum captivam duxit captivitatem.* (Psal. 67, 19.) Felix haec turba coelum implevit jubilis, toto angelorum coetu junctis vocibus laetum victori paeana accinente: *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem et divinitatem et sapientiam et fortitudinem et honorem et gloriam et benedictionem in saecula saeculorum.* (Apoc. 5, 12.)

Singulari attentione consideremus hodiernam Servatoris nostri laetitiam, de qua vates: *Ascendit Deus in jubilo.* (Psal. 46, 6.) Quanta fuit exultatio conspicientis

non modo felicem laborum et dolorum finem, sed et superabundans praemium! Quam volupe erat ei videre metam cursus sui, pro nobis gloriose confecti! Quanta fuit hujus boni pastoris consolatio in Patris ovile tot secum oves duxisse, quas ut in terris quaereret, de coelis descendit!

Tuam tibi gloriam gratulentur coeli et terra, Servator mi, ingeminantes illud: *Surge Domine in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuae* (Psal. 131, 8.): h. e. sanctissima humanitas tua, cujus ignominiae et humiliationes tantam meruere gloriam. Jam tempus quietis est post exantlatos tot labores. Ascende super omnes coelos: *Ascende super Cherubim et vola super pennas ventorum.* (Psal. 17, 11.) Omnes creaturae sint infra te, quia omnibus es superior et infinite melior. Id unum mihi concede, ut angelorum concentui et sanctorum canticis mea liceat conjungere, ingeminando: *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, Dominus Deus exercituum: pleni sunt hodie coeli gloria tua.

PUNCTUM II.

Ita coelum ingressus Dei Filius suo se Patri stitit, repetens verba sui post coenam ultimam sermonis: *Pater! manifestavi nomen tuum hominibus et te clarificavi super terram. Opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam. Et nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipsum claritate, quam habui prius, quam mundus esset, apud te.* (Joan. 17, 4—6.)

Perpendamus modo, quanta Pater Filium laetitia exceperit, suamque ad dexteram jusserit sedere juxta illud: *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis.* (Psal. 109, 1.) Jubet *sedere*, ad significandam regni ejus stabilitatem: *a dextris.* ad indicandam Filii exaltationem super omnes coelos · et coelitum myriades. Ita Pater aeternus obsequia, a Filio sibi praestita, cumulate remuneratur, exaltando super omnes angelos, qui se infra omnes abjecerat homines: mutando crucem in thronum, coronam e spinis in coronam gloriae, opprobria passionis in applausus et encomia.

Disce hinc, anima mea, te cum Christo humiliare, ut cum ipso exalteris. Neque dubita, quin Pater coelestis

pari fidelitate coronaturus sit filios adoptionis ac unigenitum et naturalem suum coronavit Filium: id faciet in gratiam Filii, quem amat ut se ipsum, et cujus gloria fons est et principium nostrae. Ita sane est, *Deus* Pater *nos consedere faciet in coelestibus in* et cum *Christo Jesu* Filio suo (Ephes. 2, 6.), si ut iste glorificemus ipsum in terris, ejusdemque exemplo impositum perfectionis nostrae opus consummemus.

Haec tota spes mea est, o Pater misericordiarum, quod me aliquando in coeli regiam sis perducturus, ubi tuum hodie collocasti Filium, tecum in saecula regnaturum. Ita profecto ipsemet mihi sancte promisit, dicens: *Ubi ego sum, ibi et minister meus erit.* (Joan. 12, 26.) Volo igitur cum ipso in terris humiliari, ut in coelis possim particeps fieri ejus gloriae ac triumphi.

PUNCTUM III.

Filius Dei, simul ac ad Patris dexteram consedit, sine mora suum auspicatus est officium. 1. Officium *remuneratoris* animabus justorum secum deductis, suum cuique honoris gradum et sedem assignando in gloria. 2. Officium *advocati* hominum apud Patrem, sua ei vulnera ostendendo, quae amore Patris et hominum acceperat.

Quanta laetitiae seges justis, nosse, quod in coelo Dominum habeant non minus bonum quam magnum, qui omnibus pro cujusque meritis praemia distribuet! Id unum requiritur, ut in vita pro ipso praelia Domini praelientur, certi de corona post mortem: ille ipse est distribuens coronas et *fortium dividens spolia.* (Isa. 53, 12.)

O quantum etiam peccatoribus spei fundamentum est, in supremi judicis tribunali omnipotentem habere advocatum, cujus vulnera totidem sunt linguae, pro ipsis perorantes! Igitur *habentes pontificem magnum, qui penetravit coelos, Jesum Filium Dei, teneamus confessionem* firmae fidei et certae spei (Hebr. 4, 14.), omnipotente Christi Jesu intercessione freti et memores verborum S. Joannis (ep. I., c. 2, 1.): *Filioli mei: haec scribo vobis, ut non peccetis. Sed et si quis peccaverit,*

advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum.

Novimus utique, o Jesu, quod apud Patrem tuum nos defendas et protegas: quod nostras partes agas et causas, novimus. Et hoc ipsum est, quod nos suffulcit imbecilles, consolatur miseros. Nequit Pater tuus aut veniam peccatorum, quam pretiosissimus sanguis tuus postulat, nobis denegare, aut coelum, quod nobis hodie reserasti, occludere.

Sabbato.

Repete priorem meditationem.

Dominica VI. post Pascha.

De octo beatitudinibus.

(Vide supra pag. 86.)

Feria II.

De coeli gloria ut praemio octo beatitudinum.

PUNCTUM I.

Octo beatitudines sunt totidem excellentes et heroicae justorum virtutes, nomine *beatitudinum* insignitae, quia Christus iis aeternam mercedem seu *beatitudinem* promisit. Clare eam promittit in *prima pauperibus spiritu* et in *octava persecutionem patientibus propter justitiam.* Sicut isti in mundo pro ultima hominum faece habentur, omnium indignissimi corona, sceptro et regnis terrae, ita Deo placet eos, abjecto vilique statu erutos, collocare cum principibus coeli.

Solare igitur, anima mea, pauperis, quam amore Christi ultro elegisti, vitae statum: in persecutionibus autem, quas propter justitiam pateris, animos non desponde: imo novos resume, dicens cum Christo patiente: *Regnum meum non est de hoc mundo.* (Joan. 18, 36.)

Non miror, quod in terris nec divitias possideam, nec honores, gloriam, favores. Haec omnia mihi in coelum reservantur, ubi aeternum regnabo.

O immensum coeli regnum, *cujus spes reposita est in sinu meo!* (Job 19, 27.) quantam mihi polliceris gloriam! quantas animi delicias! O nos sane felicissimos, quia venale nobis es levi pretio: scilicet contemptu rerum temporalium et modicae persecutionis tolerantia!

Quantas ergo grates tuae debeo bonitati, o Jesu, quod mentem mihi inspiraveris terrenis nuntium mittendi, meque docueris opprobrio crucis tuae fallacem mundi gloriam posthabere, siquidem paupertas evangelica pretium est, quo aeternum vendis regnum, ubi regium omnibus thronum adornas, quos mundus calcat pedibus.

PUNCTUM II.

Possessio terrae viventium promittitur *in secunda mitibus* et *in tertia consolationes lugentibus.*

Terra haec, in qua vivimus expositi injuriis et malitiae mundi, est vallis lacrimarum, locus exilii, terra a Deo maledicta. Cupis eam mutare in vallem deliciarum, melle et lacte fluentem? in terram benedictionis, ubi Deus copiosam gaudiorum segetem nobis praeparat? ergo continuam serva in mundi persecutionibus mansuetudinem, contentus querelas et lacrimas ad pedes Jesu Christi, non in aures hominum, deponere: et metes cum exultatione, quod seminasti in lacrimis.

O mitissime Dei agne! quam nobis quaestuosum est tuam imitari mansuetudinem! Certo certius locabimur quondam in parte dextra ovium, si innocentiam ac mansuetudinem possideamus agnorum. Quam dulce est plorare in hac vita, dum lacrimas absterges in altera, mutandas in torrentes voluptatis! Benedictus sit aeternum Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui tuae nos passionis et cruciatuum reddit participes; sunt enim haereditas electorum et certa consolationum, quae in coelo nos manent, ineffabilium arrha.

PUNCTUM III.

Qui esuriunt et sitiunt justitiam, saturabuntur possessione aeternorum, quae ardenter expetebant, bo-

norum. Coelestis gloria est plenitudo misericordiae Dei consummatae, quam Christus *misericordibus* promisit, est lumen clarissimum, quod *puris corde* revelabit faciem Dei et veritatem aeternam: est consummatio perfectae adoptionis *filiorum Dei*, hoc est *pacificorum*. Praesens adoptio adhuc imperfecta est; nam teste Apostolo *nunc quidem filii Dei sumus: et nondum apparuit, quid erimus. Scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est* (I. Joan. 3, 2.): similes Jesu Christi et cohaeredes in domo Patris coelestis.

Gementes continuo hanc domum ceu filii a Patre exules suspiremus, ut mereamur aliquando faciem ejus intueri et illi aeternum conjungi. Mundemus cor nostrum et, quoniam haec beata conjunctio est opus misericordiae Dei, studeamus eam mereri per opera misericordiae, quae poterimus miseris et pauperibus exhibere, qui, ut filii Patris nostri, perfectam in coelis adoptionem nobiscum expectant.

O Pater luminum, Pater D. N. Jesu Christi, qui dignaris compellari *Pater noster*, utut miserabiles simus creaturae; hunc pacis, caritatis et misericordiae spiritum, qui tuorum character et nota est filiorum, cordibus nostris infunde. Tu, o Fili, increatum Patris Verbum, ipsa per essentiam puritas, nullam in animabus nostris tolera labem, quae indignas reddat visione essentiae ac infinitae pulchritudinis tuae. Tu, o Spiritus Sanctissime, suprema bonitas, tuo nos igne inflamma: ardentem gloriae tuae zelum accende: consume nos igne amoris tui: illo igne, qui neque consumitur unquam, neque nos consumet, nisi ut aeternum beati possimus vivere.

Feria III.

Apostoli expectant adventum Spiritus Sancti.

(Act. 1, 12. sq.)

PUNCTUM I.

Reversi Jerosolymam Apostoli a monte, qui vocatur Oliveti, intrarunt coenaculum, perseverantes unanimiter in oratione cum Maria matre Jesu, ut Sanctum ob-

tinerent Spiritum. Erat autem eorum oratio optime instructa omnibus ad impetrandum tam grande donum necessariis dotibus: erat, inquam, *collecta*, *fervens*, *caritati conjuncta*, *perseverans*, *exemplo et suffragio b. Virginis suffulta*.

Cupisne et tu, anima mea, Sanctum recipere Spiritum? ergo ora, ut Apostoli, procul a mundi strepitu: ora cum fervore ac perseverantia: junge tuam orationi justorum, praesertim reginae angelorum. Sponsa est castissima Sancti Spiritus. Hic dubio procul preces sponsae exaudiet et ejus amore in cor nostrum descendet. Id si hactenus factum non est, in causa solum fuit negligentia b. Virginem invocandi ut mediatricem, nostrasque preces ejusdem manibus commendandi. Deinde quales fuerunt preces nostrae? qua mentis collectione, animi fervore et constantia persolutae? num unitae fuerunt orationibus sanctorum, quorum merita nostros contexissent defectus?

Cor novum crea in me, Deus, cor omni mundano affectu liberum, cor in se collectum, unice orationi intentum, fiducia erga b. Virginem plenum: et evadam dignum Spiritus S. habitaculum. Tu solus potes, o divinissime Spiritus, hanc in anima mea mutationem facere. Avelle igitur illam ab omni strepitu mundi: duc eam in solitudinem: omnes ejus facultates collige, ut oret cum illa attentione ac perseverantia, quae impellat te, ut tandem visites me tuisque repleas charismatibus.

PUNCTUM II.

Apostoli autem in coenaculum se receperunt, 1. ut Christo obtemperarent, qui expresse eis praecepit, ab Jerosolymis ne discederent, *quoad usque induerentur virtute* (Sancti Spiritus) *ex alto*. (Luc. 24, 49.) 2. Ut se redderent tutos a tentationibus mundi, quibus non temere debebant se exponere, imbecillitatem suam, praesertim tempore passionis, abunde experti. Hujus rei consideratio mirum in illis desiderium adventus S. Spiritus excitabat, ut ejus gratia roborarentur. Postulabant autem illum jam a divino Patre per merita Filii, qui illum promiserat ejus nomine: jam a Filio, qui de ejus missione

suam obligaverat fidem: jam ipsimet Spiritui Sancto supplicabant, ut dignaretur venire.

Paria in nobis excitemus desideria: rogemus Patrem et Filium, ut hunc gratiae et sanctitatis Spiritum nobis mittant, ad sanctificationem nostram adeo necessarium: dicamus cum propheta: *Emitte Spiritum tuum*, Domine: et renovabor totus, sicut per eum *renovas faciem terrae*. (Psal. 103, 30.) Ipsum autem Spiritum S. toto cordis affectu supplices rogemus cum Ecclesia: *Veni, S. Spiritus: reple tuorum corda fidelium et tui amoris in eis ignem accende.*

PUNCTUM III.

Distulit Christus per *decem* dies adventum promissi Apostolis Spiritus Sancti, ut eorum acueret fervorem, exerceret patientiam, augeret doni divini aestimationem et vim istud merendi diuturniore omnium virtutum exercitio: simulque ut ostenderet, quod plenitudinem Spiritus Sancti nemo nisi perfectus, aut certe sincero perfectionis desiderio instructus, possit accipere; denarius enim numerus perfectionem significat juxta illud: *Decies tantum iterum convertentes requiretis Deum*, quam erraveritis ab ipso. (Baruch 4, 28.)

Nostrum recipiendi Spiritus S. desiderium metiamur desiderio perfectionis nostrae. Frustra nobis blandimur de ardenti desiderio recipiendi auctorem sanctitatis, si tepide ac negligenter ipsam sanctitatem affectamus: hujus fervens desiderium et cupiditas subsequam illius cupiditatem ac desiderium trahit, qui solus sanctitatem, quam desideramus, valet largiri. Rogemus igitur divinum Spiritum, ut sacrum hunc ignem, sine quo, utpote necessaria et praevia dispositione, nunquam descendit in animas, in cordibus nostris accendat.

O Spiritus caritatis, *ante quem ignis praecedit*, priusquam descendas in me, absume omnes animae meae labes: teporem muta in ardentem tui amorem, ut modo ad te allectandum aptissimo dispositam ingredi, constanter inhabitare et gratiae tuae donis liberaliter cumulare digneris.

Feria IV.

Repete meditationem praecedentem.

Feria V.

Electio S. Mathiae in Apostolum.

(Act. 1, 15. sq.)

PUNCTUM I.

Considera mirabilem Dei in gubernanda militante Ecclesia providentiam, ne unquam officiis et dignitatibus ecclesiasticis probi et sancti desint viri. Judas fit apostata: ocius substituitur Mathias, ut duodenarius Apostolorum numerus semper sit integer. A fide quis, a religioso ordine, a munere apostolico deficit? mox alium ei sufficit Deus. Hinc dicit cuidam episcopo: *Tene, quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* (Apoc. 3, 11.)

Admiremur singularem curam et sollicitudinem Christi erga Ecclesiam suam, erga status religiosos, omnesque coetus divino consecratos obsequio, ubi semper quosdam sibi fideliores conservat tamquam firmas sanctitatis columnas et florentis fulcra pietatis.

At toto simul corpore contremiscamus, memores, quod Deus, assiduis infidelitatibus nostris offensus, possit quolibet momento concessas nobis auferre gratias et transferre in alios, melius usuros. Locus, quem relinquimus vacuum, statim supplebitur: at an alium reperiemus in coelis locum, si nostrum alteri cedimus in terris?

Ista perpendens poterone, mi Deus, tranquillo vivere animo, nisi spes et fiducia, quam in tua bonitate et Filii tui meritis pono, meos timores mitiget? Domine! jam diu in coetu fidelium inutilis stationem et locum teneo, quem alii, quos singillatim nosti, innumeri longe melius occuparent. Illo quod indignissimus necdum exciderim, tuae solum patientiae ac bonitatis erga me est effectus. Si autem mihi gratiam concedas, saltem posthac meum digne possidendi locum, mirabilis haec mutatio erit *mutatio dexterae Excelsi*, tuae partus gratiae et infinitae opus misericordiae.

PUNCTUM II.

Perpendamus, quid Apostoli in electione S. Mathiae observarint: et in ea deprehendemus normam et regulas prudentis sanctaeque deliberationis. S. Petrus electioni viam et initium fecit Sancto afflatus Spiritu, qui sensum illius prophetiae: *Episcopatum ejus accipiat alter* (Psal. 108, 8.), Petro aperuit simulque necessitatem inspiravit eligendi alium Judae loco. Petro id proponenti omnes Apostoli, nullo repugnante, sine ullo ambitu, contentione aut discordia acquiescunt et unanimi suffragio duos nominant, electione Domino Deo relicta, quippe qui solus corda novit hominum et per consequens merita singulorum.

Talis est deliberatio Apostolorum: in ea non alios adhibent consiliarios, quam religionem et oracula Scripturae. Non petunt lumen, nisi ex alto a Patre luminum. Solus controversiam decidit Spiritus S. Nil nisi commune totius Ecclesiae bonum prae oculis habetur. Uti cor unum duntaxat et una omnium erat anima, sic una tantum audiebatur vox et lingua, omnibus per os Petri, capitis sui, loquentibus.

Bellissimum profecto exemplum, quod in consultationibus nostris imitari oportet! An autem imitamur? easne auspicamur eodem imbuti spiritu pietatis, unionis, concordiae, subordinationis? an non potius animi impetus, proprii studium commodi, inordinatae affectiones, respectus humani influunt, consiliantur, imperant, perorant?

O sanctissime Spiritus, cujus providentia sanctus hic Apostolorum coetus regebatur: tribue ejus virtutes toti Ecclesiae et omnibus Ecclesiae membris: Apostolorum, ajo, obedientiam, caritatem fraternam, orationis studium, ac ardentem gloriae tuae zelum: et quoniam ego non minus ac ipsi sum filius Ecclesiae, easdem mihi virtutes infunde, sine quibus non possum meae respondere vocationi.

PUNCTUM III.

Considera in electione S. Mathiae abyssum judiciorum Dei et revereri ea disce ac vereri. Discipuli Barsabam primo nominabant loco, Mathiam secundo. At Deus

(fere ut Jacob patriarcha *commutans manus* et relinquens Manassen primogenitum nepotem, prius natu minori Ephraim benedixit) Mathiam elegit, reliquit Barsabam, non quod hic indignus fuisset apostolatu, utpote ob vitae sanctitatem meritus cognominari *justus;* sed ut significaret, in eligendis ad officia et dignitates ecclesiasticas solam voluntatem suam ac beneplacitum esse rationem electionis suae: *Ita*, *Pater*, *quia sic fuit placitum ante te.* (Matth. 11, 26.) Pari perfectione acquievit uterque: nec Barsabas invidit competitori suo praerogativam, nec ea inflatus superbiit Mathias, sed ambo juxta ordinem muneris sui, ut istud fideliter implerent, unice satagebant.

Cape, anima mea, fructum et exemplum humilitatis ex uno, modestiae ex altero in omni dispositione Dei de te. Ejus adora providentiam sine querimonia, si te relinquat humi repentem, sine arrogantia, si te in altum tollat, solum felix in adimplenda ejus voluntate. Et haec est omnium excellentissima animi dispositio ad recipiendam cum Mathia et Barsaba plenitudinem Spiritus Sancti.

Benedicta sit, o Deus, sapientia et aequitas tua in gratiarum dispensatione! Gaudeo de tua, illas elargientis, liberalitate. Qua me dignaris beare gratia, licet illorum gratiis minor, mea tamen multum excedit merita; nihilominus mihi sufficiens, dummodo per eam fidelis tibi efficiar, eaque ad gloriam tuam bene utar: id quod unice peto a te, Domine, et de tua bonitate spero.

Feria VI.

Tres inspirationum Spiritus Sancti propietates.

(Joan. 3, 8.)

PUNCTUM I.

Prima proprietas: *Libertas summa. Spiritus*, *ubi vult*, *spirat;* illo enim nihil est magis liberum suis in operationibus. Si ad cor loquitur nobis, non ex timore, non ex proprii spe emolumenti, nec ex necessitate aut ulla obligatione id facit, sed ex merissima bonitate. Hinc suas nobis gratias et lumina communicat

sine omni discrimine temporis, loci, personarum: imo subinde indignissimis, ut Saulo, Ecclesiae persecutori; ordinarie tamen abundantius justis, tamquam filiis ante alios carissimis.

O felices filios, qui magistrum, ducem et perpetuum in omnibus viis comitem secum habent Spiritum Dei, qui totos efficit spirituales et spiritus sibi quodammodo similes! Quidquid agunt, summa spiritus libertate, ut ille, agunt, non coacti, ut mancipia: non metu poenae, ut imperfecti: nec sola mercedis spe, ut mercenarii. Si nec coelum esset, nec infernus, non cessarent tamen vel peccatum vitare, quod inferno pejus horrent, vel exercere virtutem, cum sola ipsis ac summa vitae hujus sit felicitas suo obtemperare ac servire creatori amore ipsius. Hac ratione nihil agunt, nisi quod ipsis placet, quia nihil placet ipsis, nisi voluntas et beneplacitum Dei.

Alme ac omnipotens Spiritus, qui, ubi vis, spiras! tuam in me bonitatem ac potentiam manifesta. Meum tibi cor devincias, precor, per tuae suavitatem gratiae. Quodsi detrectet tuo se amori ac blanditiis dedere, ad illud subigendum adhibe media, quaecunque nosti ad edomandos etiam obstinatissimos plane efficacissima: hoc modo cor rebelle mutabis in cor docile, in cor filii, cujus totum erit beneplacitum tuam implere voluntatem.

PUNCTUM II.

Secunda proprietas: *Efficacia omnipotens*, quae facit, ut interne loquentis vox audiatur: *vocem ejus audis.* Huic soli immediate patet aditus in animam: hic solus efficere potest, ut vel obstinatissimi non possint non audire vocem loquentis et exclamare cum Saulo: *Domine, quid me vis facere?* (Act. 9, 6.) Quando loquitur, vox ejus, h. e. inspiratio habet, nescio quid, singulare, quod sentitur in corde: emollit durissimos, accendit frigidissimos, animat timidissimos et, ubi prius regnabat iniquitas, perturbatio, tristitia, ibi secum invehit justitiam, pacem, gaudium: et per haec signa effectusque discernimus vocem Spiritus S. a voce spiritus maligni, cujus vox et suggestio solum tendit ad inducendum peccatum, moerorem, anxietatem.

Si in me regnaret Spiritus Sanctus, pares cum illo effectus producerem in proximo: facerem, ut meam alii audirent vocem: caliginem et tenebras cordium abstergerem: in illa unctionem, qua repletus essem, effunderem: efficerem, ut et alii agnoscerent Spiritus S. magnalia et perfectiones, ejus caperentur doctrina, ejus amarent consilia, servarent praecepta, sequerentur inspirationes. Verbo: satagerem illi instrumentum fieri, trahendo ad ejus obsequia toti mundo aptum.

Veni igitur, Sancte Spiritus, veni in cor meum: intra animam meam et tamquam absolutus Dominus omnes ejus facultates posside: pulsa tam efficaciter cor meum, ut clare, quid velis et praecipias, intelligat. Nimium patulas hactenus mundo aures praebui: et pro dolor! expertus sum, quod non nisi falsa mihi dogmata instillaverit. Tu modo *loquere, Domine, quia audit servus tuus.* (I. Reg. 3, 10.) Tuo me illustra lumine, tuo inflamma igne, ut et ipse intelligam et totum doceam mundum divinas veritates tuas.

PUNCTUM III.

Tertia proprietas: *Ingens secretum. Vocem ejus audis et nescis, unde veniat, aut quo vadat.* Celat tempus, vias et fines adventus seu visitationis suae. Jam de die, jam se communicat de nocte: nunc in festis solemnioribus, nunc diebus profestis. Hodie ex rebus secundis, cras ex adversis occasionem arripit nos visitandi. In genere semper ad fugam peccatorum et ad amorem virtutum nos impellit: attamen in particulari non raro suae nos celat providentiae fines, non manifestandos, nisi post varios eventus, qui fuerunt quasi occultae Dei ita disponentis causae et machinae. Sic Paulus de se: *Et nunc ecce alligatus ego spiritu* (vi inspirationis) *vado in Jerusalem, quae in ea ventura sint mihi, ignorans.* (Act. 20, 22.)

Ita sane est, anima mea. Spiritus S. occulte nostram operatur salutem. Vult nos semper ab ipso dependere, versari continuo in profunda humilitate, in perpetua impotentiae nostrae cognitione, in caeca subjectione, qua disponenti de nobis judicium et voluntatem nostram

plene resignemus. Ille tempora novit ac momenta, quibus ad cor nostrum loqui, nos instruere, suisque donis cumulare decrevit. Nostrum tantummodo est ad ejus visitationem nos disponere, vocem loquentis audire, omnem ejus voluntatem fideliter exequi.

Veni, o dator munerum, fons omnis boni, veni, meque frequenter per sanctas inspirationes tuas visita. Veni, quademumcunque placuerit via. Secretos providentiae tuae fines adoro, quin cupiam perscrutari. Aliud non desidero, quam humilem cordis dispositionem, nullum sanctae intentioni tuae ponentis obicem: item accuratam fidelitatem, tuis respondentem gratiis, quibus me contendis perducere ad status mei perfectionem vitamque spiritualem, quae Christianum tibi efficit similem juxta effatum Christi: *Sic est omnis, qui natus est ex Spiritu.*

Sabbato.

Repete praecedentem meditationem.

Dominica Pentecostes.

De adventu Spiritus Sancti.

(Act. 2, 1. sq.)

PUNCTUM I.

Cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes discipuli cum b. Virgine Maria numero fere centum et viginti *pariter in eodem loco*, cum Spiritus S. super eos descendit.

Consideremus, quae sub *loco* et *tempore* hujus descensionis latitent, mysteria. *Locum* ad eam Spiritus S. elegit *coenaculum*, quod universalem exhibet Ecclesiam: eo se omnes Jesu discipuli receperant perfecte uniti professione ejusdem fidei eodem Dei cultu, ejusdem observantia legis. In tales solum descendit Spiritus Sanctus, et sicut Noë *columba* post diluvium *non invenit* extra arcam, *ubi requiesceret pes ejus*, ita S. Spiritus, cujus

haec columba erat typus, non reperit, ubi habitet extra Ecclesiam, quae per arcam praesignabatur.

Immortales ergo grates agamus Deo, quod in hanc Ecclesiae arcam nos per baptismum receperit, in qua requiescit coelestis columba, quam ut recipiamus, per nos ipsos stabit; nimirum si nos ad id exemplo Apostolorum per orationem et amorem disponamus.

Dies Pentecostes erat Judaeis oppido solemnis in memoriam legis antiquae, illo die olim in monte Sinai acceptae: at jure solemnior est Christianis, quia hoc ipso die S. Spiritus descendit, ut novam legem, quam Christus mundo intulerat, hominum animis imprimeret. Utraque lex uno eodemque die fuit stabilita, at modo prorsus diverso; prima enim, merito *lex timoris* vocanda, a Deo data fuit inter tonitrua et fulgura, ab angelo autem lapideis insculpta tabulis, eo quod daretur indurati cordis et durae cervicis populo. E contrario lex secunda, *lex amoris et gratiae*, promulgatur multa cum suavitate et cordibus carneis ac tractabilibus, qualia oportet esse fidelium, a Spiritu Sancto inscribitur.

Dignare, o Deus, et meum emollire cor et in me tuam implere promissionem: *Aufer*, inquam, *de carne mea cor lapideum et da mihi cor carneum* (Ezech. 36, 26.), quod lubenter gratiae tuae inspirationes recipiat et jugem retineat legis tuae memoriam et amorem.

PUNCTUM II.

Factus est repente de coelo sonus tamquam advenientis spiritus vehementis: simulque descendit Spiritus Sanctus in forma ignearum linguarum: quibus verbis nobis significantur et *modus*, quo descendit in nos; et *effectus*, quos producit in nobis. 1. *Sonus* et *vehemens spiritus* nobis denotant vim et vehementiam inspirationum, quae adventum Spiritus S. praecedunt. 2. Sonus autem iste venit *repente*, quia ejus visitatio nulli certo tempori, diei, aut horae est alligata: *Spiritus, ubi vult, spirat.* (Joan. 3, 8.) 3. *De coelo* venit sonus seu ventus, *quia omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.* (Jac. 1, 17.) 4. *Sonus tamquam advenientis spiritus vehementis* de-

notat vim ejus, at vim amicam et suavem, qua corda hominum suo subjicit dominio, quin libertatem voluntatis laedat, eosque ad sublimem trahit perfectionem; *nescit* enim *tarda molimina Spiritus S. gratia.* (S. Ambr.) Rogemus efflictim divinum hunc Spiritum, ut victrice sua suavitate nos efficaciter impellat ad sanctitatis exercitia forti animo aggredienda et ad perfectissimarum virtutum exercitationem.

Post vehementis sonum venti Spiritus S. aspectabili specie descendit super capita Apostolorum in forma ignearum linguarum, ut, quos producit effectus et operationes, indicet: nimirum homines illuminat, purificat, inflammat, a terra elevat ad coelestia, eosque in se ipsum transformat, ita, ut unus cum illo spiritus fiant.

De hoc ipso igne, o Jesu, locutus es Apostolis, dicens de te: *Ignem veni mittere in terram: et quid volo, nisi ut accendatur?* (Luc. 12, 49.) Accende illum hodie in anima mea, quae est terra frigida et sterilis: confer illi praeclaras coelestis hujus ignis proprietates: puritatem, lumen, ardorem et vim agendi, ut purificata, illuminata et actuosa nullas imposterum nisi spirituales foveat cogitationes, desideria et affectus, quibus impellatur ad promovendam semper purissimam nominis tui gloriam.

PUNCTUM III.

Apparuerunt illis dispertitae linguae tamquam ignis, seditque supra singulos eorum: et repleti sunt omnes Spiritu Sancto.

Sedit, ut maneat: per quod innuitur, quod Spiritus Sanctus non sit ignis quidam volatilis, vagus et instabilis, sed quod cordi humano, si aliquando occupavit, tenaciter inhaereat, semper ibidem, modo non expellatur, permansurus juxta Christi promissionem: *Pater alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum.* (Joan. 14, 16.)

Anima mea! visne eundem constanter possidere? ergo peccata animo expelle et, ne ulli impurae affectioni in cor tuum concedas aditum, cave; etenim *in malevolam animam non introibit* Spiritus *sapientiae* et puritatis, *nec habitabit in corpore subdito peccatis.* (Sap.

1, 4.) Noli igitur coelestem hunc ignem recipere, ut extinguas, sed ut foveas et fideliter conserves.

Notemus insuper, qua plenitudine S. Spiritus Apostolis sese infuderit. Licet inter eos magna dignitatis ac meritorum inaequalitas intercesserit, omnes tamen singulorum facultates et animas suis complevit donis. Memoriae impressit s. Scripturas: intellectui earum intelligentiam infudit: voluntati totam legem christianam insculpsit: diversos simul produxit effectus in singulis, quos separatim produxit in aliis. Ex timidis fecit audaces, ex imbecillibus fortes, ex idiotis sapientes, ex imperfectis fecit in omni perfectione praestantes.

O stupenda mutatio! *o mutatio dexterae Excelsi!* o infinita Spiritus divini potentia! Quam labore trium annorum non effecerat Jesus mutationem, Spiritus Christi, qui est virtus ex alto, abs difficultate momento effecit.

O bone Jesu, eundem in me Spiritum emitte, ut me in alium plane virum convertat, totum juxta voluntatem tuam factum. Tu quoque, Spiritus Sanctissime, tuis me charismatibus imple: aufer a me amorem terrenorum, infunde solum amorem coelestium, ut, dum omnia in te possideam, extra te nihil desiderem, nihil quaeram ulterius.

Feria II.

Prodigia a S. Spiritu patrata in Pentecoste.

(Act. 2, 5. sq.)

PUNCTUM I.

Erant autem die Pentecostes *in Jerusalem habitantes Judaei, viri religiosi, ex omni natione, quae sub sole est. Facta autem hac voce* et sonitu spiritus vehementis, *convenit multitudo et mente confusa est, quoniam audiebat unusquisque lingua sua,* in qua nati erant, Apostolos *loquentes* magnalia Dei. *Stupebant autem omnes et mirabantur* ad invicem *dicentes:* Quidnam vult hoc esse? *Nonne ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilaei sunt: et quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram?* Quale hoc portentum est ac prodigium?

Et vero quantum est prodigium videre homines paulo ante timidos, idiotas, illiteratos, domus tenebris prae metu dudum clausos, vix recepto Spiritu Sancto jam in publico comparere et momento in doctores gentium evasisse! Nimirum ignis, quo corda eorum Sanctus Spiritus accenderat, momento omnem inde fugavit ignorantiam, timorem, desidiam, sanctoque inflammatos zelo impulit, ut sanctissima quaeque et altissima religionis mysteria audacter annuntiarent.

Qualis noster est spiritus, tales sunt effectus, cogitationes, affectus, sermones nostri. Spiritus mundi non amat, non admiratur, nisi magnalia mundi, commentitium eorum splendorem extollens et commoda, quae suis pollicetur mundus. Contra Spiritus Dei contemptum et nauseam eorum nobis inspirat, nec alium in finem nostram solvit linguam et vocem, quam ut grande mundanorum inane ac nihil manifestemus, si in comparationem veniant cum bonis coelestibus ac veris, quibus suos Deus servos remuneratur. Quo nos agamur spiritu, judicium et sententiam modo ferant nostrae cogitationes, affectus, sermones.

Heu me! quod tanto adhuc in pretio mihi sint, quae mundus amat: tam exiguis autem in amoribus, quae tu aestimas, o Deus: tot praeterea inanes et frivoli sermones, quos in dies et horas effundo, cum tua potius magnalia et misericordias enarrare oporteret, affatim mihi probant, profanum in me spiritum adhuc regnare, relicta non inani formidine, quod necdum acceperim Spiritum Sanctum. Divinissime Spiritus, vere ac legitime cordis mei possessor! injustum ejus possessorem, malignum, inquam, spiritum, ejice et totum occupa. Tu meas reformabis cogitationes, purificabis affectus: nec aliud imposterum lingua praedicabit, quam admirabiles perfectiones tuas.

PUNCTUM II.

Adeo repentinus et effervescens Apostolorum zelus nonnullis visus est crapula: *musto pleni sunt.* S. Petrus, ut hunc ipsis errorem eximeret, palam demonstravit, vinum, quo ebrii essent, non esse vinum materiale, sed

coeleste ac spirituale, Spiritum Dei esse et accensum illius amorem: neque id solum evidentibus argumentis confirmavit, sed et prodigiosam ostendit sapientiam, praestantem Scripturae intelligentiam, ferventem gloriae divinae et Jesu Christi zelum, nec non fortitudinem et constantiam animi tanto majori dignam admiratione, quanto majora imbecillitatis signa prius dederat.

Obstupesce, anima mea, adeo prodigiosam Petri mutationem! Admirare omnipotentem Spiritus S. virtutem, quae ex pauperculo piscatore, ex homine, per unicam imbellis ancillulae vocem nuper prostrato, repente efficit sapientem verbi divini interpretem, gloriosum Christi praeconem, magnanimum ejus divinitatis defensorem, intrepidum gentis omnium obstinatissimae reprehensorem.

Egone, mi Deus, aut solus non accipiam hunc fortitudinis ac intelligentiae Spiritum, aut accipiam sine effectu? Egone solus remoram semper et obstacula ponam Spiritui Sancto, quominus venire ad me aut operari possit in me? Remove, o Deus, remove, quidquid meae obstat sanctificationi. Extingue in me amorem proprium, qui una cum caritate stare nequaquam potest. Dissipa vanos timores, qui me impediunt, ne audacter me pro partibus tuis declarem. Rumpe gravia, quibus terrae alligor, vincula, ut tuo inflammatus amore, sancto animatus zelo, generosa plenus libertate audacter Jesu Christi triumphos publice profitear et ignominiae crucis omnem mundi gloriam ac splendorem postponam.

PUNCTUM III.

Si, quam Spiritus S. in Petro fecit, mutatio fuit admirabilis, non minus stupenda est, quam per Petri praedicationnm effecit in Judaeis. Hac ipsa die tria circiter illorum milia, ad Christum conversa, suscepere baptismum, alio die quinque milia, primitiae tot milium animarum, quas Apostoli subinde Jesu Christo erant lucraturi.

O quantum Christus exultaverit, quod jam tunc Pater tantam hominum multitudinem ejus ditioni subjecerit, promissionem implens, qua ei *in haereditatem*

spopondit *gentes et in possessionem terminos terrae!* (Psal. 2, 8.) Quanta solemnitate hunc diem in coelo angeli celebraverint ob conversos tot peccatores! Quantum gavisi fuerint Apostoli videntes adeo felicem et prodigiosum primae piscationis suae et capturae successum! Quanta et ego, si vero Jesu Christi amore flagrarem, voluptate afficerer, aspiciens totum terrarum orbem cognitione et amore Christi jam imbutum!

Quam belle, Servator mi, tuum de te imples hodie effatum: *Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum!* (Joan. 12, 32.) Quodsi durissima et incircumcisa Judaeorum corda, qui tui erant inimici omnium crudelissimi, jam trahis ad te, quid non sperare possunt ac debent tenera et subjecta tot fidelium, te sequi volentium, corda? Tuum emitte Spiritum in concionatores simul et eorum auditores: fac in utrisque prodigia, quorum hodie memoria nos in stuporem rapit, ut omnes simul te agnoscant, te ament, te glorificent in aeternum.

Feria III.

De septem donis Spiritus Sancti.

PUNCTUM I.

Praeter virtutes theologicas, *fidem*, *spem* et *caritatem* Spiritus S. in baptismo nobis infundit illustria septem dona: nempe spiritum seu donum *sapientiae et intellectus*, *consilii et fortitudinis*, *scientiae et pietatis*, *ac timoris Domini.* (Isa. 11, 2. 3.) Haec dona alios ac virtutes theologicae habent fines et officia. *Virtutes* sunt velut potentiae ac robur vitae spiritualis, queis adjutus homo sancta possit opera exercere. *Dona* vero disponunt et inclinant hominem, ut motionem et impulsum S. Spiritus sequatur: fere uti vela navigium adjuvant, ut afflante aura facile promoveatur.

Anima mea! quot non media Spiritus S. ad te sanctificandam adhibet! ne ille quam ardentissime tuam expectat sanctitatem. Unde ergo tua tepiditas et imperfectio, in qua tot jam annis haeres torpens? Si vel

tantillum exerceres virium, ut te a terra attolleres, profecto a S. Spiritu praeventa, adjuta et impulsa ad tuam perfectionem eluctari posses et instar nubeculae provehi, quocunque gloria Dei te vocaret.

Sanctissime Spiritus! libera cor meum ab omnibus terrenis et largire ei alas columbae, ut per assiduam contemplationem et ferventem coelestium amorem ad te evolet. Quia vero ipso naturae pondere depressus iterum in terrenas cogitationes et desideria ocius relaberer, si vel momento cessares tua me sustentare gratia et supra me ipsum elevare, tuis me donis robora imbecillem, mutabilem constanter adjuva, ut iis bene utar et novum quotidie cordis in me vigorem conserva, ut nunquam ab exercitio heroicarum virtutum vel tantillum remittam.

PUNCTUM II.

Largitur autem sua nobis dona S. Spiritus, ut nos adjuvet in destruendis quibusdam vitiis, nostrae perfectioni maxime adversantibus. Armat nos, ait S. Gregorius (L. 2. Mor. c. 26.), 1. dono *sapientiae* contra stultam bonorum temporalium aestimationem: 2. dono *intellectus* contra nostram in intelligendis rebus divinis ruditatem: 3. dono *consilii* contra praecipitationem seu inconsiderantiam: 4. dono *scientiae* contra ignorantiam: 5. dono *fortitudinis* contra pusillanimitatem: 6. dono *pietatis* contra duritiem cordis nostri: 7. dono *timoris Domini* contra superbiam, ita, ut septem haec dona sint totidem arma, a S. Spiritu nobis subministrata et quidem *defensiva* ad resistendum tentationibus: *offensiva* ad debellandos, quos intra nos circumferimus, sanctitatis hostes.

At quomodo his utimur coeli armis, anima mea? ex bono aut malo eorum usu tua pendet victoria aut clades. Si bene ea tractare nosti, nihil timendum tibi, nec obscuratio intellectus, nec voluntatis obduratio, nec libidinis effrenatio, nec pusillanimitas, quae sternat te, nec vana, quae extollat, praefidentia. Imo omnia haec sanctitatis tuae obstacula fient tibi continua victoriae ac triumphi materies.

Grates tibi ago demississimas, alme Spiritus, quod arma, quibus me ipsum certo vincerem, tua scilicet *dona*,

clementer mihi contuleris. His armatus dimico et, si felicem refero palmam, tibi in acceptis fero; quidquid enim luminis aut fortitudinis mihi est, id totum tibi debeo. Hac tua fretus protectione omnes ad certamen hostes provoco. Ita est: *Dominus illuminatio mea et salus mea: quem timebo? Dominus protector vitae meae: a quo trepidabo?* (Psal. 26, 1.) *Pone me, Domine, juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me* (Job 17, 3.): de omni hostium ferocia, te juvante, triumphabo.

PUNCTUM III.

Eadem Spiritus S. dona non minus ad comparandas vitae cum activae, tum contemplativae virtutes, quam ad extirpanda vitia nos adjuvant. *Sapientia* cum ingenti sapore ac dulcedine gustum nobis indit bonorum coelestium. *Intelligentia* nobis aperit ac manifestat abstrusissima fidei mysteria. *Scientia* mentem nostram a creatis elevat ad cognitionem creatoris. *Timor Domini* summam divinae majestatis reverentiam nobis imprimit. *Pietas* facit, ut in hominibus Deum, cujus imago sunt, intueamur. *Fortitudo* nos corroborat ad animose aggrediendum, quidquid ad divinum facit obsequium. Denique *consilium*, velut sol inter reliqua S. Spiritus dona, nos illuminat in dubiis, regit in consultationibus, praemunit a fraudibus et laqueis diaboli, non raro in angelum lucis sese transfigurantis.

Quid autem huic Spiritui gratiae et caritatis rependemus pro tot tantisque donis? aliud in grati animi tesseram nihil petit, quam ut nos illis reputemus indignos, omni studio ac reverentia conservemus illa, et praecipue illis, omne genus virtutum exercendo, bene utamur, ne, ut *malo* ac *inutili servo*, aliquando exprobret nobis, quod tradita nobis *talenta absconderimus in terra.*

Fac igitur, S. Spiritus, ut in praxin deducta, quae nobis contulisti, haec dona uberem ferant fructum, nec unquam permitte, ut infructuosa sint atque sterilia: da, ut suum obtineant finem, bonorum foecunditatem operum. Quo magis me ad ea producenda impotentem agnosco, eo amplius in tua bonitate confido, de tua sperans gratia,

quod per naturam et per me ipsum non valeo; neque vero illud mihi poteris denegare, postquam te ipsum cum donis tuis jam dignatus es dare.

Feria IV.

Repete praecedentem meditationem.

Feria V.

Perfectio vitae, a S. Spiritu primis Christianis inspiratae.

(Act. 2, 42. sq.)

PUNCTUM I.

Qui baptizati fuerant, erant perseverantes in doctrina Apostolorum et communicatione fractionis panis et orationibus.

En tria, quae S. Spiritus inspirat animabus, quas replevit. Primum est amor et gustus verbi divini et *doctrinae*, per Apostolos a Christo ad nos transmissae. Alterum Communio divini panis in *Eucharistia*. Tertium frequens *oratio*, per quam familiari Numinis consuetudine utimur et sacrum divini amoris ignem in nobis confovemus.

In his, anima mea, consistebat tota primorum fidelium vita: num et tua consistit? Quale tempus sacrae lectioni consecras? Qui uteris pane vitae? Quam assidua es in orationibus? Mirumne, quod sine illis in via perfectionis non progrediaris? in iisdem haereas imperfectionibus? toties in peccata proruas? Tres illos nauseas evangelicos panes, qui tamen erant primis fidelibus robur in imbecillitatibus, fulcrum in periculis, fortitudo et calcar ad persequendam sanctitatis et absolutae perfectionis viam.

O Sanctissime Spiritus, scrutans cor et renes meos, perspiciens intima corrupti cordis! tu solus mederi potes et per tuam omnipotentem gratiam radices corruptionis funditus extirpare. Terrestrem, qua mundi voluptates appeto, famem commuta in spiritualem. Fac, ut sola

desiderem coelestia, solam amem s. Evangelii lectionem, sola exsatier corporis Christi sumptione et ejus mysteriorum contemplatione. Filius Ecclesiae sum non minus, ac primi erant Christiani: largire et mihi sanctas eorum ad omne bonum propensiones, nec unquam permitte, ut a praecelsis eorum cogitationibus, exemplis ac virtutibus degenerem.

PUNCTUM II.

Fundamentum, cui Spiritus S. perfectionem primorum fidelium inaedificaverat, *abnegatio* fuit, seu contemptus omnium terrenorum. Ideo inspirabat ipsis, *ut essent pariter et haberent omnia communia: possessiones et substantias venderent et dividerent ea omnibus, prout cuique opus erat*, pretio venditionis ad pedes Apostolorum deposito. *Neque tamen quisquam egens erat inter illos*, licet singuli fuerint pauperes. Omnibus suppetebant necessaria, quia nullus possidere volebat superflua. Hoc modo bonis et curis saecularibus expediti, tanta fruebantur libertate et cordis tranquillitate, ut possent agere pro Deo sine impedimento, cogitare de Deo sine mentis evagatione, servire Deo sine cordis divisione.

O fortunatam et vere beatam in terris vitam, a Christo institutam, a S. Spiritu confirmatam, ab Apostolis traditam et a discipulis, qui in nascente Ecclesia fuerunt primitiae Spiritus Sancti, exercitam! O vitam sanctam et perfectam, sed quam illorum successores plane sunt obliti! Quanta autem felicitas religiosorum, quod eam elegerint et ad eam continuo prosequendam solemnibus sese votis obstrinxerint! Hujus felicitatis et illi sunt participes, qui in mundo sunt, non tamen de mundo, quia mundi bonis, quae ex necessitate possident, cor non affigunt, paratissimi ea actu relinquere, quandocunque id Deus voluerit.

Simili gratia, o Sanctissime Spiritus, reple tuorum corda fidelium, ut pari fervore terrena abnegent omnia spernantque. *Cupiditatem* extirpa, *omnium radicem malorum.* Fac, ut eorum crescat numerus, qui primos imitantur Christianos, et perituras opes pedibus calcant, ut per eas ceu totidem gradus illorum exemplo ad sublime perfectionis fastigium ascendant.

PUNCTUM III.

Omnes, qui credebant, erant pariter et habebant omnia communia. Hanc vitae communitatem cum summa unione et caritate inspiravit Spiritus Sanctus. Ignorabant penitus frigidum illud verbum *meum* et *tuum*, fatales duos omnium discordiarum fontes: sed *erat multitudinis credentium cor unum et anima una* (Act. 4, 32.); etsi enim diversarum fuerint nationum, dignitatum, temperamentorum, facultatum ac talentorum, omnes tamen, ut diversa corporis membra, per Spiritum caritatis uno amore, una voluntate, uno sensu inter se erant conjuncti. Mensam eorum condiebat sancta hilaritas, conversationem candor et sinceritas animorum, quae suave reddebat jugum Christi, levia omnia S. Evangelii onera.

Quam bella, quam jucunda, quam sanctitatis aeque ac solatii plena est haec vita! vita tam communis olim primis Ecclesiae temporibus, quam rara nostris: ubi enim, quaeso, reperitur hodie illa cordium unio? ille sanctitatis spiritus? illa judiciorum concordia, quae primos fideles et hilares reddidit in mille mortificationibus et toti mundo amabiles?

Divinissime Spiritus, cor et anima Ecclesiae! antiquum caritatis spiritum in omnibus Ecclesiae membris innova. Noli permittere, ut in religiosis ordinibus, qui eum hactenus constanter conservarunt, unquam extinguatur. Totum amoris tui ardorem in iis conserva et omnibus vitiis caritati adversantibus, tepiditati, zelotypiae, cupiditati et discordiae omnes aditus et fores praeclude.

Feria VI.

De dispositionibus ad recipiendum S. Spiritum necessariis.

PUNCTUM I.

Uti Spiritus S. in terras descendit, ut loco Jesu Christi vices et officium patris ac magistri obiret, ita easdem in filiis suis et discipulis requirit dispositiones, quas Christus requirebat in suis. Prima et principalis

inter illas erat *humilitas*, quam illis proposuit sub imagine *infantiae spiritualis*, dicens: *Amen dico vobis: nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum.* (Matth. 18, 3.)

Num autem absolutam, qua continuo a Spiritu S. dependemus, necessitatem melius intelligere possemus, quam ex perpetua necessitate, quae parvulis incumbit, ut maternis sustententur manibus? ut enim viribus propriis nequeunt vitare lapsum aut a lapsu surgere aut declinare labendi pericula: ita et nos ingentem peccatorum, in quae corrupta propendet natura, numerum nostris dumtaxat viribus evitare haud possumus, nedum commissa eluere: necessarium est, ut Spiritus S. nos protegat et sua manu velut infantes sustentet, ne labamur, aut lapsos erigat. Tot hostium jaculis et insidiis expositi sumus, ut, nisi divinus hic protector suis sub alis nos tegeret, certo certius essemus succubituri.

Atque haec tantae imbecillitatis nostrae consideratio, nec non infinita a Spiritu S. dependendi necessitas quid aliud possit in nobis producere, quam *humilem* de nobis diffidentiam, ex altera vero parte firmam ac filialem in Deo amoris fiduciam? sicut enim mater infantem suum, qui suae sibi conscius imbecillitatis matri brachiola tendit et in ejus sinum convolat, deserere non potest, ita Spiritus tam infinite bonus quam omnipotens, non potest non protegere humiles, qui de sua imbecillitate ac impotentia convicti suam in eo solo spem ac fiduciam collocant. Ita sane promisit ipsemet, dum ait: *Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos: ad ubera portabimini.* (Isa. 66, 12. 13.) O felices, qui se ita humiliant, his ut blanditiis possint frui!

O Pater benignissime, qui merito ab Ecclesia appellaris *Pater pauperum!* Ut mihi subvenias, solum opus est meas tibi aperire necessitates: cum eadem igitur ex intimo cordis mei clamo: *Sine tuo Numine nihil est in homine, nihil est innoxium* sine potentissima protectione tua: hanc efflictim a te peto, imo firmiter a tua spero misericordia.

PUNCTUM II.

Altera, quam Christus a Patris aeterni filiis exegit, dispositio erat *perfecta sui resignatio* in omnem Dei

voluntatem ac providentiam: eandem Spiritus S. postulat. 1. Infans non est sollicitus de necessariis, sed omnem horum curam, duce natura, relinquit matri. 2. Infanti perinde est collocari pretiosis aut vilibus in cunis, huc aut illuc deportari: materna inter brachia securus omnium quiescit. Non aliter nos magistra virtute debemus agere, quod illi solo naturae instinctu agunt. Superfluas animo ejiciamus curas, *omnem sollicitudinem nostram projicientes in Deum, quoniam ipsi cura est de nobis.* (I. Pet. 5, 7.) Credamus firmiter, ipsum nulla in re nobis defuturum, si nos ei totos commiserimus; erit nobis lux in tenebris, solatium in aerumnis, ariditatibus, infortuniis.

Quanta autem felicitas nostra Deum habere non minus benignum ac potentem! Deum, qui nobis est patris ac matris loco, infinite magis sollicitum de nobis, quam ullus patrum aut matrum, utut liberorum fuerint studiosissimi!

Alme Spiritus, qui dignaris ex altissimo regni tui throno nobis tuos indulgere oculos, tuam tendere dexteram, tuum aperire sinum velut inexhaustum gratiarum et consolationum fontem: quas possum demississimas pro ista ineffabili caritate grates tibi ago, meque totum tuae trado voluntati ac providentiae, sub omni potenti manu tua securissimus.

PUNCTUM III.

Ut autem Jesus in discipulorum cordibus amorem ac desiderium spiritualis hujus infantiae accenderet, ejus emolumenta et praerogativas exposuit; sunt autem istae: 1. Facilis et certa adeptio regni coelestis. *Sinite*, ajebat Christus, *parvulos ad me venire; talium est enim regnum coelorum.* (Matth. 19, 4.) E contrario superbi et arrogantes aut difficillime, aut neutiquam illud poterunt intrare. 2. Majus in coelo praemium: nam mensura humilitatis in terra est decempeda magnitudinis in coelo. *Quicunque humiliaverit se sicut parvulus, hic est major in regno coelorum.* (Matth. 18, 4.) 3. Mutua et intima Christi et humilium necessitudo, ut obsequia his praestita, ille reputet sibimet collata. *Qui susceperit unum*

parvulum talem in nomine meo, me suscipit, ait Christus. (l. c.) 4. Poena inimicis parvulorum statuta. *Qui autem scandalizaverit*, seu ad peccandum induxerit, *unum de pusillis istis, demergatur in profundum maris.* (l. c.) 5. Singularis angelorum custodum protectio, probe scientium, quod isti clientes ob cordis humilitatem Domino sint cariores et ob intellectus docilitatem ad imbibendas virtutes aliis aptiores.

O felix infantia, tam cara Deo et angelis! o sacra parvitas, per divinam Verbi incarnati infantiam adumbrata, vera nostrae in terra perfectionis, nostraeque in coelo gloriae decempeda! Felix, inquam, infantia, S. Spiritui infinite cara et gratiarum, quas in tui cultores large effundit, longe feracissima! O Jesu, unigenite Patris Fili, qui, ut nobis tuum erga innocentes ac humiles amorem demonstrares atque etiam instillares, in forma parvuli infantis nasci voluisti: fac (quod toties mihi et omnibus commendasti) tuo me exemplo fac humilem et parvulum.

Tu vero, divine Spiritus, qui venisti, ut Christi doctrinas confirmares, confirmatasque nobis inculcares, hanc de humilitate ac mei resignatione doctrinam alte cordi meo imprime. Da, ut sanctam hanc infantiam summe et aestimem ac amem; ea enim et docilem me reddet et fidelem instructionibus tuis; de tuis enim gratiis sum certus, si gratiam mihi largiaris vivendi, prout decet genuinum s. Evangelii filium.

Sabbato.

Repete praecedentem meditationem.

Dominica SS. Trinitatis.

Deus unus in natura, trinus in personis.

PUNCTUM I.

Non datur, nisi unus unicus Deus: *Dominus Deus noster unus est* (Deut. 6, 4.): nec possibile est, ut plures dentur dii, quia implicat, ut dentur 1. plures, quam

unus absolute perfectissimus, seu ens unum, quod per semetipsum possideat et in se complectatur omnes omnino perfectiones possibiles; illa enim perfectio, in qua et per quam inter se differrent duo (aut plures) dii, non posset utrique inesse: et hac ratione alteruter non esset *ens perfectissimum*, seu Deus. 2. Implicat, ut dentur plures, quam unus *supremus Dominus et legislator*, cum duo tales non possent subsistere, quin suo invicem imperio, potestati ac jurisdictioni modum et limites ponerent. 3. Implicat, ut sint plures, quam *unus finis ultimus*, qui sit unicum felicitatis nostrae objectum; plures enim hujusmodi fines si darentur, nullus nostra expleret et satiaret desideria; laetitia enim possidentis unum turbaretur desiderio alterius. Unus ergo unicus datur Deus: neque dantur, neque dari possunt plures dii. Atque huic veritati tamquam fundamento innititur magnum illud legis mandatum: *Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo.* (Deut. 6, 5.)

Deploremus, anima mea, miseram infidelium caecitatem, qui pluribus et, quod necessario consequitur, falsis numinibus thura adolent et supremum latriae cultum exhibent soli vero Deo debitum: magis autem defleamus idololatricum agendi modum, quo tot Christiani, quam credunt, unicitatem Dei destruunt, ex passionum suarum objectis totidem faciendo idola adorandoque.

Tune, anima mea, ex illis es, qui creaturas aris veri Dei imponunt? Vide, quo colliment cogitationes, desideria et affectiones cordis tui. Si colliment ad honores, ad voluptates, ad amorem saeculi, dii tui sunt, quos adoras loco Domini et creatoris universorum.

O vere et unice Deus, qui solus supremum latriae mereris cultum: falsa in corde nostro idola destrue, quae hactenus cultum et amorem nostrum sibi vel injuste arrogarunt, vel inique diviserunt. Fac, ut omnes *fideles* re et opere tanti nominis mensuram impleant, nemini, praeterquam tibi, fideliter adhaerentes. Vindica, quam tot pagani inferunt tibi, injuriam: proscribe e mundo tantam falsorum numinum multitudinem, quam sacrilega colunt religione. Fac, ut te solum, o Deus, agnoscant omnes, revereantur, adorent gentes. Fac, ut

nemo sit in mundo, qui non confiteatur, diligat, glorificet *unum Deum, qui est super omnes et per omnia et in omnibus.* (Ephes. 4, 6.)

PUNCTUM II.

Quod unus unicus tantum detur Deus, veritas est, quam solo rationis lumine possumus cognoscere: quod autem in Deo tres dentur personae, *Pater*, *Filius et Spiritus Sanctus*, est veritas, in qua credenda (sola enim fides eam docere nos potest) *in captivitatem redigere* oportet *omnem intellectum in obsequium Christi* revelantis. (II. Cor. 10, 5.) Nihilominus eam veritatem captu difficillimam credemus facilius, si perpendamus, quod Deus, tamquam ens absolute perfectissimum, debeat eminenter possidere omnes omnino creaturarum perfectiones, ab omni tamen earundem defectu ac imperfectione puras, atque adeo *unitatem*, quin *solus* sit; solum enim esse, imperfectio est: et *pluralitatem*, quin sit *divisus* atque diversus; quod pariter esset imperfectio; nam quae divisa sunt ac diversa, eorum quodvis caret alterius bono et perfectione.

Admiremur incomprehensibilem *unius Dei in tribus personis* majestatem, numerum omnino distinctum in perfectissima simplicitate et unitatem perfectissimam in pluralitate: adoremus profundissima cum reverentia hoc ineffabile mysterium: quod assequi non licet, credamus cum Apostolo exclamantes: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei!* Si *tua judicia sunt incomprehensibilia et viae tuae investigabiles*, quanto magis tua essentia et perfectiones? (Rom. 11, 33.)

Gaudeo, o Pater aeterne, summopere gaudeo de tua cum Filio tuo unione. O Fili unigenite Dei, gaudeo de tuo erga Patrem amore. O Spiritus Sanctissime gaudeo de tua cum Patre et Filio unione. O adoranda Trinitas, gaudeo vehementer de infinito, quem intra te ipsam foves, amore et amicitia. Fac, mi Deus, per gratiam tuam, ut per unionem caritatis perfectae unus tecum efficiar spiritus. Tu vero, Servator mi, tuum, ut olim in coena ultima, Patrem ora, ut me tecum et cum fratribus meis tam arcte uniat, *ut simus unum, sicut et tu* cum Patre et

S. Spiritu in coelis, ubi, quod spero firmissime, aliquando consummabis unionem cordis nostri cum tuo per totam aeternitatem.

PUNCTUM III.

Tandem considera modum et ordinem hujus mýsterii in Deo. Pater se ipsum cognoscens et perfectissime comprehendens non accidentariam rei cognitae, qualem homo efformat cognoscendo, sed adaequatam, substantialem, ac vivam sui ipsius imaginem intra se format, quam nos appellamus *Filium*, S. Joannes *Verbum Patris*, S. Paulus *splendorem gloriae et figuram substantiae ejus* (Hebr. 1, 3.) *et invisibilem ejus imaginem.* (Coloss. 1, 15.) Ita productus per Patris cognitionem Filius uti infinite amatur a Patre, ita Patrem vicissim amat infinite et Spiritus S. est terminus mutui hujus amoris, ita ut Pater sit principium Filii, Pater et Filius simul principium Spiritus Sancti, quin ulla sit inter illos inaequalitas in natura, duratione, aut alia essentiali perfectione, sed omnes tres personae prorsus eandem habeant essentiam, divinitatem, easdem perfectiones.

Et hoc est fundamentum totius meae religionis at simul solidae consolationis meae. Unum credo Deum in tribus personis, quae eundem habent sensum, idem intelligere ac velle. Non possum placere uni, quin reliquis duabus placeam personis. Si sublimem gratiae ac amicitiae gradum obtinui apud Patrem, eundem teneo apud Filium et Spiritum Sanctum. Unus tantum meus est conditor, unus sanctificator, unus remunerator, unus finis ultimus, unum dumtaxat objectum et mei amoris in tempore et meae beatitudinis in aeternitate.

O Pater coelestis, *ex quo omnis paternitas in coelis et in terra nominatur!* (Ephes. 3, 15.) quoniam Filius, quem genuisti, tua est gloria in aeternitate, tuam amplifica gloriam in tempore, multiplicando filios adoptionis: his terram reple et coelum: et sicut Filius tuus naturalis te cognoscit et amat sine principio et fine, ita fac, ut tui per gratiam et adoptionem filii nunquam cessent te cognoscere et amare.

O Filii unigenite, qui per generationem ab aeterno procedis a Patre tuo; omnes ut ille divinitatis thesauros

possides, eadem cum illo potentia praeditus: largire mihi per adoptionem titulum filii, quo tu per naturam gaudes: ut frater tuus per gratiam effectus, tuae merear gloriae cohaeres fieri. O Sancte Spiritus, qui per viam amoris a Patre et Filio procedis tamquam ab uno eodemque principio: quique non minus ac illi omnis sanctitatis principium es: de sinu tuo torrentem flammarum emitte, qui cor meum ab omni terreno affectu emundet; tuo, quo ipse flagras, igne succendat; et perfectione tanta sanctificet, ut perpetuo tuum esse mereatur.

Feria II.

Documenta ex praecedentibus institutionem Eucharistiae haurienda.

Vide supra, Feria IV. post Sexagesimam, pag. 149.

Feria III.

Jesus instituit Sacramentum Eucharistiae.

Vide meditationem Feria V. hebdomadae sanctae pag. 273.

Feria IV.

Conversio panis in corpus Christi.

Vide meditationem Feria V. post Sexagesimam pag. 151.

Feria V.

De festo Corporis Christi.

NB. Meditatio fit per applicationem interiorum animae sensuum ad Eucharistiam.

PUNCTUM I.

Claudamus *oculos corporis*, dum sensibus nostris apparet panis: aperiamus *oculos animae*, ut latentem sub speciebus panis Filium Dei per lumen fidei intueamur.

Aspiciamus ipsum non minore, ac in ipso gloriae coelestis throno, majestate et gloria sub vilissimis speciebus coruscantem. Admiremur immensum vultus splendorem, oculorum amabilitatem, radiantium quinque vulnerum pulchritudinem: fateamur, quod sit *speciosus forma prae filiis hominum* et aeque ejus majestate, quam humilitate illam obvelante attoniti, ex toto cordis affectu illi dicamus:

O dilecte mi, modo quodam invisibili aspectabilis in hoc sacramento! tam vivo lumine meum illustra intellectum, ut de tua in hoc sacramento praesentia *reali* neutiquam dubitare possit. Fac, ut majestatem tuam, licet meis absconditam oculis, tam clare videam, tanta adorem reverentia, ac si oculis aspicerem corporeis. Firmissima teneo fide, quod hostia rite consecrata, utut exigua, in se contineat realiter, quidquid majestatis tua possidet divinitas, amabilitatis humanitas. Utinam tibi, Servator mi, in vili hoc et humili statu tantum cultus et adorationis possem exhibere, quantum tibi Seraphim exhibent in tuae throno gloriae!

PUNCTUM II.

Percipiamus interno animae *auditu*, quae Christus in Eucharistia ad cor nostrum loquitur, ad suam nos mensam invitans jam per illa verba: *Venite: comedite panem meum et bibite vinum, quod miscui vobis.* (Prov. 9, 5.) Jam per illa: *Comedite, amici, et bibite et inebriamini, carissimi* (Cant. 5, 1.) vino prorsus exquisito, quo electas meas exhilaro ac remuneror sponsas.

Ut autem harum particeps fias deliciarum, anima mea, eas mereri oportet tenero erga sponsum amore, puritate, omnis peccati ac labis experte et praecipue inviolabili fidelitate in custodienda, quam aeque in Eucharistia ac in Evangelio tradit, hac doctrina: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* (Matth. 11, 29.)

PUNCTUM III.

Jam internum animae *odoratum* applicemus, ut admirabilem Christi in hoc sacramento et maxime in sacrificio missae percipiamus fragrantiam, ubi se ipsum

Patri aeterno offert victimam in odorem suavitatis. O quam gratus est odor hujus sacrificii aeterno Patri! vix ad ejus thronum ascendit, placat iratum. Quam potens est hic odor, qui sanctas attrahit animas et velut aquilas ad corpus Christi congregat, ut suaveolentem ejus fragrantiam delibent!

Domine! da mihi gratiam adeo vivaciter hujus balsami odorem sentiendi, ut efficaciter de terra *in odorem unguentorum tuorum trahar post te* (Cant. 1, 3.) et exuar amore proprio, sicque puro et sincero amore te complectens semper maneam apud te, perpetua ardentissimae caritatis unione s. altari tuo alligatus.

PUNCTUM IV.

Gustabo panem angelorum interno animae *gustu:* imaginabor mihi illud dici: *Gustate et videte* per experientiam, *quoniam suavis est Dominus.* (Psal. 33, 9.) Suavis est se manducantibus cum fide ac amore; hi enim tantas ex hac mensa capiunt delicias, ut eas cum omnibus mundi voluptatibus non permutarent. Hic angelorum panis in ore ipsorum est manna coeleste, in quo longe uberius, quam Israelitae in suo, omne delectamentum reperiunt.

Quam suavis es, Domine, amantibus te et cum animi puritate te sumentibus! Unde autem venit, quod ego tam parum aut nihil harum experiar suavitatum? dubio procul inde venit, quod hae deliciae sint spirituales, ego autem adhuc carnalis.

O fons inexhauste omnis verae suavitatis! inspira mihi nauseam sensualium et amorem spiritualium, quas sanctae experiuntur animae, deliciarum.

PUNCTUM V.

Si mulier olim solo vestium Christi attactu sanata est a fluxu sanguinis, quis, obsecro, erit morbus spiritualis, cujus sanationem sperare non liceat, si non modo vestem, sed ipsum Christi corpus *tangam* cum fiducia? id quod praecipue in s. Communione me facere oportet et Jesum obtestari, ut os meum sacro ori suo admovere et inde spiritum vitae ac amoris attrahere permittat.

Effunde, o Jesu, de labiis tuis in os meum effunde pretiosum illud opobalsamum, quod omnes sanat morbos et omnes mitigat difficultates. Effunde in me salutarem gratiae tuae unctionem: da mihi osculum pacis, eamque me inter et Patrem tuum instaura: utque sit perpetua, indissolubile ejus vinculum esto: renova illud, quoties te in s. Synaxi tetigero: conjunge cordi tuo tam arcte cor meum in tempore, ut tecum sim unitus et unum cum Patre tuo et Spiritu S. in aeternitate.

Feria VI.

De Communione spirituali.

PUNCTUM I.

Initium hujus Communionis faciendum est ab actu *fidei* de ineffabili Eucharistiae mysterio, cui instituendae sociam contulerunt operam praecipue quatuor divinae perfectiones velut quatuor columnae, quibus fides nostra innititur: in ea, inquam, mirum relucent 1. *Dei sapientia* in adinvento tam stupendo animas nutriendi medio. 2. *Bonitas* ex fine ac intentione istud medium adhibendi. 3. *Omnipotentia* ad exequendum hoc miraculum applicata. 4. *Infallibilis veracitas* in facta hujus mysterii revelatione.

O quam firma et inconcussa sunt nostrae circa Eucharistiam fundamenta fidei! Quanta est certitudo simul nostra et consolatio credere mysterium, de cujus veritate nemo possit ambigere nisi qui ultro velit oculos tot luminibus claudere: Mysterium, quod nullus absque incomparabili fructu queat sumere!

Credo enimvero sine ulla haesitatione, quod sub nube accidentium verus lateat sol justitiae: quod ille, qui in s. hostia delitescit, Filius sit Dei vivi, infinite sapiens, immensus, aeternus, imo infinitus in omnibus suis perfectionibus: quod sit idem ipse, qui fuit natus in stabulo, a tribus magis adoratus, pro me cruci affixus, etc.

Tu adorande Servator, vere Deus simul et homo, tu ille ipse es, qui tuo me pretioso sanguine redemisti: qui aliquando meus eris judex et arbiter aeternae sortis

meae: tu es, quem agnosco, revereor, adoro in Eucharistia: licet te revelata facie haud videam, certissimus tamen sum, te realiter praesentem adesse, aeque misericordem in hoc amoris throno, ac in gloriae tuae solio. O quanto mihi est gaudio inaestimabile hoc bonum meo in exilio habere in manibus! eundem Deum, quem amabo et possidebo aeternum, jam nunc amare ac possidere! Ille nimirum, cujus amor ac possessio erit aeterna beatitudo mea, hanc jam anticipat, dum se totum mihi donat et mecum intime unit. Hac unione si non fruar per actualem Communionem, spirituali hujus desiderio illam nanciscor: et certus sum, quod ejus delicias et fructus per tuam gratiam et amorem possim degustare.

PUNCTUM II.

Fidem comitari debet *spes* fructus eucharisticos percipiendi et cum utraque haec virtus eodem nitatur fundamento, utraque pariter firmissima debet esse et inconcussa. Deus infinite sapiens, infinite benignus, omnipotens, suis in promissionibus infinite fidelis: hic, inquam, Deus in excellentissimo hoc amoris sui opere suos sapientiae, omnipotentiae, ac bonitatis thesauros, ut ita dicam, exhausit: et in nos non effundat? Imo quos in Eucharistia producit effectus multo luculentius manifestavit, quam ut dubitare possit aut fluctuare spes nostra. Dicamus ergo illi spe firma et filiali fiducia:

Dominus meus et Deus meus! firmissime spero, quod, si vivum hunc panem, qui de coelo descendit, manducem, victurus sim in aeternum: quod mansurus sim in te et tu in me: quod, sicut tu vivis propter Patrem, ego pariter propter te victurus sim: quod per merita tua sim obtenturus vitam aeternam, resuscitandus a te in novissimo die. O quam incomparabiles sunt gratiae, quas a Communione carnis tuae expecto! carni meae conferet puritatem angelicam, spiritui laetitiam, facultatibus animae sanctificationem, mihi vitam prorsus coelestem.

Hoc ipsum (servata proportione) possunt ac debent sperare, quos non negligentia aut conscientiae reatus, sed obedientia, filialis reverentia, aliave justa ratio subinde a mensa eucharistica arcet aut impedit.

Infinitae bonitati tuae vim, Domine, ac injuriam infert, qui credit, quod tuarum distributionem gratiarum solum actuali hujus sacramenti susceptioni alliges. Illo carere sat grave tuis accidit servis sufficitque, ut te ad commiserationem et ad satiandam eorum famem commoveat. Non, mi Deus, non dimittis famelicos, contentus desiderio et praeparatione cordis eorum, ita, ut, qui mensa tua vellent, at non possunt frui, saturare et gratiae tuae, qui est pretiosus Eucharistiae fructus, participes reddere non desinas.

PUNCTUM III.

Denique ignem *caritatis* oportet excitare, considerando prodigia, quae Christus in hoc sacramento operatur ad demonstrandum nobis amorem suum. Actus autem hujus caritatis, quae Deo nos unit, sunt 1. *gaudere*, quod perfectiones divinas in hoc mysterio videamus elucescere: 2. *laudare* admirabilem Christi erga nos benignitatem: 3. *desiderare* indissolubilem cum illo unionem: 4. *optare*, ut ejus potestas, regnum, honor, cognitio, amor in omnes late terras diffundatur, corda omnium convertantur in meras fornaces amoris, respondentis amori, cujus adeo luculenta in hoc sacramento nobis praebet indicia.

Et quid reddemus tibi, Jesu dulcissime, pro tanto caritatis tuae excessu? Nimiumne foret, anima mea, totos devovere nos Deo, qui totum se donat nobis? aut an non diligemus adeo tenere nos diligentem? Ille est ubique amabilis: hic autem per eminentiam: hic est velut centrum omnis suae bonitatis: numquid ergo justum et aequum est, ut sit pariter centrum cordis et amoris nostri?

Utinam te semper amassem, o Deus, ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente et ex totis viribus meis! Utinam amassem, quantum amari mereris! Utinam cor meum amore tuo penitus esset repletum! Expelle, ah! omnem creaturarum amorem expelle de meo corde, tuque illud occupa totum ceu absolutus ejusdem Dominus. Istud ni fiat, sane indignus sum, qui gratiae auctorem recipiam.

Sabbato.

De praeparatione ad s. Communionem.

CONSIDERA I.

Ut digne ad eam te praepares, *quis venit ad me?* Nostine, anima mea, quod, qui venit ad te, sit *unigenitus Filius*, *qui est in sinu Patris* ab omni retro aeternitate? qui dein homo factus in tempore, novem mensibus incoluit uterum beatissimae Virginis etc.? Hic Deus-Homo, natura divina Patri aequalis, natura humana tot prodigiorum patrator, non contentus, semel in utero Virginis incarnatum fuisse, suo modo quotidie de novo incarnatur in corde communicantium.

Quale autem quantumque est prodigium, o Deus, quod Deus majestatis, qui totum implet universum; Deus, quem coeli et terra capere non possunt, eo se demittat, ut pauperem creaturam subire dignetur et incolere! quod ille ipse, quem amor e coelo in uterum Virginis, ex hoc in stabulum, ex stabulo in cruentam circumcisionis, ipsiusque crucis aram pertraxit: quantum, inquam, prodigium, quod hic Deus amoris eo usque suam provehat caritatem, ut meus fiat cibus! Stupendam hanc veritatem quod nobis persuadere possit, nihil est in orbe, nisi sola fides: et nemo non admirabitur, nisi mentis sit stupidae: nemo non amore colliquescet, nisi cordis sit omni lapide durioris.

Qui ego, o Deus ter optime maxime, qui ausim ad eum accedere, qui tremore concutit ipsas coeli columnas? Imo qui non ausim eum adire, qui tot facit saltus, ut possit venire ad me?

Accedam, Domine, accedam ad te, quoniam ita jubes: at accedam cum omni reverentia ac spe, omnibus animae infirmitatibus me liberatum iri; illum enim accedo, qui Joannem Baptistam sanctificavit adhuc in utero matris suae: illum, cujus solo attactu innumeri sanabantur aegroti: illum, *de quo* ubivis locorum *virtus exibat et sanabat omnes*. Papae! hic ipse Deus, qui totus est bonitas et omnipotentia, cor meum subeat, quin ullum omnipotentiae ac bonitatis suae producat

effectum? Ah! miraculum id foret, Domine, omnibus, quae patrasti unquam, miraculis majus, miraculum non tuae potentiae, sed meae malitiae.

Ah Domine! ne permittas unquam miraculum adeo monstrosum, tuae contrarium misericordiae! Ostende potius, nullum esse obstaculum, de quo tuus non triumphet amor: et ex peccatore, qualem me profiteor, sanctum efficies, qui ob conversionem suam tibi erit aeternum obstrictissimus.

CONSIDERA II.

Ad quem venit hic Deus ter optimus maximus? Scilicet ad vilem creaturam, cujus origo est nihilum: materia, limus et lutum: cujus haereditas est ignorantia mentis, malitia voluntatis, imbecillitas ad omne bonum, pruritus ad omne malum et absoluta vel minimam, quae coelum mereatur, actionem producendi impotentia.

Itane vero, quis tu sis, quis ego, oblivisceris, o Deus, dum venis ad me? an non recordaris, quod tu ipsa sis majestas, ego ipsa vilitas? tu creator omnium, ego abjectus terrae vermiculus? tu Deus omnis sanctitatis, ego fons omnis corruptionis? tune subibis domum angustam, immundam, male instructam, qui coelum inhabitas stellis exornatum, ubi purissimi sine numero spiritus tibi famulantur? O Deus virtutum, qui *non horruisti castum Virginis uterum*, non horrebis animam, millenis contaminatam maculis? cor tot terrenis corruptum affectibus? O quam merito vocaris Deus misericordiarum, quia non dedignaris habitare in medio tot miseriarum! Si ratum tibi fixumque est venire ad me, animam prius meam expurga, tuisque ita gratiis exorna, ut dignum tui habitaculum efficiatur: *inclina coelos tuos et descende* in cor meum (Psal. 143, 5.): at fac simul tecum descendere virtutes, quae illud exornent: vivam scilicet fidem, spem firmam, humilitatem summam, ut ita exornatum paradisus fiat, rege gloriae dignus.

Tu vero, divine Spiritus, Spiritus amoris et puritatis, *qui gloriosae Virginis Mariae corpus et animam, ut dignum Verbi incarnati habitaculum effici mereretur*, tuis praeparasti donis, meam quoque animam ita exorna, ut ejusdem mereatur effici sanctuarium.

CONSIDERA III.

Quomodo et cur venit ad me Deus? Suffecisset, si modo, ut in vita olim, praesentem se nobis in Eucharistia et aspectabilem praebuisset, aut accessum ad se permisisset, ut parvulis quondam permiserat, dicens: *Sinite parvulos venire ad me:* vel denique si nobis, ut haemorrhoissae, copiam fecisset tangendi vestimenta ejus. Haec, inquam, satis superque nobis fuissent, utpote vel isto indignis honore: at satis non erant ejus amori, nisi intime nobis uniretur. Hinc se nobis tradit in cibum, nobis incorporatur et unum corpus nobiscum efficitur.

Et *quem* ista in *finem?* ut nos deificet, in homines mutet plane divinos, suas nobis communicando perfectiones, uti cibus suas manducanti communicat qualitates.

Anima mea! quam mirabilis et amabilis est haec Dei benignissimi inventio! Ut veterem, terrenum et carnalem Adam in te destruat, novi hominis et spiritualis Adam carne te nutrit! Potestne autem vetus hominis corruptio componi ac simul stare cum remedio tam praeclaro, tam efficaci, tam divino? Israelitas a lethifero serpentum morsu sanabat solus aenei serpentis aspectus, qui tamen rudis solum erat figura Christi in crucem suffixi: et te, o Jesu, in Eucharistia *realiter* praesentem teneo, manduco, totum possideo: et non sanabor a meis animae infirmitatibus ac morbis?

Ah! Servator amantissime! aspice, quaeso, fatales, quas stygius serpens mihi inflixit, plagas: tu eas pretioso sanguinis tui opobalsamo obduces. Dic mihi, quod de servo reguli olim dixisti: *Ego veniam et curabo eum.* (Matth. 8, 7.) Veni igitur sine mora: et reddes levamen misero, solatium pusillanimi, pacis osculum inimico, vitam mortuo, mutabili constantiam in sanctis propositis et hac ratione me tibi copulabis vinculo aeterni amoris.

Dominica II. post Pentecosten.

De invitatis ad nuptias seu coenam.

(Matth. 22, 2. sq.)

PUNCTUM I.

Simile factum est regnum coelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo et vocavit multos ad illas.

Pater aeternus, rex coeli et terrae, sola bonitate sua et misericordia voluit, ut Filius suus non angelicam, quae tamen ob nobilitatem et pulchritudinem suam multis parasangis praeferenda videbatur, sed humanam sibi naturam hypostatica seu personali unione desponsaret. Ulterius progressa est Patris caritas, utpote volentis, ut idem Filius Ecclesiam assumeret in sponsam, seque animabus justorum, veluti dilectis sibi sponsis, quam arctissime uniret. Tandem in solemni nuptiarum die colophonem bonitati suae addidit per magnificentiam convivii, quod instruxit hominibus, apponendo *triplicem cibum:* videlicet *coelestis doctrinae* suae, *consiliorum* et *sacramentorum*, praesertim Eucharistiae, in qua ipse sponsus pretiosissimum corpus et sanguinem suum praebet in ferculum.

Huc animum et oculos adverte, anima mea, ut clare videas, quantum pro vili creatura sese rex regum demittat. Potesne non obstupescere, quod suprema majestas honorem adeo incomparabilem terrae vermiculis dignetur exhibere? Quanta ergo tua debet esse gratitudo erga Deum, qui, licet vilissimus sis et indignissimus, te intima secum unione et amicitia vult honorare, mensae suae participem reddere, sacrosancta Filii sui carne nutrire?

O immensam Dei caritatem! O incomprehensibilem misericordiam! O regale convivium! *Beati, qui ad coenam nuptiarum Agni vocati sunt!* (Apoc. 19, 9.) ad coenam, ad quam ipse Agnus dei et invitat et vere manducatur in ea: ad coenam, in qua convivae pretioso hospitis sanguine et mystico divinae caritatis vino sancte inebriantur!

Accende, mi Deus, in meo intellectu lumen fidei, in voluntate ignem amoris, ut ille stupenda Eucharistae

prodigia rite agnoscat, cor autem, ab omni terreno affectu purgatum, ineffabilibus Eucharistiae deliciis dignum reddatur.

PUNCTUM II.

Plures autem ex invitatis *nolebant venire* . . *Tunc ait rex servis suis: Nuptiae quidem paratae sunt: sed qui invitati erant, non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus viarum et quoscunque inveneritis, vocate ad nuptias.* Imperata fecerunt servi: *et impletae sunt nuptiae discumbentium.*

Considera modo, quaenam potissimum ab usu et fructu coelestis convivii nos impediant: et sunt teste S. Luca (c. 14, 18. sq.) haec tria, per triplicem invitatorum excusationem adumbrata. *Primus dixit: Villam emi et necesse habeo exire et videre illam. Rogo te: habe me excusatum. Et alter dixit: Juga boum emi quinque: et eo probare illa. Rogo te: habe me excusatum. Et alius dixit: Uxorem duxi: et ideo non possum venire;* h. e. *superbia vitae*, *concupiscentia oculorum* et bonorum terrae *et concupiscentia carnis* (quae tria vitia mundum inundant) communissima sunt gratiae obstacula, quibus irretitos terribilis illa manet sententia: *Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum gustabit coenam meam.* (Luc. 14, 24.)

Quam beati autem sunt illis suffecti *pauperes, debiles, claudi*, quos mundus despicit! En! hi sunt ipsissimi, quos rex regum deligit et suae adhibet mensae. Despicit superbos, divites, voluptuarios, amore saeculi plenos: diligit autem humiles, pauperes spiritu, corde mortificatos. Hic est pusillus fidelium grex, quos hic sua dulcedine, ibi aeterna replet gloria.

Deum immortalem! quam deploranda est eorum sors et caecitas, qui inanem gloriolae umbram, perituras opes, foedas corporis voluptates vero honori, aeternis opibus et solidis animi deliciis anteponunt! Contra quam felix est, qui mature, cognitis mundi erroribus et falláciis, vias ingressus est, quas divina illi sapientia designavit. O quam immensum tibi, Domine, obstricti sumus nos religiosi, quia ad te tuamque in domum clementissime pertracti: ubi tu ipse tantis nos tamque profusis

cumulas favoribus, ut nemo, nisi expertus, possit mente assequi, nedum lingua exprimere.

PUNCTUM III.

Intravit autem rex, ut videret discumbentes: et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali: et ait illi: Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? Tunc dixit rex ministris: Ligatis manibus et pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores.

Nimirum ut fideliter respondeamus divinae vocationi, satis non est solam habere fidem. Opus est praeterea vestiri *veste nuptiali*, h. e. caritate et cordis puritate, quae hominem reddunt dignum, ut nuptiis interesse ac Deo invitanti possit placere. Ea veste destituti divinam inhonoramus mensam, indigni manducare panem angelorum. Deinde si Dominus, qui ad coenam invitavit, aegre tulit repulsam et frivolas repulsae excusationes, quantum offendetur temeritate et sacrilegio indigne accedentium cum peccato mortali?

Sed attentius verba expendamus regis, temeritatem, quod unus sine nuptiali veste accubuerit, reprehendentis. *Amice*, ait, *quomodo huc intrasti?* quo dicit vilis quidem es servus: te tamen ut amicum ad regiam invitavi coenam: unde ergo tantum tibi audaciae et temeritatis, ut eam veste lacera, indecente, sordida adire non reformides! Quis jam explicare possit, quanto pudore afficiendus sit infelix peccator, sacrilegus sacerdos, impius religiosus, qui cum exigua tanti mysterii aestimatione ac reverentia, imo in statu peccati mortalis s. Synaxin frequentarunt? Pro! quantum confundentur, si judex divinus in die judicii sacrilegum rei omnium sanctissimae abusum eis in ira indignationis exprobrabit, dicens: Amice, qua fronte ausus es altare coelestemque mensam accedere sine nuptiali veste, sine gratia habituali, sine caritatis virtute? Heu! quanta ingratam ejusmodi animam opprimet desperatio, quando a judice ministris justitiae et furoris tradetur?

O Jesu! noli, quaeso, reprehensionem meam differre usque in illud fatale momentum, quia tunc non amplius emendationi erit locus. Doce me quanto in pretio ac

veneratione debeam habere s. Eucharistiam et quam immensa sit obligatio mea, nunquam divinae accumbendi coenae, nisi rite fuero dispositus per summam cordis puritatem et per ardentissimos caritatis actus. Emunda cor meum per gratiam tuam et tui amoris igne inflamma: omnibus, quae tibi sunt carissimae, virtutibus exorna, ut, postquam in terris fuero digne coena corporis et sanguinis tui fruitus, aeternum in coelis gloria tua frui merear.

Feria II.

Gratiarum actio post s. Communionem.

PUNCTUM I.

Simul ac Deum tuum in visceribus receperis, te ipsum ingredere et tacite oculis fidei realiter praesentem Dei Filium intuere: recogita infinitas Dei-Hominis perfectiones. Dein ad pedes ejus prostratus et ineffabili tantae majestatis demissione attonitus summa cum reverentia dic vel cum S. Petro: *Exi a me, quia homo peccator sum, Domine!* (Luc. 5, 8.) Vel cum S. Elisabeth: *Et unde hoc mihi, ut veniat Dominus*, Deus et Servator *meus ad me?* (Luc. 1, 43.) vel cum David: *Quid est homo, quo memor es ejus? aut filius hominis, quoniam visitas eum?* (Psal. 8, 5.)

Mox progredere ad actus adorationis, laudis, gratiarum actionis, nunc exclamando cum Seraphinis: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum:* nunc te associando pueris Hebraeorum Christo Solymam ingredienti festive acclamantibus: *Benedictus, qui venit rex Israel in nomine Domini.* Praecipue ad glorificandum, qui te dignatus est visitare, Deum exemplo trium puerorum in fornace singillatim omnes creaturas, choros angelorum, patriarcharum, Apostolorum etc. invita, dicens: *Benedicite omnia opera Domini Domino* etc., aut cum David omnes tuas facultates excita: *Benedic anima mea Domino et omnia, quae intra me sunt, nomini sancto ejus.* (Psal. 102, 1.)

Non tamen opus est in multa verba linguam solvere.

Humilitas et silentium, admiratione, reverentia et amore plenum, est quaedam gratitudinis ac laudis species, non minus Deo honorifica, quam homini utilis, imo plerumque aliis precibus utilior.

PUNCTUM II.

Post exsolutum Deo reverentiae, laudis et amoris tributum te ad colligendos Eucharistiae fructus converte. 1. Tenerrimo cordis affectu tuum amplexare dilectum, supplex, ut te sibi uniat quam arctissime. Ideo cum sponsa dic illi: *Inveni, quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam.* (Cant. 3, 4.) 2. Pete ab ipso gratias ad continuandum aeternam cum ipso unionem necessarias. 3. *Effunde in conspectu ejus orationem tuam* (Psal. 141, 3.) cum corde tuo, et *tribulationem tuam*, infirmitates animae ac necessitates tuas spirituales *ante ipsum pronuntia* jam singillatim, ceu ingnoraret eas: jam confuse ac generatim, contentus ei cum sororibus Lazari dicere: *Ecce! quem amas, infirmatur* (Joan. 11, 3.): quibus verbis tantundem significatur, ac si diceres: Ille, quem amas, infirmus et obnoxius est irae, ambitioni, superbiae, socors in observandis ordinis sui constitutionibus, negligens in exercitiis pietatis, in tuo amore tepidus etc. Mihi crede: ista precandi ratio vim amicam cordi Jesu infert, jam aliunde miseriis suorum magis ad commiserationem permoveri assueto, quam ut solamen aut medelam diu suspendat. Muta haec fiducia adeo eloquens est et efficax, ut non possit Deum ad misericordiam non commovere.

Equidem de hoc nullus dubito, Domine, post tot ac tanta tui erga me amoris argumenta. Utique amantissime veniens ad me dices, quod veniens ad Zachaeum quondam dixisti: *Hodie salus domui huic facta est.* (Luc. 19, 9.) Ita est: benedices mihi, Domine. Si renueres, ne ego te meis inclusum visceribus, ut angelum Jacob brachiis, arcte stringerem, *nec dimitterem, nisi* copiose *benedixeris mihi.* (Gen. 32, 26.)

PUNCTUM III.

Aequitas tandem postulat, ut tanto hospiti munus aliquod offeras in signum grati animi ob acceptum tam

insigne beneficium: et sicut ille se totum in Eucharistia tibi dedit, omnium, quae dare poteris, donorum longe gratissimum erit cor tuum: hoc unum ante omnia quaerit ac petit toties ingeminans: *Praebe, fili mi, cor tuum mihi.* (Prov. 23, 26.)

Imo cor meum, Jesu amantissime, jam aliunde infinitis tuum est nominibus: totum illud tibi consecro: respice velut donum, quod absolute tuo est in dominio. Noli admittere, ut vel profana cogitatio, vel ulla terrestris affectio illud porro subeat.

Vult praeterea nostrum sibi corpus offerri *in hostiam viventem, sanctam, Deo placentem.* (Rom. 12, 1.) Numquid autem justum et aequum est, ut, qui ex mera bonitate cor meum intravit, constanter illud possideat et ad testandam realem praesentiam suam illi notas et vestigia suae mortificationis crucisque imprimat?

Denique offeramus ei, quae novimus, quod exigat a nobis: scilicet nostrorum, si religiosi sumus, observationem ac renovationem votorum, perfectam omnium, quae cor nostrum ab ejus amore possent avertere, abnegationem cum vero vocationi nostrae respondendi desiderio, victoriam passionum, earum maxime, quas divinae circa nos providentiae ut plurimum obstare scimus.

Hos ipsos grati animi et laudum affectus per diem reliquum foveamus sedulo, dicentes cum sponsa: *Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi* hodie erit (Cant. 1, 12.): aut cum Apostolo: *Vivo autem, jam non ego: vivit vero in me Christus.* (Galat. 2, 20.)

Feria III.

De conversione vini in sanguinem Jesu Christi.

Vide meditationem die Veneris post Sexagesimam pag. 154.

Feria IV.

Quid sacramentales significent species.

PUNCTUM I.

Cum Christus vere et re ipsa sit totus et integer sub utraque distincta specie panis et vini, cur, *praecise*

vi verborum consecrationis, voluit *solum corpus* suum poni sub speciebus panis, *solum sanguinem* sub speciebus vini? 1. Ut plenum et perfectum nobis pararet convivium, atque adeo se daret in cibum et potum. 2. Et praecipue, ut passionem suam, ubi totus ejus sanguis violentia tormentorum effusus et a corpore fuit separatus, nobis manifestiorem redderet et crudelem hanc separationem, quam nostri amore sustinuit, assidue ante oculos nostros poneret.

Atque hoc ipsum meditari debemus, accedentes templum, Missam, s. Synaxin, nobisque imaginari, quod tristi spectaculo mortis Jesu Christi in monte Calvariae assistamus. Cum ergo hostia et calix separatim in altum tolluntur, miserandum Christi statum, quando ultimam sanguinis guttam in cruce fudit, considerare oportet, ac velut oculis intueri sanguinem, pleno alveo ex quinque vulneribus defluentem, et mente devotissima dicere:

O sacrosanctum corpus, sanguine et viribus exhaustum! O s. victima redimendis hominibus immolata. O pretiosissime sanguis, de venis Jesu mei in remissionem peccatorum et salutem animarum profluens! quanta possum devotione adoro et glorifico te. Tibi vero, Redemptor amabilissime, tibi millies milliesque ago grates, quod ex immenso amoris excessu insons corpus tuum adeo horrendis doloribus immolaveris et sanguinem ad abluendos peccatores effuderis. Gaudeo summopere, quod hujus rei memoriale perpetuum in sacrificio missae reliqueris. Licet autem illud non reliquisses mihi, ingratissimus tamen mortalium forem, si tanti unquam beneficii oblivisceretr.

PUNCTUM II.

Cur autem Christus sub speciebus panis et vini esse voluit *modo prorsus invisibili*? Si cor Christi consulimus, id fecit *ex humilitate;* sicut enim in mysterio incarnationis sub vili humanitatis suae tegumento divinas perfectiones suas occultavit, ita in sacramento Eucharistiae sub velamine panis et vini celat, quidquid magnificentiae divinitas simul et humanitas possidet. 2. *Ex zelo*, ad continuandum fidei nostrae exercitium et ad meritum ejus augendum; hinc ab Ecclesia vocatur

mysterium fidei. 3. *Ex amore*, ut nobis naturalem eximeret horrorem se manducandi, sicut revera in se ipso est; secus enim vix ausi fuissemus eum accedere, nedum manducare: tantam divinae personae reverentiam et sacrum horrorem nobis incussisset augustissima ejusdem praesentia.

O admirandum sapientiae ac bonitatis Christi inventionem, se ita sub sacramentalibus occultantis speciebus, ut nos doceat humilitatem, fidem acuat magisque meritoriam reddat, metum adimat se adeundi, familiariter secum agendi et ex corpore ac sanguine suo nobismet ipsis, quoties libuerit, magnificum instruendi convivium.

Humillime Jesu! sincerum mihi inspira desiderium in oculis hominum latendi tuoque exemplo abscondendi, quidquid vanum apud illos honorem mihi posset conciliare. *Vere tu es Deus absconditus*, at non minus propterea adorandus. Te agnosco, o sol justitiae, te supplex adoro, licet nubes specierum meis te eripiat oculis. Enimvero credo firmissime, id, quod video, non esse vulgarem et terrenum panem, sed esse *panem vivum, qui de coelo descendit* (Joan. 6, 41.): scilicet te ipsum esse, Filium Dei vivi: *Splendorem gloriae Patris et figuram substantiae ejus.* (Hebr. 1, 3.) Benedictus sit in aevum, o Deus, amor tuus, qui te cogit tui ipsius oblivisci et tuam quodammodo annihilare majestatem, ut nostrae vilitati te accommodes, tui splendorem vultus celando, ne caecutientes talparum, quales nos sumus, oculos penitus excaecet.

PUNCTUM III.

Denique cur voluit Christus *sub speciebus panis et vini* potius, quam sub alia re aspectabili se nobis dare? Ut summa, qua fieri potest, unione nobis conjungeretur; quid enim homini magis intime unitur, quam cibus e potus, qui in ipsam aliti hominis substantiam transeunt: Ita est: nostri amantissimo Servatori satis non erat *prope nos* manere: voluit ad nos ipsos intrare et hac ratione intimam perfecti amoris unionem consummare, imo neque ista contentus unione, eosdem praeterea, quos in corpore producunt panis et vinum, effectus

producit in anima: nutrit me, conservat, roborat, laetificat, suasque mihi proprietates ac virtutes affatim communicat. Porro sicut panis fit ex pluribus granis, vinum ex pluribus acinis in unam massam compactis, ita vult Christus, ut corpus et sanguinem ejus communicantes caritatis vinculo inter se uniti, cor unum sint et anima una: quae caritatis unio fuit scopus et finis Christi Eucharistiam instituentis.

Itane vero, mi Jesu! oblivisceris, quis tu sis, quis ego? oblivisceris, te Deum esse et conditorem totius universi, me autem creaturarum abjectissimam? Quid, amabo, quid vides in me, quod ad tam arctam mecum unionem te possit impellere? Grates tibi ago demississimas pro infinita hac bonitate, per eandem te obtestans, ut in me, quod tuus intendit amor, impleat, scilicet adeo arctam tecum unionem, ut me nihil amplius a te possit separare.

Feria V.

Octava Corporis Christi. De supplicatione publica cum Venerabili.

PUNCTUM I.

Jesus renovat hodie, quod olim in vita sua fecerat. *Circuibat omnes civitates et castella*, pagos et oppida Judaeae: ingrediebatur synagogas et domus privatas: frequenter intravit templum in Jerusalem: *pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo.* (Act. 10, 38.)

Nonne prorsus idem facit hodie, dum per templa, vicos et compita circumfertur? Quot gratias in illos profundit, qui realem ejus in Eucharistia praesentiam fide viva credentes eum accedunt, comitantur, adorant, laudant et glorificant? Gratia non est, quam non conferat ex devotione, non ex curiositate, huic supplicationi assistentibus.

Videamus jam, quo spiritu nos assistamus. Si tam copiosas, quibus justos complere Christus solet, gratias non experiamur, exiguo solum fervori nostro et languidae,

quam ad festum adeo solemne afferimus, religioni adscribendum.

Liberalissime Redemptor, qui prodigia, olim a te facta, hodie innovas: pro novis quotidie amoris tui erga nos argumentis immensas tibi grates ago, immensas pro summa bonitate, quod nobiscum manere, vicos, plateas et domos nostras tua honorare praesentia, spiritualibus donis ac thesauris cumulare digneris. At, Servator amantissime, egone sim solus, tuae haud particeps liberalitatis? Ah! memento, te Filium esse Patris, *qui solem suum oriri facit super bonos et malos et* gratias *pluit super justos et injustos.* (Matth. 5, 45.) Tua bonitas non magis contracta est illius bonitate: tu non minus ac ille misericordiarum Deus es: atque hoc ipsum mihi, licet indignissimo, spem facit bonitatis tuae effectus experiundi.

PUNCTUM II.

Quae ad laudem et honorem Jesu Christi hodie facit Ecclesia, sunt viva imago Christi, triumphantium in morem die Palmarum Solymam ingressi. Intrabat eam paupere cum apparatu ac pompa, mitis et humilis corde, longissime remotus a pompa et fastu principum terrae: neque tamen omni splendore ejus caruit triumphus. *Turba multa, quae venerat ad diem festum, acceperunt ramos palmarum et processerunt obviam et clamabant: Hosanna, benedictus, qui venit in nomine Domini, rex Israel!* (Joan. 12, 12. sq.) Alii autem, qua incedebat Jesus, teste S. Luca, *substernebant vestimenta sua in via.*

Vides imaginem eorum, quae contingunt hodie, cum venerabile Sacramentum insigni pompa per omnes catholici orbis civitates etc. circumfertur? Jesus tenetur manibus sacerdotum, sub speciebus panis absconditus sine alio realis praesentiae suae indicio, quam quod sit *mitis et humilis corde.* Interea omnes Christi fideles, summi quoque principes ac reges debitos illi honores certant exhibere, magnifica ejus honoribus erigunt altaria: plateas et compita, per quae circumfertur, pretiosis exornant peristromatis: arae et tabernacula, ubi repo-

nitur, fulgurant gemmis, innumeris splendent luminibus; aër resonat divinis ejus encomiis, laudibus, canticis; reboat festivo tormentorum et catapultarum applausu etc.

O jucundam et laetam diem te amantibus, Domine! O diem, illa, qua Solymam ingressus es, millies feliciorem; honor siquidem, ab Ecclesia tibi hodie exhiberi solitus, non debet tristibus excipi et corrumpi fatis. Contra Jerusalem te honoravit, ut paulo post ignominiae tuae, cum iis honoribus compositae, velut contraria juxta se posita, magis elucescerent et adaugerentur. Secure his fruere honoribus, ad quos tibi exhibendos omnem operam et nervos hodie intendimus et quotannis per reliquam vitam intendemus. Neque nostra dumtaxat vestimenta, sed nosmetipsos tuis substernimus pedibus, sanctissime promittentes, nos tibi quam perfectissime subjectos fore. Quodsi passiones nostrae contra te et leges tuas caput et cristas audeant erigere, nulli parcemus labori ac industriae, ut tuo eas imperio ac ditioni subjiciamus: et sicut per gratiam tuam hac in pugna non dubiam speramus victoriam, ita totum triumphi honorem tibi adscribemus, junctis vocibus decantaturi: *Te Deum laudamus*.

PUNCTUM III.

Considera, quod Pater coelestis per honorificam hujus diei solemnitatem ac pompam remunerari et compensare velit tot ignominias tantaque probra, quae Christus Jerosolymis in viis, compitis et tribunalibus, per quae circumraptabatur, olim sustinuit. Vult Pater divinus, ut collucentibus taedis ac luminibus circumferatur suus in Eucharistia Filius; ad significandum, quod Deus hic, sub nube sacramenti absconditus, sit *lux mundi*. Vult, ut summa cum reverentia eum comitemur, velut in triumpho circumducamus, sub pretiosa umbella omnium oculis exponamus, ut suum quilibet cultum et homagium ei praestet.

Haec, inquam, est voluntas Dei Patris, in Assuero praesignificata respectu illius, qui infinite majorem, quam Mardochaeus, meretur honorem, gloriam et praeconium illud: *Sic honorabitur, quemcunque voluerit rex* regum *honorare*. (Esther 6, 9.)

Et vero quam dignus est omni honore hic Deus amoris, propter nos adeo se humilians! Si David suo desiliit throno, regia exuit insignia, cytharam arripuit, suis se immiscuit servis, ut arcam honoraret, umbratilem illam Dei eucharistici figuram, quid non agendum nobis, ut vivam hanc novi Testamenti arcam pro viribus honoremus?

Pater aeterne! benedicant te coeli et terra, quod Filio tuo, post toleratas olim tot ignominias, nunc solemnes triumphos et honores publicos adornes.

Ego autem, Servator amantissime, explicando non sum gaudio, quod videam totum, qua late patet, catholicum orbem in id conspirasse, ut in debitam gratiarum actionem omnem sibi possibilem cultum, honorem et gloriam tibi rependat. Ego certe in genua prostratus divinam majestatem tuam flexo poplite adoro. Seniores in Apocalypsi *mittebant suas* viginti quatuor *coronas ante pedes tuos.* Ego felicissimum me crederem, si omnes totius mundi coronas possem tuis substernere pedibus. Iisdem etiam cor meum cum omnibus Ecclesiae tuae filiis supplex substerno, illud cum summa animi demissione tibi offerens in tributum honoris, grati animi et amoris, tot nominibus tibi debitum, quot pro me sustinuisti opprobria.

Feria VI.

Tres caeremoniae, a Christo in Eucharistia instituenda observatae.

Vide meditationem Feria II. post Dominicam Quinquagesimae pag. 160.

Sabbato.

Potestas consecrandi data Apostolis et sacerdotibus.

PUNCTUM I.

Christus Dominus, postquam Eucharistiae sacramentum instituit, suis dixit Apostolis: *Hoc facite in meam commemorationem* (Luc. 22, 19.): ex quibus verbis satis constat, quod Apostolis dederit potestatem *idem*

faciendi, quod ipse fecerat: h. e. convertendi panem in corpus et vinum in sanguinem suum, simul tam ipsis, quam aliis sacerdotibus, Apostolorum successoribus, praecipiens, ut idem, quod ipse fecit, *eodem* facerent *modo*, quo fecit ipse. Inde mirum in modum elucet caritas Jesu Christi, eo quod hominibus, non angelis, tantam in corpus suum potestatem voluerit concedere, ut in Christi nomine ac persona possint cum omni veritate dicere: *Hoc est corpus meum:* atque ita promissum Christi verificare: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi.*

Perpendistine unquam, anima mea, quousque ista Servatoris munificentia sit progressa? Equidem stupenda fuisset, si unico tantum anni die, festo singulari, in unico solum orbis loco, per unicum dumtaxat sacerdotem se nobis daret: quod autem omni tempore, per quemvis sacerdotem, quoties ad aras operatur, in omni loco, sine ulla pagi etiam pauperrimi exceptione, se veluti reproducat Christus: hoc enimvero nostram exsuperat admirationem et intellectum.

O infinitam Servatoris mei liberalitatem! O immensum caritatis Christi pelagus! At o incomprehensibilem pariter hominum ingratitudinem, stupendam hujus beneficii magnitudinem parvi pendentium, ejus auctori adeo exiguas reddentium grates! Ergone nostra erga te ingratitudo, o Deus, crescet aut crescere debebit secundum mensuram et proportionem tuae erga nos bonitatis? Felices profecto illos, qui excessum amoris tui rite aestimantes, nullum ex parte sua modum aut finem ponunt actionibus gratiarum, tuaeque zelo gloriae. Eum in finem me totum tibi consecro, o Deus, benigne istud sacrificium suscipe et desiderium, quo totus cupio esse tuus per omnem vitam, sicuti tu meus esse dignatus es omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.

PUNCTUM II.

Christus Dominus communicando Apostolis eorumque successoribus potestatem convertendi panem in corpus, vinum in sanguinem suum, instituit simul et *sacramentum* et *sacrificium*. Et quidem istud sacrificium, praeter quod

jam aliud non est in nova lege gratiae, eminenter et perfectissime in se continet omnes sacrificiorum antiquae legis perfectiones; est enim 1. *eucharisticum* in gratiarum actionem pro acceptis omnibus beneficiis. 2. *Propitiatorium* in remissionem peccatorum. 3. *Impetratorium* ad impetrandas, queis indigemus, gratias, bona corporis et animae.

Deum immortalem! quantum nobis solatium debet afferre, quod in hoc sacrificio et sacerdotem simul et victimam habeamus ipsum Dei Filium, quod Patri aeterno *in sacrificium*, h. e. in agnitionem infinitae Dei excellentiae ac majestatis, et in signum summae subjectionis et gratitudinis nostrae offerre possimus, quod omnium ipsi carissimum est, unigenitum videlicet ejus Filium, verum Deum et hominem, de quo ipsemet: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* (Matth. 3, 17.) Qualenam ergo peccatum dari poterit adeo enorme, cujus remissionem sperare non liceat per sacrificium Dei, pro peccatoribus immolati? quis languor, infirmitas, morbus spiritualis, qui non sanetur, applicando pretiosissimum ejus sanguinem? quae gratiae adeo extraordinariae, quas non obtineat a Patre misericordiarum oblata tam cara ei victima?

O Pater aeterne! si adeo grata tibi fuit innocentis Abel oblatio, per fratris sui Cain invidiam trucidati, quanto acceptior tibi debet esse oblatio innocentissimi Filii tui Jesu, quem invidia fratris sui, populi, inquam, Hebraei, tam tenere amati, interfecit! Ingratissima haec gens per invidiam illum mactavit, qui ultro sanguinem suum in redemptionis nostrae lytrum, seque in mortem dedit, ut nobis redderet vitam. Accepta igitur, o Pater tam bone quam juste, istud sacrificium in meorum remissionem peccatorum: accepta in debitam gratiarum actionem pro collatis mihi beneficiis et ob ejus merita, qui offertur, largire mihi gratiam te amandi in vita et te aeternum possidendi in gloria.

PUNCTUM III.

Praecepit autem Jesus, ut hoc sacrificium fiat in sui memoriam: *Hoc facite in meam commemorationem:*

h. e. in memoriam cruenti illius, quod ipsemet in cruce obtulit, sacrificii, cujus imago, perseverantia et continuatio est incruentum Missae sacrificium, figura simul et figuratum, sine sanguinis tamen effusione: caetera utrumque prorsus idem est sacrificium, cui proin assistere oportet eadem devotione ac animi teneritudine, qua morti Jesu Christi in monte Calvariae cum b. Virgine, cum SS. Joanne et Magdalena adstitissemus.

Itane sumus constituti, dum legimus Missam vel audimus? facimusne id *in memoriam* Jesu Christi et passionis ejus, quos amoris grative animi affectus huic victimae, pro salute nostra immolatae, rependimus? Cum sciamus, divinum hunc Servatorem in terras delatum et in cruce mortuum non modo, ut nos redimeret, sed ut omnium virtutum exemplar nobis fieret: consideremus eum in altari ceu throno ut magistrum omnimodae perfectionis: imaginemur nobis secreto dicentem: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* (Matth. 11, 29.): et toto cordis affectu ei respondeamus:

Grates tibi habeo immortales, o Jesu, quod volueris semper nobiscum manere, ut nunquam non possimus tua frui praesentia, quotidie passionis tuae fructus colligere et tuis e doctrinis in via virtutum proficere. Silentium illud, quod sub sacramenti speciebus tenes, docet me esse collectum animo, mitem, patientem et corde humilem. Has virtutes cordi meo imprime, ut seu recolens, seu suscipiens divina mysteria, quam fidelissime tuas imiter virtutes et exempla.

Dominica III. post Pentecosten.

De ove perdita.

Vide meditationem Dominica II. post Pascha pag. 309.

Feria II.

Providentia Dei in Eucharistiae institutione.

PUNCTUM I.

Quod fuit *lignum vitae* in paradiso terrestri, hoc in paradiso Ecclesiae est Eucharistia, hoc tamen discrimine,

quod illud ad sustentandam solam corporis vitam plantatum fuerit, Christus autem corpus suum in Eucharistia dederit ad conservandam animarum vitam; idcirco *fructus vitae* appellatur per excellentiam et *panis vitae:* ob quod utique singulares debemus grates divino naturae nostrae instauratori.

Quid, obsecro, amisimus, anima mea, per noxam Adami, quod non cum foenore Christus reparavit? an non ejusdem cum paradiso pretii est Ecclesia, in qua nos posuit? quid fructus in nobis poterat arbor vitae producere, quem non Eucharistia modo longe praestantiori in nobis producit? Quid mea interest privari deliciis terrae, si per hoc mereri possim gaudia coeli? aut cur mihi doleat jactura fructus, qui vitam solum terrestrem et temporalem poterat producere, cum ad manus sit fructus, qui vitam afferat divinam, aeternum duraturam?

Profecto nunquam satis amare, nunquam admirari satis possum tuam, o Deus, providentiam, quod jacturam permiseris, quae tam large resarcitur. Ecclesia tua, o Jesu, vere est paradisus terrestris, in quo solidis fruor deliciis accedens Eucharistiam. O cibum sane pretiosissimum, excellentem, divinum! animae largitur robur spiritus, augmentum virtutum, arctam cum Deo immortali unionem, radix simul, semen et pignus beatae immortalitatis.

PUNCTUM II.

Providentia Dei olim manna de coelo pluit, ut filios Israel enutriret in deserto. Corpus Christi pariter est manna, quo Deus filios Ecclesiae nutrit in deserto et peregrinatione hujus vitae: hoc autem manna prae illo infinite excellentius est. 1. Manna vetus erat utique *panis de coelo*, unde diebus singulis mane depluebat: erat *panis angelorum*, quia angelicis confectus manibus. At novum manna est opus ipsius S. Spiritus, cui attribuitur incarnatio Verbi, quod de coelo *descendit sicut pluvia et sicut stillicidia stillantia super terram.* (Psal. 71, 6.) 2. Antiquum manna erat Israelitis praestans medicina; quamdiu enim illud manducabant, *non erat in tribus eorum infirmus.* (Psal. 104, 37.) Novum manna aut praeservat nos aut sanat a morbis spiritualibus,

imo a morte peccati gravis. 3. Vetus manna *habens in se omne delectamentum et deserviens uniuscujusque voluntati, ad quod quisque volebat* suam extendere famem, orexin, desiderium, *convertebatur, habens omnis saporis suavitatem.* (Sap. 16, 20. 21.) Quaenam autem dari possit dulcedo spiritualis, quam non afferat manna eucharisticum? 4. Denique in colligendo manna *nec qui plus collegerat, habuit amplius, nec qui minus paraverat, reperit minus, sed singuli juxta id, quod edere poterant.* (Exod. 16, 18.) In hoc ipso illud manna erat typus Eucharistiae, quam suscipientes nec plus accipiunt, nec minus, seu magnam, seu parvam (unus, aut mille) sumant hostiam, quia sub utraque idem est Christus, omnes aequaliter et abunde satians.

O panis vere coelestis! O praepotens contra morbos omnes antidotum! O fons omnis purae voluptatis illis animabus, quae omnibus naturae oblectamentis generoso ausu nuntium remisere! O Dominum vere omnipotentem ac infinite liberalem, qui novit amicis suis parare ferculum, quod tam parvis clausum speciebus nutrire, satiare, sustentare valet mille milliones animarum!

Grates, Servator amantissime, infinitas tibi grates debeo et ago, quod adeo magnifica filios tuos mensa honores et nutrias pane, quo ipsi nutriuntur angeli, modo licet diverso. Vere est panis de coelo, infinite praestans animarum medicina, verum manna, deliciosissimum palato justorum: Manna, cujus solum umbra fuit manna Israeliticum. Novi perbene, quantis tibi impensis steterit divinam hanc escam mihi parare. At et mihi certum est ratumque nulli parcere diligentiae ac praeparationi ad illam digne sumendam: eum in finem si necesse fuerit omnibus mundi voluptatibus renuntiare, meas frangere cupiditates, mortificare sensus, vivere in continua animi collectione, en, Domine, ad haec omnia paratum cor meum, paratum ad implendam legem tuam, ad vitam omni voluntati tuae conformandam.

PUNCTUM III.

Proxima, quam Christus a communicaturis exigit, dispositio nobis innuitur per diligentiam, qua Israelitae

tenebantur summo mane ante solis ortum manna colligere; *statim* quippe *ab exiguo radio solis calefactum tabescebat, ut omnibus notum esset, quoniam oportet praevenire solem ad benedictionem Dei.* (Sap. 16. 27, 28.) Pari fervore, diligentia et desiderio animati esse debemus die s. Communionis. Toti considerandae felicitati, quae illam accedentibus obtingit, jam immersi surgamus summo mane, ut nos ad obeundam rite disponamus, *quoniam oportet praevenire solem ad benedictionem tuam*, o Deus, *et ad ortum lucis te adorare.*

Sit ergo, anima mea, sit prima et praecipua occupatio nostra meditari infinitas hujus, quod suscipiemus, mysterii excellentias: expendere ineffabilem, quae nobis obveniet, gratiam: magnam ejus concipere aestimationem: ad amorem Dei, nobiscum intime uniendi, cor nostrum excitare, ut hac ratione colligere valeamus manna pretiosissimum, quod de coelo venit, ut nos faciat coelestes. Cogitemus praeterea, quod Deus jusserit a Moyse in arca custodiri vas manna refertum *in futuras retro generationes, ut noverint Israelitae panem, quo aluit* eos quadraginta annis *in solitudine* (Exod. 16, 32.): quanto igitur major nobis incumbit obligatio jugem Eucharistiae memoriam conservandi, cum beneficium, quod in illa accipimus, infinite sit majus beneficio, Israelitis per manna collato?

Quis autem miretur, o Jesu, quod exiguo cum fervore accedam ad te, nec majori cum gratitudine recedam? scilicet parum fidei meo est in intellectu, parum amoris in corde: illum ergo illumina, inflamma istud: et quoniam me dignaris pascere vere coelesti manna, quod tu ipse es, tuo me illustra lumine, ut ejus excellentias agnoscam: tuo me inflamma amore, ut viva tanti beneficii memoria imbutus, nunquam illius Dei me capiat oblivio, qui tanto me prosecutus est amore, ut se ipsum mihi in cibum dare non dubitaverit.

Feria III.

De Eucharistia, qua memoriale est omnium mirabilium.

PUNCTUM I.

Eucharistia est memoriale, compendium et summa omnium, quae dantur grandia, mirabilia, augusta in Deo, in divinitate, in SS. Triade et prodigiosissimis omnium trium personarum operibus, quia in se Eucharistia continet Verbum divinum s. humanitati unitum, *in qua inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* (Col. 2, 9.) Unde sequitur:

1. Quod in Eucharistia sit tota SS. Trinitas, cum implicet, ubi una est persona, ibidem non esse reliquas duas, utpote inseparabiles a se, quia omnes tres sunt unus idemque Deus. 2. Quod in hoc sacramento sint omnes Dei perfectiones et attributa, quia *in Christo Jesu sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi.* (Collos. 2, 3.)

Intimius jam, anima mea, lumine fidei scrutemur hoc mysterium. Vere hic *memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus: escam dedit timentibus se.* (Psal. 110, 4. 5.) Deus-Homo est, qui tegitur speciebus panis: Deus-Homo, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei absconditi: Deus-Homo, qui suam mihi integram dat substantiam: utque posset se mecum intime unire, modum adinvenit se mihi in cibum dandi, ut suo hac ratione amori faceret satis.

O admirabile sacramentum, in quo fides mihi detegit, quidquid magni et augusti in Deo est! O divinum opus numeris omnibus absolutissimum, in quo omnipotentia, sapientia et misericordia Dei omnia conjunxit mirabilia! O bonitas infinita! O caritas immensa! O Deus meus! O amor meus! omnes naturae leges invertis, innumera patras miracula, ut cor meum ingredi et unum quid mecum possis fieri. Ingredere ergo illud, amabilissime Jesu, et plenum, in eo dominium exerce, nec permitte, ut ulla unquam creatura tuum hunc principatum trahat in dubium.

PUNCTUM II.

Eucharistia insuper est *memoriale* cum omnium, quae Christus vivens in terris pro salute hominum exercuit, *officiorum:* tum omnium, quas suo docuit exemplo, *virtutum*. Renovat, inquam, in Eucharistia officium 1. *medici*, attactu corporis sui curando omnes animarum morbos. 2. *Magistri et doctoris*, nos interne docendo virtutes, in Evangelio descriptas. 3. *Redemptoris*, *consolatoris*, *protectoris* ac *pastoris*, fructus passionis ac mortis suae nobis applicando, nos a tyrannide daemonis vindicando, in omni miseria consolando, nos, oves suas, sanguine suo et carne nutriendo.

Anima mea, quis vidit unquam aut videt amorem, immenso Christi erga nos amori similem? At quis etiam vidisset creaturam magis ingratam, quam tu fores, si tantae bonitati non responderes amore flagrantissimo et fideli virtutum Christi imitatione? *Humilitas*, quae eum impulit sub vili panis velo suam tegere majestatem: *Obedientia*, quam praestat voci cujuscunque sacerdotis, etiam impii, etiam sacrilege consecrantis: *Mansuetudo* et *patientia*, quam demonstrat perferendo tot injurias, in ipso quoque sacramento a peccatoribus, ab haereticis et infidelibus ipsi inferri solitas: *Amor et caritas*, queis totus ibi ardet: istae, inquam, sunt virtutes, quas sua olim in vita exercuit, exercetque sub speciebus eucharisticis, tibi *pariter*, si eum amas, imitandas.

Videor equidem mihi, te, Servator mi, vere jam amare, ac nihil habere antiquius, quam ut hunc amorem tibi faciam testatum exercendo virtutes, tibi prae reliquis gratas: illas quotidie attenta mente posthac meditabor; at tuum erit in me earum amorem accendere, exercitium autem mihi reddere expeditum. Id facies, Domine, *ponendo te ut signaculum super cor meum, ut signaculum super brachium meum*. (Cant. 8, 6.) Hac ratione, quod desideras, a me obtinebis: videlicet amorem humilitatis, spiritum obedientiae, inconcussae robur mansuetudinis et ardorem perfectae caritatis; nam hae ipsae in actionibus meis expressae refulgebunt virtutes, si eas animae meae impresseris.

PUNCTUM III.

Denique Eucharistia *memoriale* et summa est trium, quae Deus per Filii sui incarnationem hominibus contulit aut conferet, insignium beneficiorum: scilicet beneficium *redemptionis*, quod jam transiit: *sanctificationis:* quod praesens est, *glorificationis*, quod est futurum. Atque haec tria modo quodam prorsus singulari sacramentum Eucharistiae significat, non solum ideo, quia in se totum continet Jesum Christum, creatorem et instauratorem nostrae naturae, auctorem et consummatorem justitiae nostrae, verum etiam, quia compendium est miraculorum, quae Dei omnipotentia, sapientia et bonitas patravit et hodiedum pro salute nostra patrat: Vas spirituale gratiarum et pignus certum immortalis gloriae, generosis in pugna spirituali athletis promissae.

Anima mea? quoties s. Synaxin accedis aut intueris, sanctis hisce cogitationibus te immerge: memoratas tres veritates scrutare et solatio plena devote illud Ecclesiae ingemina: *O sacrum convivium, in quo Christus sumitur: recolitur memoria passionis: mens impletur gratia et futurae gloriae nobis pignus datur.*

O infinite amabilem Dei providentiam in Eucharistiae institutione! ibi bonis me replet, simulque suppeditat, unde gratum me exhibere et infinitae bonitati gratiam possim rependere. Duo ad id erant necessaria: constans tanti beneficii memoria et perennes gratiarum actiones: in Eucharistia reperio, unde utrique huic obligationi queam satisfacere. *Qua sacramentum* est viva imago et repraesentatio incomparabilium gratiarum, quas mihi aut jam contulisti, aut adhuc vis conferre, o Deus. *Qua sacrificium* est ex sua natura *oblatio eucharistica*, h. e. gratiarum actio: et quando eam tibi offero, mi Deus, certus sum, quod per eam grates tibi referam, beneficiis tuis omnino pares. Ob id laudo te, benedico et glorifico in aeternum.

Feria IV.

De Eucharistia, qua memoriale est passionis dominicae.

PUNCTUM I.

Cur voluit Christus *memoriam passionis suae* crudelissimae institui sub imagine *coenae* seu *convivii*, suavitate et jucunditate pleni? Ideo, ut nobis demonstraret 1. suam erga nos *caritatem*, eligendo aspera sibi et ardua: nobis vero dulcia relinquendo et jucunda. 2. *Bonitatem* suam, qua se pro nobis obtulit in victimam. 3. *Suavitatem legis suae* et onus leve jugi evangelici, quod nobis imposuerat. 4. *Obligationem* nostram, at suavem, amandi ejus exemplo adversa, ignominias, cruces, ita quidem, ut diem laetitiae et albo notandum calculo judicemus, qui multa pro eo patienda nobis offert.

O admirabilem sapientiae ac bonitatis Jesu Christi inventionem, ut sui amorem nobis instillet et nostrae sanet infirmitatem naturae, a vita humili ac mortificata abhorrentis! qui enim possim non amare Deum, qui ardentius desideravit nihil, quam ex amore pati et mori pro me? qui diem totius anni solemnissimam ad moriendum delegit? quae sicut ipsi erat dies desponsationis ac nuptiarum cum Ecclesia, ita hujus rei memoriam vult conservari in convivio et laetitia, quibus nuptiae solent celebrari? At qui possim etiam non amare humiliationes, opprobria, mortificationes, quas ille hoc modo mihi reddidit tam suaves, jucundas, amabiles?

Utique fieri non potest, Redemptor dulcissime, ut vivamus, quin te simul ac humiliationes amemus, quas adeo amasti. Summo, quo possim, grati animi affectu *memoria memor ero tui* et per hanc ipsam recordationem dolore *tabescet in me anima mea* (Thren. 3, 20.), ponderans et tui erga me amoris excessum et modicum expiandi peccata mea, unicam tuae passionis causam, fervorem meum. Ah! saltem posthac vitam in amore et odio transigam: te, inquam, amore prosequar, ut fontem meae beatitudinis; me odio, ut causam tuae passionis. Laetitia, qua te ulciscar in me, rigorem justae hujus et salutaris vindictae mitigabit.

PUNCTUM II.

Cur autem voluit Christus ipsemet realiter et vere in Eucharistia manere, atque adeo ipse fieri memoriale passionis suae? 1. Ut exemplo suo et per se ipsum nobis majorem passionis suae aestimationem inspiraret. 2. Ut ostenderet, se (si opus foret, aut expediret) singulis adhuc momentis paratum esse immolari pro nobis: uti revera toties immolatur, quoties in Missae sacrificio offertur, seque ipsum denuo offert. 3. Ut defectum nostrae suppleret gratitudinis; in hoc enim sacramento *Eucharistiae*, h. e. *gratiarum actionis*, dignas, quas debemus, at non possumus, grates ipsemet Deo Patri persolvit et *postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* (Rom. 8, 26.)

Sentiamus ergo cum Servatore nostro anima mea! pluris aestimemus ignominias passionis, quam omnes mundi honores: absit, ut in corde amorem crucis unquam separare velimus ab amore Jesu crucifixi: vivamus semper ceu sacrificantes: in omni Missae sacrificio nostram oblationi Jesu Christi conjungamus, nostramque beneficiis Dei condigne respondendi impotentiam per id solemur, quod in Eucharistia habeamus, qui nostros supplens defectus, aeterno Patri perfectissime ad omnem aequalitatem satisfaciat.

Ah! *si oblitus fuero tui*, o Jesu, *oblivioni detur dextera mea: adhaereat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui* (Psal. 136, 5. 6.), aut si tuas celebrare laudes cessavero: tabescat in me potius anima mea, quam ut tuae caritatis excessum, quo tanta pro me passus es, unquam obliviscar. O si possem vitam tibi reddere pro vita, propter me immolata! Tu revera es *Agnus, qui occisus est ab origine mundi* (Apoc. 13, 8.), eo quod mortuus censearis in omnibus figuris seu victimis antiquae legis: imo et occidendus usque ad finem mundi, quia sacrificium tuum semper et quotidie in altari restauras usque ad consummationem saeculi. Enimvero debebam aeque tibi cor meum immolasse ab incunabulis: saltem hodie illud tibi in perfectum offero holocaustum, nihil ultra desiderans in terris, quam ut possim vivere et mori victima tui amoris: suscipe eam,

tuo licet conspectu minime dignam, in odorem suavitatis; offer eandem per temetipsum Patri tuo: rejicere haud poterit tuis oblatam manibus, meaque gratiarum actio, tuae unita, fiet divinae ejus majestati sacrificium acceptabile.

PUNCTUM III.

Cur voluit Christus ipsemet memoriale passionis suae fieri *sub speciebus panis et vini?* Quia sunt aptissimae ad vivam passionis dominicae memoriam refricandam; sicut enim panis conficitur ex pluribus frumenti granis, probe fractis, contritis et contusis, vinum autem e pluribus uvae acinis, bene calcatis ac in torculari expressis: ita corpus Christi in sua passione fuit egregie contusum ictibus, calcatum pedibus, in crucis torculari pressum, ita, ut vis ingens sanguinis, per flagella, spinas et clavos expressi, toto e corpore proruperit.

Per has igitur panis et vini species voluit nobis Christus in memoriam revocare opprobria et dolores, quos nostri amore pertulit: imo speravit, fore Christianos, tanto passionis suae captos amore, ut ex ejus poenis sibi panem quotidianum sint confecturi et sola mortis dominicae memoria contriti, in solo poenitentiae ac mortificationis rigore liquidam voluptatem reperturi.

Fac, o Jesu (supplex rogo) fac me unum de parvo horum fidelium numero, qui tuis compatiuntur doloribus, tuo flagrant amore; tuae dumtaxat passioni locum in suo intellectu ac voluntate concedunt, nullum, nisi panem doloris cum delactatione manducant, tuoque, utut amarissimo, in calice plus voluptatis sentiunt, quam in dulcissimo nectare: Da et mihi, quod illis dedisti, tuae gustum passionis, ut imposterum sola mihi voluptas sit tecum pati, contemni, calcari.

Feria V.

De Eucharistia, ut causa gratiae, sanctificationis et unionis nostrae cum Christo.

PUNCTUM I.

Cum Christus decrevisset septem sacramenta instituere, ut sint visibilia gratiae invisibilis signa simulque

efficacia sanctificationis nostrae media, decrevit pariter ipsemet realiter in uno eorum esse, in quo haberemus et fontem gratiae et ipsum omnigenae sanctitatis auctorem.

Superi! quanti aestimaremus medicum, qui se ipsum daret in medicinam et remedium nostrarum infirmitatum? Quanto amoris impetu raperemur in principem, qui non solum suae nos mensae adhiberet convivas, sed et propriis inserviret manibus, imo carnem suam in cibum, sanguinem nobis praeberet in potum? Hoc idem quotidie facit supremus hic animarum medicus et rex virtutum, Jesus Christus. Corpus et sanguinem suum nobis, ceu dilectissimis suis, dat in salutare animarum remedium et in convivium, omnibus deliciis plenum. Sane mater est, quae liberos suos, extremis doloribus prognatos, proprio, non alieno nutricis lacte hilaris pascit.

O medice nostri amantissime! O princeps clementissime! o Pater omnium benignissime quid reddam obsequii, ut tam stupendis, quibus me profecto mactas, respondeam beneficiis? Qui non amem adeo me amantem? quomodo non aestimem gratiam sanctificationis meae, videns, quod Deus universi ipsemet ad me sanctificandum veniat? qui possit fieri, ut non extrema cum fame accedam coelestem mensam, in qua ille ipse Deus, qui me ad eam invitat, cibus est, quem comedam? Grates tibi, quas possum, ago summas, Servator mi, ob summum hoc beneficium, quam demississime supplex, ut nunquam patiaris me tibi ingratum fieri, seu illud turpiter obliviscendo, seu tepide et absque fructu illud usurpando.

PUNCTUM II.

Christus Eucharistiam singulariter instituit, ut intime nobiscum uniretur: ita ipse: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo.* (Joan. 6, 57.) Haec unio tam arcta atque perfecta est, ut quodammodo comparari possit cum illa unione, quam Christus ab aeterno habuit cum suo Patre; addit enim: *Sicut ego vivo propter Patrem, ita qui manducat me et ipse vivet propter me*, seu per me. Sicut ergo Filius Dei per generationem aeternam a Patre accipit essentiam, vitam Dei, omnesque Patris perfectiones, ita

Christum in Eucharistia digne sumens fit particeps naturae, vitae, operum ac perfectionum Christi: unus fit cum eo spiritus, ut possit vere cum Apostolo dicere: *Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus.* (Gal. 2, 20.)

O sacrum convivium, in quo amor regnat et increata caritas sub speciebus panis et vini se unit mecum, ut me convertat in se! Unde ergo venit, quod ista conversio tam parum in me perficiatur post tot Communiones, ubi toties recepi Deum amoris, cujus alias perfecta sunt opera? Quomodo vitam veteris adhuc et terreni Adam vivo, cum novus et coelestis Adam toties cor meum intraverit, ut suam mihi vitam, perfectiones ac virtutes communicaret? Quale obstaculum reperit in me virtus et efficacia hujus divini corporis, cujus vel attactus tot aegros sanavit?

Oportet sane cor meum rupe durius extitisse, o Jesu! quod illud flectere non potueris. Ah! emolli ejus duritiem salubri sanguinis tui pretiosissimi opobalsamo, cujus unica solum gutta vel obduratissimis emolliendis par est. Quid autem? tu de coelo descendes, ut te mecum unias intime, meque totum reddas coelestem: et ego semper humi repam antiqua infectus corruptione? Expurga, Domine, funditus in me malignum veteris Adam fermentum: destrue penitus istud corpus peccati, quod hactenus impediit effectus panis divini, quem tua in mensa comedo, ut in me sanctam producat conversionem, seu finem institutae Eucharistiae, ut possim cum veritate dicere: *Vivo, jam non ego, vivit vero in me Christus.*

PUNCTUM III.

Porro Christus sacramentum Eucharistiae instituit sub speciebus *panis et vini*, quae sunt ordinarium et commune alimentum cujusvis hominum generis divitum et pauperum: ut nobis suum significaret desiderium quam frequentissime, imo quotidie omnes sine ullo discrimine ad hoc convivium admittendi. Principes terreni existimant ad suam pertinere magnificentiam, ut sumptuosa instruant convivia, ast raro admodum et exclusis pauperibus. Contra rex coelestis, cujus bonitas par est

potentiae, magno sibi ducit honori convivium apparasse splendidissimum, perenne, quotidianum, omnibus commune, cujuscunque fuerint status et conditionis: imo graviter comminatur omnibus: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (Joan. 6, 54.), nec vitam gratiae, nec gloriae.

Numquid ob id ipsum Christus, dum nos docuit orare, *panem nostrum quotidianum* jussit petere? scilicet ut intelligeremus, quod spiritualis hic panis tam necessarius sit ad sustentandam animae vitam, quam materialis ad vitam corporis: imo, si illum quotidie manducamus, eo magis eum oporteat esurire, quo sine vitam gratiae in nobis conservare non datur. Sed eheu! ob exiguam vitae spiritualis curam et aestimationem divinum hoc alimentum negligimus, solum de conservanda corporis vita solliciti: nauseantes manna quotidie de coelo cadens, solas Aegypti ollas et carnes appetimus.

Ah! Domine, miserere nostri et tactus exigua, quam habemus, fide ac fervore rumpe fascinum oculorum et cordium. Da, ut pro meritis aestimem et amem spiritualem animae vitam, millies vita corporis pretiosiorem: inspira mihi nauseam voluptatum carnis, ast insatiabilem divinae dapis famem: fac me dignum, qui eam singulis diebus sumam, ut tibi sub humili Eucharistiae velo assidue unitus merear tibi aeternum conjungi in splendoribus gloriae tuae.

Feria VI.

De Eucharistia, ut est signum et pignus coelestis gloriae.

PUNCTUM I.

Si Deus quid promittat, quis de ejus fidelitate ausit dubitare? si vero promissioni suae pignus adjiciat aequalis, aut etiam majoris, ac res promissa sit, valoris, nonne spes rem promissam obtinendi transit in fiduciam ac securitatem? Id ipsum fecit Deus in Eucharistiae institutione: millies in Scriptura aeternam nobis promisit vitam. Ne ullus de adimplenda promissione locus dubi-

tandi relinqueretur, *proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* (Rom. 8, 32.) in praedem ac obsidem: Filius se ipsum et una secum dedit Spiritum Sanctum, *pignus haereditatis nostrae.* (Ephes. 1, 14.)

Quid ergo est, cur pusillanimes timeamus, ne promissam obtineamus beatitudinem nostram? Deus misericordiarum, qui in cibum ordinarium nobis unigenitum dedit Filium suum, numquid suam nobis denegabit gratiam et gloriam? Dei Filius prodige in vita omnes *sui erga nos amoris divitias effudit:* an difficilior in nos et parcior erit in Eucharistia, in suae throno magnificentiae ac liberalitatis? Quid? suum nobis communicat S. Spiritum: et somniabimus, cum sanctitatis auctore non daturum sanctificationem et gloriam, promissum sanctitati praemium?

O Deus bonitatis! Pater misericordiarum! innumeras tibi grates ago ob tam pretiosum meae salutis, tuique amoris pignus. Et tu, amantissime Servator, temetipsum dedisti, ut omnem mihi angorem metumque eximeres. Tu vero, S. Spiritus, qui cum illo cor meum subintras in s. Communione, tantam in ea aeternae salutis meae securitatem mihi promittis, ut ejus possessio meis jam in manibus sit, nisi ex malitia sinam elabi destruendo omnes amoris tui intentiones et industrias. Benedicta sis aeternum, o Trinitas adoranda, ob signa adeo manifesta seriae de aeterna salute mea voluntatis tuae. O Pater Servatoris mei! postquam ab infinita bonitate tua pignus accepi aequalis cum ipsomet Filio tuo valoris ac pretii, nullus jam dubitandi locus est, quin tuo sis promisso staturus, nisi velim infidelis esse aut fieri. Atque hoc est inconcussum spei meae fulcrum et columen.

PUNCTUM II.

Non datur certius ad finem aut bonum aliquod consequendum pignus, quam quod simul efficacissimum est *medium*, quo bonum illud aut finis obtineatur. Tale *pignus* simul et *medium* promissam beatitudinem aeternam consequendi est sacramentum Eucharistiae; nam nutrit et auget vitam gratiae: *praeteritorum* confirmat

veniam peccatorum: arcet *futura* et praeservat a relapsu: *praesentia* impedit: carnis refrenat libidinem: moderatur regitque animi passiones: roborat nos ad resistendum inimicis, nec non ad perrumpenda omnia salutis nostrae obstacula: estque in nostro corpore velut semen immortalitatis.

Est vera arbor vitae, cujus fructus animam praeservat a morte peccati, corpus a corruptione in die resurrectionis; ita Christus ipse promisit in haec verba: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam et ego resuscitabo eum in novissimo die.* (Joan. 6, 55.)

Anima mea! si vitam desideras beatam, cum fide viva et spe firma sume panem angelorum, qui et pignus et causa est vitae aeternae. Si cupis insuper, ut corpus tuum aliquando ad gloriam resurgat, hanc carnem manduca, quae certum est pignus gloriosae resurrectionis et vitae in coelo beatae, quam Deus corpori et animae promisit.

Quanta igitur, o Jesu, animae fideli consolatio est saepius in mensa tua cibum capere, qui possit constanter vitam gratiae conservare, reparare damna animae, roborare debilem, complanare difficultates, dolores lenire et coeli delicias anticipato praebere degustandas, ac in ipsum adeo corpus incorruptionem transfundere! quae omnia tituli sunt, fontes et semina futurae resurrectionis.

His nos bonis et donis cumulas, o Jesu, dum te nobiscum in Eucharistia unire dignaris. Non solum certam aeternae beatitudinis arrham in ea tenemus, sed et efficacia illam merendi media. Grates tibi ago quam maximas ob inaestimabilem hunc favorem, qui innumerabiles alios post se trahit. Adde (supplex te rogo atque obtestor) cumulum adde: me, inquam, tam arcte tibi conjunge, nullum ut tempus, nulla ut aeternitas me unquam a te valeat separare.

PUNCTUM III.

Denique observa, Eucharistiam esse pignus gloriae, quia nobis datur in *viaticum*, ut ad eam secure perveniamus et iter peregrinationis nostrae feliciter con-

ficiamus: ut adeo nunquam majore fide ac fiducia oporteat Christum in Eucharistia suscipere, quam in periculo aut articulo mortis; sicut enim Elias *in fortitudine cibi illius*, quem angelus ei dederat, *ambulavit quadraginta diebus et quadraginta noctibus usque ad montem Dei Horeb* (III. Reg. 19, 8.), ita, qui coelestem hunc panem manducaverit, nullo sane negotio ambulabit usque ad montem coelestis Sion.

Inter omnia pietatis exercitia facile utilissimum est ac suavissimum Eucharistiam suscipere *per modum viatici:* ac si Communio, quam accedimus, esset ultima et in ipso mortis articulo postremum obiretur. Per sanctam hanc devotionem facile assuescemus actibus fidei, amoris et fiduciae, quos sub finem vitae communicaturi debebimus elicere.

Equidem *pridie* passionis ac mortis tuae, o Jesu, hoc sacramentum instituisti, ut significares, esse non modo praesidium et solatium in vita, sed et robur imbecillitatis nostrae in morte ad agonem forti animo subeundum et fidenter ingrediendum formidabile aeternitatis iter. Noveras scilicet, Domine, quantam virium contentionem, quantam daemones rabiem tunc sint adhibituri, ut me in angores, in pusillanimitatem, in desperationem praecipitent. Ea de causa volebas ipsemet meus esse protector, asylum et defensio mea. Mihi aeque ac Apostolis dixisti: *Iterum venio et accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum, ego et vos sitis.* (Joan. 14, 3.) Veni ergo, Jesu dulcissime, sub extremum illud momentum veni auxilio et hanc tuam imple promissionem, nec permitte, ut in manus inimicorum deveniam: tuis me defende manibus et, postquam dux meus fuisti in deserto hujus vitae, da gratiam feliciter ingrediendi terram promissionis.

Sabbato.

Repetitio praecedentis meditationis tamquam praeparationis ad s. Communionem.

Dominica IV. post Pentecosten.

Christus apparet Apostolis ad mare Tiberiadis.

Vide supra Feria VI. Hebdomadae I. post Pascha pag. 307.

Feria II.

De plenitudine S. Spiritus data S. Stephano.

(Act. 6, 5. sq.)

PUNCTUM I.

Admiremur, quam liberalis extiterit S. Spiritus erga S. Stephanum et quam ferventer hic illius donis fuerit usus. Ait Scriptura, Stephanum fuisse *plenum Spiritu Sancto.* Explicans plenitudinem subdit, fuisse *plenum gratia*, *sapientia*, *fide et fortitudine.*

Per plenitudinem *gratiae* omnes possidebat virtutes, Deo gratum et amicum facientes. Per plenitudinem *sapientiae* coelesti lumine ita erat illustratus, ut omnes fidei veritates clare penetraret. Plenitudo *fidei* ei vim et potestatem tribuebat in utilitatem et conversionem hominum patrandi miracula. Denique plenitudo *fortitudinis* formidabilem reddebat hostibus utut ferocissimis. En dona, queis S. Spiritus insignivit S. Stephanum! at vide simul, quam bene illis usus fuerit s. Levita: 1. *Sapientia* ad praedicandam Christi legem, cui confirmandae adeo convincentes adduxit rationes, ut legis doctores, ad disputandum cum illo congregati, *non potuerint resistere ejus sapientiae et Spiritui, qui loquebatur* ex eo. 2. *Fide* ad patranda in confirmationem doctrinae suae prodigia. 3. *Fortitudine* ad superandas invicta constantia omnes injurias, persecutiones, mortem. 4. *Plenitudine gratiae* ad praeseferendam tantam sanctitatem morumque modestiam, ut *intuentes eum omnes viderent faciem ejus tamquam faciem angeli*, non hominis, coelesti quadam luce radiantem, quae Judaeos quoque in sui amorem et admirationem rapuisset, nisi rupibus fuissent duriores et omnibus ferociores belluis.

His ego, quae in S. Stephano admiror, donis et charismatis utique instructus haud sum: at num, ut Stephanus, ea promerui? forsitan iis carere gratiis ingens mihi gratia est; quomodo enim iis fuissem usus, dicam, an abusus? fortasse meritorum loco, quae ex illis cum S. Stephano poteram et debebam colligere, propter abusum majoris occasio probri ac damnationis mihi fuissent. Sed *non est abbreviata manus tua*, Domine! Si in minimis tibi essem fidelis, gratiam dubio procul dares faciendi majora, nec abundantiam denegares gratiarum, si fideliter iis responderem.

PUNCTUM II.

Exclamans Stephanus ajebat: *Ecce video coelos apertos et Filium hominis stantem a dextris Dei. Exclamantes autem voce magna* Judaei *continuerunt aures suas et impetum fecerunt unanimiter in eum et ejicientes eum extra civitatem lapidabant.*

Observemus admirandam divinae providentiae dispositionem circa proto-martyrem Ecclesiae. 1. Singulares ei favores et gratias confert, ut ad magna eum disponat certamina. 2. Coelos ei apertos monstrat, ut praemia ob oculos ponat, ejus fortitudini et constantiae parata. 3. Dei Filius apparet illi *stans*, ut isto corporis situ pugilem animet ad constantiam suamque ad victorem coronandum demonstret promptitudinem.

Fidelis hic Dei servus, ejusdem cum suo coelesti magistro sententiae ac mentis, nihil desiderat praeterquam pati et mori pro eo. Intrepido vultu hostes suos rabie furentes intuetur, forti animo sustinet in se irruentes: non reluctatur trahentibus ad supplicium mortis: tranquillo est animo sub ipsa lapidum grandine: imo *lapides torrentis illi dulces fuerunt*, ut canit Ecclesiae: scilicet id unum ei in votis erat suam immolare vitam pro Christo, cujus praesentia et animos ei addidit et sensum doloris ademit.

Hoc nempe intendis, Domine, per omnes, quos mihi largiris, favores et gratias. Tuas in me effundis dulcedines, non ut mollitie cor meum enervetur, sed ut ad amorem mortificationis excitetur: modicum dulcedinis

de torrente voluptatis tuae ei delibandum propinas, ut dulces ei reddas aquas de torrente afflictionum, quibus illud merges. Tuam de me providentiam submisse adoro. Crucis tuae non detrecto particeps fieri, imo lubens eam amplector: tota posthac mea erit gloria pati pro te.

PUNCTUM III.

Dum lapidabatur generosus Christi athleta ajebat: *Domine Jesu! suscipe spiritum meum. Positis autem genibus clamavit voce magna dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum: et cum hoc dixisset, obdormivit in Domino.*

Consideremus in gloriosa S. Stephani morte ectypon mortis Christi et prototypon mortis justorum. Exemplo Christi Deo suum commendat spiritum, orat pro inimicis et suaviter obdormit in Domino. Hoc tamen Dominum inter ac servum discrimen intercedit: 1. Iste prius orat pro se ipso, dein pro inimicis: ille orat vice versa, qua Sanctus enim Sanctorum *non habebat necessitatem*, ut Stephanus et alii homines, *prius pro suis delictis hostias* aut preces *offerre, dein pro populi.* 2. Stephanus pro inimicis orans genua ponit; id facere non poterat Christus, quia cruci affixus. Uterque tamen fuit exauditus; nam Judaei *percutientes pectora sua revertebantur* e monte Calvariae: Saulus autem per preces Stephani ex persecutore Ecclesiae factus est Apostolus et columna Ecclesiae firmissima, atque ita Stephanus obiit Christo in morte unitus, qui ei in vita semper fuerat amore ac imitatione conjunctissimus.

O fidelem Christi militem! o caritatem invictam! o dilectionem ipsa morte fortiorem, qua impulsus martyr ardentia ad coelum suspiria mittit, ut aeternam illis vitam impetret, qui temporalem ei abstulere! o lapides vere pretiosos, ex quibus tam nobilem sibi coronam texuit! o mortem mille votis exoptandam, quae vitam affert gloriosam et immortalem!

Da, Domine, ut *moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia.* (Num. 23, 10.) Da, ut gloriosis S. Stephani vestigiis insistens merear cum ipso coelum ingredi longa bonorum operum

et laborum, quos constanter tulero pro justitia, serie stipatus. Ad promerendam sortem adeo beatam amore tui, o Jesu, nihil non faciam, nihil non lubens patiar.

Feria III.

De conversione S. Pauli.

(Act. 9, 1. sq.)

PUNCTUM I.

Saulus adhuc spirans minarum et caedis in discipulos Domini, accessit ad principem sacerdotum et petiit ab eo epistolas in Damascum ad synagogas, ut, si quos inveniret hujus viae (h. e. fidei in Christum) *viros ac mulieres, vinctos perduceret in Jerusalem.*

Talis erat Saulus ante conversionem suam, juratus Jesu Christi sanctaeque legis ejus hostis, persecutor Christianorum, famelici instar lupi nil nisi necem et sanguinem sitiens, a summo mane in serum usque vesperum persecutus oviculas Christi, ut vinctas posset ad lanienam pertrahere. Bene igitur (erat enim de tribu Benjamin) in Saulum cadit illud Jacobi patriarchae vaticinium: *Benjamin lupus rapax, mane comedet praedam, et vespere dividet spolia.* (Gen. 49, 27.)

Quis credat, Domine, quod ex tanto peccatore sanctum, ex pertinaci Judaeo perfectum Christianum, ex rabido leone et lupo mansuetum agnum, ex fidelium persecutore feceris Apostolum gentium? Ne tu singulariter volueris, o Jesu, tuae thesauros gratiae per id demonstrare et toti mundo palam facere, nulli peccatorum vel de salute, vel de perfectione sua unquam esse desperandum. Id ipsum conversus testatur Saulus, dicens: *Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia.* (Rom. 5, 20.) *Sed ideo*, ait alibi, *misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet Christus Jesus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri sunt illi in vitam aeternam.* (I. Tim. 1, 16.)

Benedicta sit aeternum infinita bonitas tua, Domine: claram ejus cognitionem, magnam aestimationem infunde peccatoribus: accende eorum fiduciam et similia gratiae

prodigia ad eorum utilitatem, tuamque gloriam quotidie renova.

PUNCTUM II.

Et cum iter faceret, contigit, ut appropinquaret Damasco: et subito circumfulsit eum lux de coelo: et cadens in terram audivit vocem dicentem sibi: Saule, Saule, quid me persequeris?

In hac apparitione Jesus Christus plus bonitatis ostendit, quam in omnibus praeteritis; alias enim suis apparuit amicis, fidelibus servis, se quaerentibus et videre cupientibus: hic vero spectabilem se praebet jurato hosti suo, qui nihil intentatum reliquit, quo Christi nomen, memoriam, legem, discipulos funditus exterminare posset. Alias et initio suis apparuit discipulis, cum adhuc versaretur in terra: hic in coelum jam evectus sedensque ad dexteram Patris in solio gloriae, dignatur illi apparere, qui se ipsum vocat *persecutorem Ecclesiae*, *abortivum*, *minimum Apostolorum*. (I. Cor. 15, 8. 9.) Fulminis loco, quod merebatur Saulus, suavi eum luce circumfudit Jesus, reprehendit eum, sed blande et peramanter: *Saule, Saule, quid me persequeris?* quam amabo ob causam?

Numquid autem simili modo Deus misericordiarum tunc egit mecum, quando aperte nefarium ei bellum intuli longe dignior, quem infinite aversaretur, quam blande quaereret? An non aeque coelestem cordi meo lucem immisit, ut peccata mea agnoscerem ac detestarer? Nonne meos pariter errores mihi exprobravit, at suavibus et salutaribus conscientiae lancinantis remorsibus? imo quid non egit, ut me ad orbitam, ad salutem, ad se reduceret?

Ah! amabilissime Servator! utique agnosco simul et tuam bonitatem et meam ingratitudinem. Tu rebellem quaesiisti, cum fugerem te: suis profunde sepultum tenebris divina luce tua illustrasti. O lux vera, *quae illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum:* quantas animus capere valet, maximas tibi grates habeo, quod caecum me illuminaris, rebellem cum Saulo in viam justitiae, quam impie deserueram, reduxeris. In honorem tantae bonitatis aeternum tibi illud accinam: *Nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus in inferno*

habitasset anima mea (Psal. 93, 17.), in medio furoris tui igne arsura: cum igitur ab eo me clementer praeservaris, in debitam gratiarum actionem solo amoris tui igne aeternum ardebo.

PUNCTUM III.

Saulus dixit: *Quis es, Domine? et ille: Ego sum Jesus, quem tu persequeris* . . . *Et* Saulus *tremens ac stupens dixit: Domine, quid me vis facere?*

In hac Sauli conversione expendamus, qui et quid agere soleat gratia, ut perfecte hominem convertat. 1. Initio magnum ei desiderium inspirat cognoscendi Jesum Christum; *haec est enim vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum et quem misisti, Jesum Christum.* (Joan. 17, 3.) 2. Vivos ei sensus de bonitate Christi et propria malitia infundit, illi, ut Saulo, ante oculos ponens, Jesum esse conditorem ipsius ac Redemptorem, quem adeo nefarie ingratus offendit. 3. Salutarem immittit corporis tremorem, quo incitatus arma abjicit, victas Deo manus dat, se legi ejus cum omni humilitate subjicit, dicens, *Domine: quid me vis facere?* O stupendam conversionem! O prodigiosam dexterae Excelsi mutationem! O victricem Jesu Christi gratiam! peccatores maxime rebelles exarmat et ad perfectam reducit obedientiam.

Enimvero nihil poterat, Domine, nisi omnipotens bonitas tua, pervicacem Sauli furorem ac superbiam frangere. Haec victoria eximium decus in tuam gratiam, laudes aeternas in tuam bonitatem ac misericordiam refundit. Qui ubivis spargebat minas, terrores, neces, totus jam ipse tremit: armatus ad extirpandam legem tuam, jam totum se illi subdit: qui te oderat extreme, tuosque fideles ad necem usque persequebatur, tuo jam amore totus in alium mutatus offert se ad omnia pro te sustinenda, ad quaevis ardua in gloriam tuam aggredienda. Ah! simile o Jesu, in me fac prodigium et ex praevaricatore legis tuae per gratiam tuam fac servum fidelem et totum implendae voluntati tuae ex asse devotum: *Domine! quid me vis facere*, aut pati pro te?

Feria IV.

Repete meditationem praecedentem.

Feria V.

Continuatio de conversione S. Pauli.

(Act. 9, 7. sq.)

PUNCTUM I.

Saulus, ubi ex Christo haec verba audiit: *Surge et ingredere civitatem; ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere, surrexit de terra, apertisque oculis nihil videbat.*

Perpende, Saulum, quamdiu visio et Christi colloquium durabat, humi prostratum eodem, quo lux coelestis eum circumfulserat, loco permansisse. Et sane coram illo, qui loquebatur, quoad corporis situm non poterat nimium reverens esse humilisque. Par debet esse dispositio peccatoris ad recipiendam conversionis gratiam: uti se in statu peccati vane extulit, ita tempore poenitentiae debet humiliatus summa animi demissione agnoscere, se per solam Dei gratiam a lapsu posse erigi.

Hoc experior, Domine, et coram coelo terraque profiteor: quod scilicet tuae solum debeam misericordiae, si hodie sim in tuae statu amicitiae et gratiae.

Notandum adhuc, quod Saulus, *apertis* licet *oculis, nihil viderit:* per quod innuitur nobis, quod vere conversus solum coelestia debeat intueri, terrena ne quidem ex curiositate.

Atque hic est effectus divinae lucis tuae, o sol justitiae: ubi primum illa oboritur homini, oculos mentis aperit, claudit corporis, ut a creatis avulsus omnes suas cogitationes, obtutus, desideria convertat ad creatorem. Mihi pariter felicem hanc caecitatem concede, o Deus, ut oculos avertam, ne unquam videant vanitatem mundi, sed ut unice defixos habeam in contemplanda veritate tua.

PUNCTUM II.

Damascum perductus, *ibi fuit tribus diebus* 1. *non videns:* etsi enim potuisset videre, mens tamen Deo penitus immersa oculos avocasset ab obtutu visibilium. 2. *Neque manducans neque bibens;* voluptas enim animae ac interna dulcedo fecit immemorem cibi corporalis. 3. *Assidue orans;* ita Christus ad Ananiam: *Ecce enim orat.* Per tria haec exercitia non modo ad baptismum se disposuit, verum etiam ad apostolatum. Haec tria, *collectio animi, jejunium et oratio* nos reddunt aptos recipiendis coeli favoribus.

Quis autem animo possit comprehendere, anima mea, quantas hoc triduo gratias et favores Deus Saulo contulerit? quam familiaria cum eodem miscuerit colloquia? quam sublimes ei dederit instructiones et doctrinas? quantam illustrationum internarum copiam, ut eum intelligentia veritatum ac mysteriorum imbueret, quae paulo post gentibus debebat praedicare?

Grates tibi sint immortales, o Jesu, pro hac ineffabili bonitate, quam peccatori tam male merito exhibuisti, tuas, ut ita dicam, blanditias ejus malitiae et persecutionibus commensurando. Quid dico *commensurando?* gratiae ei collatae sine mensura, sine numero sunt. Domine, ad augendam scilicet fiduciam nostram voluisti, ut, ubi abundavit delictum, ibi superabundaret gratia.

Eandem, Domine, mihi gratiam exhibe: ad hanc recipiendam cor meum pracpara per silentium et solitudinem, per orationem ac sensuum mortificationem. Compelle rebellem meam voluntatem, ut tibi obediat, se ipsam abneget, tibi semper adhaereat, ut non amplius vivam ego, sed tu in me vivas in aeternum.

PUNCTUM III.

Jussus *in visu* Ananias *Saulum quaerere*, at timens eum accedere, quia ignorabat, ubi moraretur jam conversus, iterum a Domino monetur et confirmatur his verbis: *Vade;* nam vir ille, cujus furorem metuis, totus jam est alius a se. Vade ergo, *quoniam vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus et regibus et filiis Israel; ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.*

Protinus vadit Ananias: Saulum adit: manus ei imponit: Sanctum impertitur Spiritum, baptisma, visum: quem ut persecutorem timuerat, solatio plenus jam videt repente mutatum in zelosum praedicatorem, publice in synagogis promulgantem: *quoniam hic* Jesus Christus *est Filius Dei* verus.

Cape tibi, anima mea, in Anania magni momenti documenta: scilicet 1. non temere proximum judicare, nec praecipitare judicium, de quocunque sit, aut quibuscunque de hominibus, qui nobis videntur mali. 2. Neminem hominum formidare, si jussu Dei oporteat illis mentem ejus significare. 3. In exequendis Dei mandatis non inanes nobis fingere difficultates. 4. Firmiter divinam sperare opem nostris in officiis, si gratiae Dei cooperemur ad convertendos peccatores etiam obstinatos, ut in perfectissimos Christianos mutentur.

Ah! Domine! haec omnipotentiae tuae prodigia quotidie in peccatoribus renova: ex vasis ignominiae fac electionis vasa et honoris, ea purificando et tuae gratiae thesauris replendo: at initium, quaeso, fac a meo corde: hanc admirandam ejus conversionem effice ad nominis tui gloriam: ob id gaudio exultabunt angeli, laudibus tuis resonabit coelum. Quod mearum est partium, animo et opere singulariter gratum me praebebo, ubique terrarum praedicaturus, te verum esse ac unigenitum Dei Filium, totius mundi cultu, amore et adoratione dignissimum.

Feria VI.

De heroicis S. Pauli virtutibus.

PUNCTUM I.

Praecipuae Apostolorum virtutes sunt *paupertas spiritus*, *castitas*, *mortificatio:* in iis omnibus plane eminuit Paulus. 1. *Pauper* fuit *spiritu.* Omnia reliquit amore Christi, ut caeteri Apostolorum, omnium rerum inopia magis erat contentus, quam totius universi dominio. *Vivimus*, ait, *sicut egentes*, *tamquam nihil habentes*

et omnia possidentes. (II. Cor. 6, 10.) Relinquamus et nos omnia propter Christum: et omnia in Christo possidebimus; ipse enim nobis erit loco omnium. 2. *Castissimus* erat instar angelorum et quidem majore quam isti merito et gloria; illius enim castitas gravissime tentata fuit ac probata: id quod non cadit in angelos. Permittente Deo vehementissimos sensit carnis stimulos: vicit oratione. Sine hac frustra tibi de castitate blandiris: cum illa non est, cur timeas inimicos castitatis, anima mea: oppugnent te frequenter et atrociter, certo certius eris victrix, ut cum S. Paulo possis dicere: *Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per D. N. J. Christum.* (I. Cor. 15, 57.) 3. Orationi junxit *mortificationem*, ut carnem subjiceret spiritui. *Castigo*, ipse ait, *corpus meum et in servitutem redigo, ne, cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar.* (I. Cor. 9, 27.)

Deum immortalem! si magnus hic Apostolus, de sua ad gloriam aeternam praedestinatione certissimus, nec timorem, nec arma poenitentiae deponit, quomodo nos utraque poterimus abjicere? nos, ajo, quorum salus tot adhuc, tantisque patet periculis? unde, quaeso, praesumpta isthaec securitas et secura praesumptio nascitur?

O mi Jesu! o principium et fons omnium virtutum, quarum exemplar perfectissimum tuo in Apostolo nobis reliquisti! inspira nobis perfectam spiritus paupertatem et terrenorum omnium abnegationem, similem corporis ac animi puritatem cum extrema mortificatione, quarum virtutum utilitatem simul ac necessitatem in triduana solitudine Paulum magister docuisti: absque hac tua ope et instructione frustra, Domine, intenderes, incassum laborares ex me sacerdotem, praedicatorem, aut verum Christianum formare.

PUNCTUM II.

Humilitas S. Pauli tanto major fuit ac rarior, quanto majoribus, innumeris et singularibus conjuncta fuit gratiis et consummatae sanctitati. Manifestavit autem illam praecipue in sequentibus: 1. De se ipso quam abjectissime sensit ob continuam peccatorum suorum memoriam. Vocat se *primum* inter peccatores. *Ego sum*, ait, *minimus*

Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei. (I. Cor. 15, 9.) 2. Non contentus, se apostolatu indignum candide fateri, non abhorruit se palam profiteri *blasphemum, inimicum Jesu Christi, Ecclesiae persecutorem* fuisse (I. Tim. 1, 13.) ad sanguinis effusionem usque. Si autem coactus fuit honorifice loqui de se, laudibus verba humilitatis miscebat. *Factus sum*, inquit, *insipiens: vos me coegistis.* (II. Cor. 12, 11.) 3. Summam praeseferebat sui diffidentiam timori junctam, qui contra testimonium conscientiae, haec ei verba expressit: *Nihil mihi conscius sum: sed non in hoc justificatus sum; qui autem judicat me, Dominus est.* (I. Cor. 4, 4.) 4. Totam actionum suarum gloriam referebat in Deum et gratiam ejus, de nulla unquam vane gloriatus. *Gratia Dei*, ait, *sum id, quod sum.* (I. Cor. 15, 10.) Et alibi: *Ego plantavi, Apollo rigavit: Deus autem incrementum dedit. Itaque neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed, qui incrementum dat, Deus.* (I. Cor. 3, 6. 7.) Quantacunque patravit miracula, tantum abest, ut, quos propterea ei quidam volebant deferre, divinos honores admiserit: ut potius omnium contemptu se dignum existimarit, nil magis desiderans, quam sperni pro Christo. *Mihi* (exclamat) *absit gloriari, nisi in cruce D. N. J. Christi.* (Gal. 6, 14.) *Pro me autem nihil gloriabor, nisi in infirmitatibus meis.* (II. Cor. 12, 5.)

Anima mea! tuam modo cum S. Pauli humilitate compara. Nihil es: et tamen magni te aestimas: in tuas semper laudes effunderis, nil merita praeter contemptum: blandiris tibi, parem te esse gerendis rebus maximis: et deficis in minimis: imo et haec inani de te opinione corrumpis, nil reformidans tibi honoris thura adolere, Deo soli debita.

Quid ergo mirum, Domine, quod nihilum, hominem ajo, confusione toties ac pudore afficere soleas, dum suam tam parum agnoscit vilitatem, imo tuam tibi gloriam contra omne fas non dubitat eripere? Ego quidem corde sincero grates tibi humillimas ago, Domine, quod salubri isthoc pudore et confusione cooperias faciem meam: fac ex illa meae medicinam superbiae. Quod si humiliatio

me reddat humilem, erit illa, licet molestissima, mihi omnibus mundi honoribus longe pretiosior.

PUNCTUM III.

Nemo unquam tenerius, ardentius, nemo fortius Paulo amavit Jesum Christum: hic amor illum intime uniebat cum Christo. *Vivo autem*, ait ipse, *jam non ego, vivit vero in me Christus.* (Gal. 2, 20.) Vivebat in eo Jesus velut principium, regula et finis omnium ejus cogitationem, affectuum, verborum, actionum. Nihil in ore versabat aliud, in corde nihil, praeter Jesum crucifixum, tam arcte illi conjunctus, ut ad tentandam disjunctionem coelum, terram et Orcum provocarit, exclamare ausus: *Quis* (in coelo, terra et Orco) *quis nos separabit a caritate Christi?* (Rom. 8, 35.) Ad nihil non agendum paratus erat, patiendumque, ut totum orbem pertraheret ad agnitionem et amorem Dei. Amor Dei erat tota ejus vita: et mors, quae eum perfectissime debebat unire cum dilecto, unice erat in votis.

Felix Apostole, qui totus amore Christi ardebas! utinam eodem arderem! O Jesu, amor animae meae! utinam semper cogitarem de te, agerem pro te, loquerer de te, de tuis perfectionibus, de infinita bonitate tua, et tui amorem omnibus inculcare possem! Ah! extermina in me, quidquid tuae resistit caritati: omnem extingue amorem, divino non flagrantem igne. Vive solus in me et da, ut ego totus vivam in te, atque adeo indissolubili amoris vinculo tecum unitus nihil amem, desiderem nihil, nisi te in tempore ac aeternitate.

Sabbato.

De Cornelii gentilis vocatione ad fidem.

(Act. 10, 1. sq.)

PUNCTUM I.

Vir erat in Caesarea nomine Cornelius, centurio gentilis, *religiosus* in cultu divino, *ac timens Deum*, seu recedens a peccatis, *faciens eleemosynas multas plebi et deprecans Deum semper.*

Hac ratione Deus per gratiam suam Cornelium disponebat ad gratiam baptismi et vocationis ad fidem christianam. Fuit autem prodigiose vocatus per angelum *dicentem sibi: Corneli, orationes tuae et eleemosynae tuae ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. Et nunc mitte viros in Joppen et accersi Simonem quendam, qui cognominatur Petrus: hic dicet tibi, quid te oporteat facere.*

Admirare, anima mea, suavem Dei providentiam in procuranda salute ac perfectione praedestinatorum. Sua eos praevenit gratia, ut ad majores recipiendas praeparet: docet benefacere et juvat ad promerendos majores coeli favores, ut sublimibus assuefiant virtutibus. Eum in finem aliquando extraordinariis utitur mediis, seu miraculis: ut patet in Cornelio: at non omittit eos iterum ordinariam in viam reducere: et quamvis angelico utatur ministerio, ut mysteria addiscant, humanam transcendentia sapientiam: hanc tamen disciplinae et gubernationi humanae subjicit quoad illa, quae non superant eorum captum: uti Cornelium remisit ad S. Petrum, quo ejus ope imbueretur principiis fidei christianae.

O Deus misericordiarum! cui melius ego meae negotium salutis et sanctificationis committam, quam tuae prorsus amabili providentiae, quae tanta illud bonitate ac sapientia dirigit? Egone sim usque adeo meorum inimicus et negligens commodorum, ut gratias actuales, quibus me ad bonum et virtutem excitas, contemnam sub praetextu et specie, quod me ad pietatis opera, quae mihi videntur minoris esse momenti, impellant? forsitan ex illis mea sanctitas, perfectio, aeterna salus dependent. Non, mi Deus, non omittam posthac quidquam eorum, quae facienda inspiraveris; quidquid enim meam tangit praedestinationem, summi est momenti. Non est mihi animus tuae scrutari arcana providentiae: attamen nervis omnibus contendam, ut nullum ejus dispositioni et effectui ponam obstaculum.

PUNCTUM II.

Dum Cornelius jubetur instructionem petere a S. Petro, hic simul in quodam *mentis excessu* coeleste

mandatum accipit, eam Cornelio impertiendi. *Vidit autem coelum apertum et descendens linteum magnum, in quo erant omnia quadrupedia et serpentia terrae et volatilia coeli.* Jussus ea occidere et manducare Petrus: *Absit*, ajebat, *absit*, *Domine: quia nunquam manducavi omne commune et immundum.* Cui vox coelestis secundo: *Quod Deus purificavit*, *tu commune ne dixeris.*

Vide hic, anima mea, infinitam Dei caritatem, neminem excludentis a regno suo. Nulli etiam infidelium praecludit aditum in Ecclesiam: sincere et serio *vult omnes homines salvos fieri.* Grates propterea et laudes aeternas divinae bonitati dicamus.

At simul discite hinc, o sacerdotes Dei, nullum repellere peccatorem, ut flagitiosissimum, quando se ad pedes vestros abjicit, ut peccatorum veniam et animae salutem impetret. Cavete ceu *immundos* rejicere, quos Deus per vos purificare decrevit. Vos autem, errantes oviculae, absit, ut timeatis ad ovile reverti, in quod omni cum suavitate vos recipi pastor bonus praecipit.

Summas tibi grates ago, mi Jesu, ob immensam bonitatem, qua errantes quaeris oviculas, ut tuis impositas humeris ad caulam reducas: summas quoque grates ob expressum, quod ministris tuis dedisti, mandatum nullam repellendi. Quis posthac tuae poterit diffidere bonitati et clementiae, tot testimoniis confirmatae? Quis non filiali cum fiducia in sinum coelestis Patris convolet, tamquam in misericordiarum oceanum, in quo prorsus enormia absorbentur flagitia et peccatores maximi scelerum veniam, certamque reperiunt gratiam?

PUNCTUM III.

Vixdum abscessit visio, cum *ecce viri*, *qui missi erant a Cornelio*, *adstiterunt ad januam* et intromissi sunt. Petrus intellecto ex illis, quid vellet Cornelius, *sequenti die profectus cum illis* introivit in domum Cornelii, instruxit et baptizavit eum cum pluribus: *et cecidit Spiritus S. super omnes.*

Obstupesce, anima mea, Petri obedientis alacritatem, sanctum praedicantis zelum et efficaciam, nec non solidam exultantis laetitiam, quod in Cornelio ejusque domesticis primitias gentilium Deo potuerit offerre.

Quantum vero, o Deus, prodigium est intueri homines in paganismo educatos subito ingredi sinum matris Ecclesiae! Videre corda, a daemone prius obsessa, repente fieri habitacula Spiritus Sancti! Quanto praeterea Verbi divini ministris solatio est in tanti prodigii instrumenta a te eligi! Fierine possit, ut tam indignum, quale ego sum, instrumentum ad id velis eligere? potuit fieri: imo factum jam est: per hoc ipsum nempe tuam manifestas omnipotentiam, futura autem saecula causam et occasionem arripient, te amplius laudandi aeternum glorificandique.

Festa Sanctorum.

I. Januarii.

Circumcisio D. N. J. Christi.

Vide meditationem supra pag. 1.

III. Januarii.

S. Genovefa Virgo.

PUNCTUM I.

Suam sanctitatem auspicatur per innocentiam. Innocentia, gratia sanctificans et infusi habitus supernaturales sunt coeli munera et felicitas eorum, quos sacer baptismi latex regenerat et sanguis Jesu Christi expiat a labe originis. At innocentiam conservare illibatam, imo augere sua sedulitate, vigilantia studioque virtutum, hoc enimvero meritum et laus illorum est, qui fideliter respondent gratiae regenerationis suae. Atque isthaec innocentia ab unguiculis mire in S. Genovefa eluxit et solida sanctitatis prorsus eximiae fundamenta jecit. Deus, qui eam singulariter sibi in sponsam delegerat, zelotypus (si ita loqui fas est) ne alteri cor suum et affectum addiceret, parentes illi dedit, qui ab incunabulis filiolam docerent nihil praeter Deum diligere.

Ipsa apprime docilis et in omne virtutum genus flecti cerea, illud documentum a primo libertatis usu opere complevit, intellectum cognoscendo, voluntatem amando soli Deo consecrans. Re nulla delectabatur, praeterquam rerum colestium divinarumque perfectionum meditatione, sacra solitudine et assidua cum Deo familiaritate. Haec omnia strenue promovit ipsa puellae conditio ac munus custodiendi greges pecorum, ubi affatim temporis ac otii nacta est familiariter utendi ejus consuetudine, qui gaudet appellari *pastor bonus* animarum. Silvae, agri, valles et montes, fontes et rivuli, omnia ipsi videbantur loqui de dilecto suo, cui assiduas persolvebat grates, quod se ea vitae conditione bearit, in qua eodem cum pastorum primitiis Abel, Joseph, David labore occupata, ad parem innocentiae et sanctitatis gradum facili negotio pervenire posset. Hac ratione diebus integris ruri a mundo separata se omnibus incognitam esse credebat. At fama de ejus sanctitate excitus S. Germanus Antisiodorensis Episcopus, dum in patria virginis (Nanterrae nomen est urbi) in rei veritatem inquirebat, veritatis non solum testis, sed et admirator factus exclamavit: Ne haec infans felicitati Galliarum nata est.

En, anima mea, fructum sanctae educationis, simulque emolumenta, quae in innocentiam redundant ex humili et obscura conditione. Si S. Genovefa illustri sanguine, si nobilibus ac opulentis prognata fuisset parentibus, procul dubio deliciis innutrita et, quod tot aliis usuvenit liberis, perniciosis saeculi imbuta dogmatibus, evasisset in filiam mundanam, non item innocentem Christianam.

Agnosco, mi Deus, adorandas tuae erga felicem hanc pastorculam providentiae dispositiones. Voluisti eam nasci parvam in oculis hominum, ut faceres majorem in tuis: nasci pauperem, ut tuae thesauri gratiae amplius in ea elucescerent.

PUNCTUM II.

Perficit per patientiam. Defunctis parentibus Deus Genovefam Parisios Nanterra evocavit, ut illustre ibi spectaculum fieret prorsus heroicarum virtutum. Eo

vix delatam eximiis cumulavit gratiis et donis occultissima quaeque cordium secreta perspiciendi, nec non stupenda patrandi miracula, adeo, ut vulgo thaumaturga et prodigium totius Galliae audiret.

Verum enimvero *quam mirabilis es*, o Deus, *in sanctis tuis!* Non diu tuis sponsam deliciis et coeli voluptatibus tranquillé sinebas frui, sed a monte Tabor abstractam mox ducebas ad montem Calvariae.

Disce ex hoc, anima mea, unam esse eandemque viam *crucis* et *sanctitatis*, neque ad hanc aliter quam per illam posse jam perveniri, postquam ipse Dei Filius hanc viam trivit stravitque dux fidelissimus. Profunde igitur hanc veritatem cordi imprimamus: scilicet per cruces, quas aut generosi ultro amplectimur, aut saltem humili cum resignatione acceptamus, nos effici sanctos et quidem magnitudinem crucis esse decempedam majoris sanctitatis.

Ita sane Christus, qui Genovefam elegerat in sponsam, voluit, suo ut exemplo esset sponsa perpetuae cruci affixa, itaque, ceu non contentus, quod ipsamet suum innocens corpusculum vigiliis, ciliciis, jejuniis, aliisque etiam immodicis crucifigeret poenis, eam gravissimis doloribus afflixit et morbis; inter alios complures foedissima et prorsus acerbissima lepra, quae virginem depasta penitus deformavit, totque ulceribus opplevit, ut illis etiam, quibus paulo ante summis fuerat in amoribus, jam horrorem et nauseam injecerit. Tum vero ab omnibus derelicta et in paleas, uti Job in fimetum, abjecta, Deum tamen laudare non cessabat, laetior sordido in stabulo, quam regio in solio. Sed necdum satis aerumnarum. Permisit insuper Deus, ut (res mira dictu) repente urbs tota suum, quod prius foverat, de Genovefa judicium mentem ac aestimationem in suspiciones, contemptum, odium et publicam persecutionem mutaret et virginis pietatem pro hypocrisi, revelationes pro imposturis, miracula pro evidentibus praestigiis, morbos pro suppliciis, a Deo impietati merito inflictis, haberet.

Heu! quam duris, o Jesu, experimentis carissimam tentas sponsam! Eamne penitus deseruisti? Imo quid tuus erga illam amor intenderit, jam capio; nimirum

sponsam tuae conformem imagini reddere voluisti, dum te, ut ait Isaias (c. 53, 4.), *putavimus quasi leprosum et percussum a Deo et humiliatum.* Neque tamen alio fine illam in hoc dolorum et humiliationum demersisti barathrum, quam ut magis perficeretur, imo ad supremum perfectionis apicem eveheretur.

PUNCTUM III.

Ejus sanctitas coronatur per gloriam. Et sol suas patitur eclipses, quae nostris eum oculis tantisper auferunt, ut subinde majori cum splendore refulgeat. Non aliter Dei providentia agit cum justis et innocentibus. Permittit eos non raro injustissime obscurari: at brevi eos a tenebris vindicat, majores ipsis procurando honores. Ita sane cum S. Genovefa egit, ad hoc usus opera Episcopi Antisiodorensis, qui, uti sanctam ejus nativitatem obstupuit, ita divexatam ejus sanctitatem strenue defendit. Magna populi corona stipatus adiit virginem et reperit lacrimis suffusam et humi flectentem, defixis in crucifixum oculis, qui cum variis poenitentiae instrumentis erat unicus pauperis thesaurus. Mox inspectante tota multitudine ea honoris ac venerationis illi signa exhibet, quae nulli praeterquam eximia sanctitate conspicuis solent exhiberi. Nec mora: rei fama et serie per totam urbem sparsa, omnes ceu divino dedocti oraculo conceptam animo falsam opinionem deponunt et majore quam prius veneratione ac amore Genovefam prosequuntur, coelo factum innumeris comprobante miraculis, per Genovefam patratis. Nomen Genovefae amplius inclarescit. Certant modo summi infimique eam colere, invocare, ac sibi devincire. Ipsi adeo reges Galliae in suis aut regni necessitatibus ad eam confugiunt, nec non metropolis Lutetia eam veneratur ut protectricem et commune in publicis calamitatibus praesidium.

Quanta autem (Deum immortalem!) pauperis rusticellae, in vili tugurio natae, ruri educatae, gloria est tantis affici honoribus, oraculi adinstar ab omnibus consuli, regum et principum judicio haberi adhuc in vita pro sanctitatis miraculo, obsequiis coli post mortem! Quis credidisset unquam, ossa Genovefae in altaribus

publicae venerationi aliquando fore exponenda, in triumpho et publicis supplicationibus circumferenda humeris sacerdotum, et hanc usque in diem conservatura virtutem elementis (e. g. aëri, ut juxta rerum exigentiam nunc effundat, nunc inhibeat pluvias) imperandi, imo et (si ita fari licet) omnipotens Dei brachium, ad plectendos mortales jam expeditum, cohibendi?

Ita nimirum honorificas sanctos, o Deus! Eorum preces exaudis: tuam illis communicas omnipotentiam: naturam cogis eorum imperiis morem gerere: quodque omnem regum potentiam longe transcendit, sanctis copiam largiris ventos et tempestates sedandi. Eximiis hujusmodi favoribus simplicem puellam in toto terrarum orbe reddis celebriorem, quam tot reginas, quarum vix meminimus, cum tamen nomen, fama et honor Genovefae sit maneatque immortalis.

XIV. Januarii.

Festum Nominis Jesu.

Vide meditationem II. Jan. supra pag. 4.

XXV. Januarii.

Conversio S. Pauli.

Vide meditationem Feria III. Dom. IV. post Pent. pag. 433.

XXXI. Januarii.

S. Franciscus Salesius.

Idea vitae spiritualis.

PUNCTUM I.

Salesius moritur sibi. Certe spiritualis vitae tirocinium auspicatus est a mortificatione et morte propria; hinc jam a teneris coepit horrere omnia vitae sensualis irritamenta, sensus mortificare, etiam licitis sibi interdicere voluptatibus, voluntarias corporis afflictationes

sectari, adeo invisas nobilibus. Contra perpetuum indixit bellum suis passionibus, illis maxime, quae tanto sunt periculosiores, quanto magis sunt innatae. Ea de causa in s. sacello Laureti perpetuam virginitatem adolescens vovit, omnemque inordinatum gloriae et honorum amorem exuit, cane pejus et angue omnem mundi splendorem et pompam refugiens. Recusavit amplissimam in senatu Sabaudiae dignitatem, in Ecclesia cardinalitiam manibus rejecit pedibusque, episcopalem pro virili a se amoliri contendit. Irae motus omnes ita extinxit, ut cor ejus aut felle omnino caruisse, aut in lapidem induruisse crederetur. Jurasses, mansuetudinem sancto fuisse innatam: adeo immotus, instar mortui, erat ad omnes injurias. Verbo: *animam suam* ita perfecte *possedit in patientia* et pace, ut nihil eam potuerit turbare.

En, anima mea, fructum et mercedem christianae mortificationis. Se ipsum vincere, passiones frangere, edomare carnem, subjugare naturam, quotidie sibi et amori proprio mori, haec demum est mors spiritualis, quam pax alta solet excipere. *Qui cupiditates vicit, pacem sibi perpetuam dedit.* (S. Cypr.)

Nemo est, qui hanc pacem non desideret, o Deus; at plerique vellent jam otio et sine pugna emere; at incassum; nam passiones necdum edomitae venti sunt, qui assidue turbines, procellas, tempestates excitant: domini sunt aut verius tyranni, quibus solemne est suam in animas tyrannidem exercere, nullo iis tranquille quiescendi spatio unquam relicto. Veram nimirum pacem nemo inveniet, Domine, qui non amore tui vim sibi intulerit mortemque spiritualem.

PUNCTUM II.

Vivit Deo. Sibi perfecte mortuus haud aegre Deo vivit et quidem vita, ut S. Salesius, spirituali: nam 1. sancti intellectus erat immunis ab omni cogitatione terrena, quia semper immersus divinis. 2. Voluntas tenero et ardenti amore Dei jugiter flagrabat. Solo videbatur Deo vivere, nil spirans, timens, amans, praeter Deum, qui ei erat omnia in omnibus. Parem mentis

malaciam in prosperis et adversis praeseferebat, utraque velut divinae, quam in omnibus adimplere satagebat, voluntatis effectus considerans, aliquando dicere auditus, si sanctissimus visitationis ordo, quem tanto labore instituerat, atque adeo immensum deperibat, dissolveretur, licet per omnem Europam jam tunc diffusus, se neutiquam inde turbatum iri.

Numquid autem hoc non est Deo vivere? et vivere vitam beatorum in coelis? Ah! quam jure merito illa omnem nostrum amorem, vota et laborem sibi vindicat, dignissima, ut ejus obtinendae studio terrenam ac sensualem vitam, quali major hominum pars vivit, Deo immolemus! O quam dulce est cum propheta dicere: *Mihi adhaerere Deo bonum est!* (Psal. 72, 28.) O quanta felicitas est Deo *soli* adhaerentium!

Oportet igitur, anima mea, amorem et affectum ab omnibus terrenis abstrahere et per merita S. Francisci de Sales Deum efflictim rogare, ut efficacem nobis largiatur gratiam vincula, queis mundus constrictos tenet, rumpendi omnia, ut cum eodem vate possimus dicere: *Quid mihi est in coelo? et a te quid volui super terram, Deus cordis mei et pars mea Deus in aeternum?* (Psal. 72, 25. 26.)

PUNCTUM III.

Vivit proximo. Nemo gloriari poterit, quod totus sit Dei eumque ardenti amore prosequatur, qui non pari studio et totus divinam quaerat gloriam: h. e. qui non omnes intendat nervos ad Dei cognitionem et amorem omnibus inculcandum. Qui sacra divini amoris flamma ardet, non potest non ocius eandem, quocunque licuerit, latius spargere. Talem Salesius se exhibuit lingua, calamo, corde et opere. Singula ejus verba jure flammas dixeris, quae frigidissima hominum corda amore Dei succendebant. Calamus, scripta, libri divinum ubique amorem spirant, quos nemo legerit, quin Spiritus S. unctionem sentiat et totus in Dei amorem exardescat. Possum utique (dicere consueverat Romana insignis purpura Perronius) rationibus auditorum convincere intellectum: at soli Episcopo Genevensi (Salesium intelligebat) concessum est movere animos, corda lucrari et animas con-

vertere. Et vero quas non lucratus est Christo? Quot haereticos meliora sapere ac orthodoxam fidem amplecti docuit? horum numerus ad septuaginta milia ascendit. Quot libertinos et vitae dissolutioris sectatores ad christianae orbitam vitae reduxit? quot tepidos novo animavit spiritu et fervore? horum numerus est sine numero.

Quamquam si aliud magni praestitisset nihil, quam quod ordinem visitationis fundarit, id unum ad perennem viri zelosissimi laudem ac memoriam abunde sufficeret, cum singulae domus sint totidem pietatis sanctuaria, ubi Deus cultu purissimo, exacta regularum observantia, devotione solidissima honoratur: ubi (ut verbo complectar omnia) viget adhuc semperque vigebit Salesii spiritus, quem ipsae non minus atque cor, quod licet vita destitutum, ardentissimo tamen Dei amore adhuc animatum videtur, apud se depositum conservant.

Da, Domine, ut ego quoque mihi moriar: hac ratione et tibi et proximo vivam.

II. Februarii.

Purificatio B. V. Mariae.

Vide meditationem Feria II. post Epiphan., pag. 23.

XXIV. Februarii.

S. Mathias Apostolus.

Vide meditationem Feria V. post Domin. VI. post Pascha, pag. 368.

VII. Martii.

S. Thomas de Aquino.

PUNCTUM I.

Ejus vocatio in ordinem S. Dominici sane admiranda. Hanc vocationis gratiam Thomae b. Virgo impetravit, cui a teneris erat devotissimus: singularem

vero Mariae benevolentiam ille meruit summo puritatis amore studioque. Adeo angelica haec virtus amores corque rapit virgineae matris nosque de potenti ejus protectione securos reddit. Thomas simul ac se in ordinem religiosum a Deo vocari agnovit, absque mora obtemperavit vocanti, perruptis omnibus obstaculis, quae splendor natalium, mundi blanditiae, obluctantis familiae contentio opposuerant. Integrum per biennium nullus non movebatur lapis, nihil non blanditiarum, precum, lacrimarum, objurgationum, minarum, vexationum gravissimarum adhibebatur ad juvenem suo a proposito dimovendum. Incassum omnia: clam aufugit gloriosus transfuga. Vi retractus e fuga a fratribus arci, dicam, an carceri includitur: Venus impudens immittitur ad labefactandam captivi innocentiam. At castissimus athleta arreptis e foco armis, novo stratagemate ignes ignibus eludens, ardenti titione propudiosam mulierem fugat. Hac sui, carnis et Orci victoria meruit angelicus juvenis circa lumbos ab angelo tam arcte constringi, ut omni libidinis sensu posthac caruerit: inconcussa vero constantia, qua propinquos gloriose debellavit, plenam ei libertatem peperit, vocantem Deum sequendi.

Admirabile exemplum, ad imitationem merito tot adolescentibus proponendum, quos pari bonitate et gratia Deus vocat, ut sibi modo peculiari serviant, mundo terga vertant, aequali magnanimitate et mendaces illecebras et duras persecutiones saeculi contemnant, ita, ut nec istis sese concuti, nec illis patiantur seduci.

Qui par animi robur cum S. Thoma adhibet, o Deus, ut te vocantem sequatur, omnia ad felicem exitum perducet: cumque tu summus et optimus sis Dominus, qui nec amore, nec liberalitate ullius te pateris vinci, generosa ejusmodi corda tuis cumulas gratiis et copiosis benedictionibus.

PUNCTUM II.

Ejus scientia prorsus angelica. Singularis puritas et immensus omnium, quae carnis voluptatem sapiebant, illecebrarum horror, jejunia, vigiliae, preces, quae Thomam in purum quodammodo spiritum transmutarunt, fuere dispositiones ad obtinendam eminentem scientiam, quae

ipsi nomen *Doctoris angelici* jure meritissimo comparavit. Vix tiro, jam visus est magister in arte, non minus inter celeberrimos Theologiae doctores refulgens, quam sol inter stellas. Ubi silentium rupit, quod initio studiorum pertinacissime tenuerat, dictus propterea *bos mutus*, ita loqui coepit Parisiis magistrum sententiarum explanans, ut omnes Galliae sapientes brevi suos fecerit auditores, mox per omnem Europam scientiae suae excellentis praecones. Totus terrarum orbis scripta et libros Thomae ceu fontes scientiarum avidissime expetebat. Ipsa veritatis magistra, Ecclesia, cui Christus scientiarum claves credidit, non dubitavit Thomae mentem et sententias explorare, antequam sua veritatis oracula pronuntiaret.

Nec mirum, admirabilis enim Thomae scientia fuit humana major et potissimum e coelo hausta. In difficillimis Scripturae locis rite enodandis ad orationem et jejunium confugere perquam familiare illi erat: imo, quod ipsemet S. Bonaventurae est fassus, ad pedes Jesu crucifixi plus hausit doctrinae, quam ex omnibus libris, aut, ut melius loquar, *crucifixus* ei liber erat, quem assiduissime pervolutabat et consulebat semper.

Quanta et nos, mi Deus, ex eodem libro hauriremus lumina et doctrinas, si, ut Thomas, illo uteremur! At pro dolor! diu noctuque profanis impallescimus libris: si sacros volvimus, nostro labori, studio, applicationi vane confidimus; hinc exiguus, quem capimus, fructus, totque errores intellectus humani, quando sibi relinquitur soli. Vide, quid sint valeantque eruditissimi doctorum, nisi humiles sint discipuli in schola illius magistri, qui est ipsa veritas, et *in quo sunt omnes thesauri scientiae* Patris. (Coloss. 2, 3.) Profecto solum ille *beatus, quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum.* (Psal. 93, 12.)

PUNCTUM III.

Thomae sanctitas eminens. Eminuit quidem in eo scientia, amplius tamen sanctitas. Fundavit hanc in profunda humilitate, quam humili sui ipsius existimatione nutriebat, quamvis apud omnes in summo fuerit honore, pretio, aestimatione. Vilissimum et pondus inutile sui ordinis se reputabat, ad omnia ineptum, omni honore

indignum, majore animi ardore fugiens dignitates, quam alii quaerant. Inter alias certatim oblatas Archiepiscopatum Neapolitanum a summis Pontificibus oblatum constanter respuit. Tantum abest, ut ejusmodi honoribus dignum se existimarit: ut nullam laborum mercedem nisi a Deo voluerit acceptare. Imo nec Dei mercede contentus, ipsum Deum suam voluit mercedem esse: haec erat tota ejus ambitio. Certe cum Neapoli quodam die ardenter coram crucifixi imagine preces funderet, praeclaram hanc ab eo censuram percepit: *Bene scripsisti de me, Thoma: quam igitur mercedem accipies? non aliam, Domine,* reposuit Thomas, *nisi te ipsum.*

An et nos id unice, aut saltem praecipue quaerimus per nostros labores, negotia, studia? Heu nos! nil minus, quam te quaerimus, Domine. Aucupamur umbram bonorum pereuntium, honoris fumum, auram applausuum. Quot juvenes dantur clerici, qui scientiis navant operam, haud navaturi, nisi eas ut gradus et scalas, quibus ad dignitates ecclesiasticas ascenditur, considerarent! O mi Deus, quanto nobilius est et homine divini honoris studioso dignius, non alio fine ad studia incumbere, quam ut reddatur aptum ad Dei gloriam et Ecclesiae utilitatem promovendam instrumentum!

XIX. Martii.

S. Joseph Jesu Christi nutritius.

PUNCTUM I.

Ante omnia considerandae sunt singulares gratiae, quibus Josephum cumulavit Deus, ut dignum efficeret sponsum Mariae et Filii sui curatorem, nutritium et velut patrem. Neque mysterio caret ipsum nomen *Joseph*, quo significatur *accrescens;* adeo enim sanctitate et virtutibus crevit, ut omnes legis antiquae sanctos longo post se intervallo reliquerit, antecellens Abrahamum fide, obedientia Isaacum, laborum tolerantia Jacobum, castitate patriarcham Joseph, familiaritate cum Deo Moysen, mansuetudine Davidem. In his virtutibus mirifice perficiebatur exemplo et familiari consuetudine conjugis

sanctissimae. Hoc par conjugum caritatis vinculo intime unitorum jure dixeris *duos Seraphim*, alis suis mutuo sese excitantes ad amorem Dei, cujus infinitas perfectiones simul contemplabantur.

Gaudeamus, anima mea, de tam sublimi sanctitate, qua enituit S. Joseph: de summa dignitate, ad quam a Deo evectus est: de gloriosa, quam cum Jesu et Maria habet, relatione. Faciamus nos ejus excellentiarum participes; at simul discamus, eas omnes in dicta relatione fundari.

Nimirum devotio erga Jesum et Mariam nostrae erit decempeda sanctitatis. O igitur, benignissime Deus, per merita tui patris nutritii efflictim te rogo, *ut, quod possibilitas mea non obtinet, ejus mihi intercessione dones:* Gratiam videlicet ejus exemplo semper in virtutibus ac meritis *crescendi*, ut in bono perseverans merear coronam gloriae, in coelis mihi praeparatae.

PUNCTUM II.

E domo Zachariae ac Elisabeth redux b. Virgo a sponso Josepho *inventa est in utero habens*, quin causam et mysterium ipse noverit. Revelaverat illud Deus Zachariae et Elisabeth: celavit Josepho. Quam mirabilis est Dei providentia erga sanctos!

At quam dura isthaec Josephi et Mariae probatio est! *Josephi*, conjugem suam intuentis gravidam! item ex una parte apparentes habentis rationes suspicandi violatam ab ea thori fidem, ex altera vero ex gravibus argumentis ab omni suspicione absolvendi! Quid autem gravius *Mariae* poterat accidere, quam perturbationem, angores, perplexitatem et suspicionem mariti aspicere, sui ipsius simul periculum, ne ab ipso tamquam violatae conjugalis fidei rea dimittatur? Quis credidisset unquam, par conjugum tam bene inter se convenientium posse ita turbari et a Deo tam duris exerceri tentationibus atque experimentis? Permisit hoc Deus, ut eis occasionem altissimas exercendi virtutes daret, eosque perficeret et ad recipiendas majores gratias praepararet.

Nimirum vera amoris et amicitiae Dei signa sunt tribulationes. Illud maxime refert, anima mea, ut eas

animo humili acceptes, patienti sustineas et, dum Deus videtur exercere justitiam, ejus agnoscas misericordiam, dicens cum Davide: *Proba me, Domine, et tenta me: ure renes meos et cor meum: quoniam misericordia tua ante oculos meos est et complacui in veritate tua.* (Psal. 25, 2. 3.)

Admiremur tuam, Virgo sanctissima, humilitatem in suspicione pudori tuo tam injuriosa, constantiam in ea toleranda, quin verbulum ad tuam defensionem proferas. Neque minus admirabilem conjugis sancti moderationem obstupescamus, dum, quam uterus uxoris ei ante oculos ponebat, pergravem injuriam diu mente volvens, nullo tamen aculeato verbo illam perstrinxit, non apud alios conquestus, non ad judices rem detulit, contentus *occulte* media indagare suae simul conscientiae et honori suo ita faciendi satis, ut non violet alienum Mariae. Ah! similem agendi rationem, o Deus, quae tot taedia, tot discordias et scandala averteret, omnibus inspira, qui statum conjugalem ac vitae societatem profitentur.

PUNCTUM III.

Haec autem Josepho cogitante, ecce angelus Domini apparuit ei in somnis, dicens: Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Pariet autem filium et vocabis nomen ejus Jesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. (Matth. 1, 20. 21.)

Nota 1. Angelus suo Josephum nomine compellat, *Joseph*, ut attentiorem reddat ad audiendum coeli oraculum, utque omnem (quod proprium bonis est angelis) animi angorem ei eximeret declarando mysterium, quod Deus in castissimo Virginis utero fuerat operatus. 2. Exprimit familiae cognomen, *fili David*, ut Joseph facilius crederet revocanti in memoriam promissum, a Deo factum Davidi, scilicet ex hujus familia nasciturum esse Messiam. 3. Adjicit: *Ne timeas;* nam ordinarius visitationis angelicae effectus est dissipare anxietates justorum; hinc 4. Josephum reddit certum, quod Virgo *conceperit de Spiritu Sancto*, mundi paritura Salvatorem, cujus curam ipse cum omni auctoritate paterna habiturus esset, ac si proprius Josephi esset filius.

Superi! quot, quantaque unico instanti lumina sunt exorta in Josephi intellectu! quot gaudia in corde! Quanta erga Mariam veneratio! Quantus contra dolor et pudor, quod vel minimae de fide et puritate castissimae Virginis suspicioni locum, quamvis ex ignorantia, dederit! Quantas egit Deo grates ob concessam sibi tantae dignitatis conjugem et commissum adeo sublime patris nutritii munus! Quantum porro ejus fiducia in Deum crevit adeo bonum, qui in Josepho comprobavit illud Jobi: *Cum te consumptum putaveris, orieris ut Lucifer* seu aurora.

Grates tibi immortales, o Deus, pro tam paterna erga sanctissimos hos conjuges cura, ut magnam eorum tristitiam in majus gaudium convertas. Per tuum in eos amorem supplex rogo, ut me pariter fructus tuae providentiae reddas participem. Vides utique timores, quibus obruor: tristitias, quibus subinde mergor: perturbationes, quibus non raro premor. Fac, ut intellectui meo vel unicus divini luminis, quod omnes cordis Josephi tenebras disjecit, radius illucescat. Illis cor meum verbis consolare: *Ne timeas;* et perfectam animo meo tranquillitatem reddidisti.

XXI. Martii.

S. Benedictus Abbas.

PUNCTUM I.

Ejus virtutes. Adhuc puer ludum cum eremo mutavit, in quam, vix decimum quartum egressus annum, e domo paterna profugit, alter Joannes Baptista. Oriundus erat illustri familia, ex qua olim prodierant aliquot consules Romani. Ne mundo terga obverteret, omnes eum retinebant illecebrae, honores, dignitates, rerum omnium affluentia. Deseruit omnia, ut se vivum tumularet in spelunca, ubi rebus carebat omnibus, etiam summe necessariis cariturus, nisi monachus, cui suam concredidit solitudinem, ei attulisset necessaria ad arcendam verius mortem, quam famem.

Quam *mirabilis* es, o *Deus, in sanctis tuis!* Quam alienas a mundi spiritu cogitationes illis inspiras! Mundus

nil quaerit, nisi pompam, splendorem, gloriam, voluptates, vitae commoda: tu vero illis, quos statuis sanctos efformare, ingeris amorem latendi, carnem mortificandi, mundi illecebras aspernandi.

Res mira! Benedictus in spelunca ab omni hominum commercio remotus, sola angelorum familiaritate fruens, in corpore vigiliis et jejuniis emacerato, sentit tamen cum doctore gentium stimulos carnis. Ut aculeos retunderet, se in vepribus (exemplum sine exemplo) nudum tamdiu volutavit, donec lacerato corpore omnem voluptatis sensum oppresserit et Asmodaeum tam perfecte triumpharit, ut nunquam posthac contra Benedictum in arenam descendere sit ausus. Tanti refert vel semel heroico ausu rem arduam in via salutis ac perfectionis aggredi, mox omnis difficultas vel disparet, vel complanatur. Quod si ad superandas tentationes nobis tantum animi ac virium non sit, ut tam ardua tamque insolita arripiamus media, saltem faciliora et ordinaria non negligamus: uti sunt jejunium ac oratio, quibus victrices gratias et triumphos certe obtinebimus.

PUNCTUM II.

Ejus labores ac opera. Uti providentia divina solet in sinu et visceribus terrae metalla efformare, ut ornandis altaribus aliisque praeclaris usibus serviant, ita S. Benedictum Deus in obscura solitudinis suae umbra praeparavit ad perficiendum ea in Occidente, quae per S. Basilium Magnum effecerat in Oriente: h. e. voluit Deus, ut Benedictus fieret patriarcha et fundator innumerabilium religiosorum. Solus mons Cassinus, ubi ingentem religiosorum vim collegit, erat seminarium sanctorum, ex quo colonias deduxit ad spargendam in omnes provincias sanctitatem. Large instruxit eum Deus sublimi *prudentia*, ut religiosos gubernare: ardenti *zelo*, ut eos ad perfectionem posset perducere. Regulae, quas illis proponendas Deus Benedicto inspiravit, adeo prudentiae ac perfectioni erant conformes, ut futuris quoque saeculis pro exemplari servierint ad fundandos plures religiosos ordines. Regula haec, quae in tot utriusque sexus monasteriis floruit, statim initio admirabilis, adeo

plena divino Spirito, adeo apta ad consequendam sanctitatem omnibus visa est, ut omnis status et conditionis homines turmatim ex omnibus mundi partibus ad Sanctum Benedictum confluxerint, supplices, ut in ejus disciplinam et ordinem reciperentur: idque factum eo successu, ut quam plurimi fuerint in angelos mutati.

Quantam tibi gloriam, o Deus, solus attulit Benedictus! quantum honorem Ecclesiae tuae ac religioni orthodoxae! quot sanctis replevit coelum! Tibi, Domine, cujus ille erat instrumentum: tibi, qui tuo eum replevisti Spiritu: tibi, cujus virtute ille tanta gratiae prodigia in hominum animis patravit: tibi, inquam, soli laus, honor et gloria in saeculorum saecula.

PUNCTUM III.

Ejus praemia. Inter eximias coeli gratias, S. Benedicto concessas, haec fuit prorsus singularis, quod Deus in eo solo omnes, quos solet variis sanctis tantum per partes dividere, favores et gratias conjunxerit. Excellebant quidam gratia innocentiae, alii poenitentiae, rursus alii zelo divinae gloriae, quam vita publica procurabant; alii denique *spiritu solitudinis* inclaruerunt, sanctitati propriae intenti. At peculiare S. Benedicti privilegium est, quod nexu mirabili innocentiam simul cum poenitentia, communitatem cum solitudine, assiduitatem in choro cum caritate proximi, Martham cum Maria conjunxerit, adeo, ut teste S. Gregorio *plenus fuerit* diverso *spiritu justorum.* Certe paucos invenias in Ecclesia sanctos, Benedicto puritate simul ac mortificatione celebriores. Erat ut angelus, quem vidit Moyses in medio spinarum. Solitudo unicum erat ejus solatium et voluptas, specus vero Sublacensis, utut horribilis, coelum deliciis affluens. Zelus tamen divinae gloriae eum protraxit in lucem, ut in conversionem circumjectarum gentium incumberet. Quantum ipse studuit concessas a Deo gratias ac dotes occultare, tantum Deus laboravit mundo manifestare. Fama de ejus miraculis, praecipue de dono futura praedicendi, se late diffudit. Vatem expertus est Totila, cui ambitionis, regni ac vitae simul finem praedixit. Hic, totius licet *terror orbis*,

Benedictum tamen in honore habuit, ex barbaro factus imposterum multo humanior.

Quam belle, mi Deus, honorem, quem sancti ex humilitate tibi immolant, nosti compensare! tantum eos exaltas, quantum se humiliant. Fallor: in exaltando nullam servas mensuram modumque. Ut a summis aeque ac infimis, arrogantibus et ferocissimis honorentur, illorum fronti certam quasi notam et characterem imprimis, qui faciat omnium honore dignos. Stolidos igitur mortales, qui suam, h. e. vanam quaerunt gloriam! quam quidem vanitatem affatim luunt, cum plerumque ibi humilientur et contemnantur, ubi non nisi honorem et gloriam sperabant.

XXV. Martii.

Annuntiatio B. V. Mariae.

(Luc. 1. 26. sq.)

PUNCTUM I.

Missus est angelus Gabriel a Deo ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph.

In hac coelesti legatione, ut ex singulis ejus circumstantiis spiritualem fructum capiamus, considerandum, *a quo, per quem, ad quem, et quo fine* expediatur. 1. Legatio expeditur *ab ipsomet Deo: Missus est angelus a Deo*, rerum omnium Domino. 2. Et quidem *missus est* excellens inter suos *angelus Gabriel*, seu *fortitudo Dei.* 3. Missus est *ad Mariam*, h. e. *ad Virginem* pauperculam, ignobilem, mundo ignotam. 4. Missus, *ut cum ipsa ageret* de summi, quod unquam fuit, momenti negotio, eique nuntiaret, quod Verbum divinum, ut salvet genus humanum, decreverit homo fieri, sanctissima Trinitas autem in tanti matrem Filii eam elegerit, prius tamen liberum ejus consensum in tanti mysterii adimpletionem requirat.

O stupendam Dei benignitatem! Domine, *quid est homo, quod memor es ejus? aut filius hominis, quoniam visitas eum?* (Psal. 8, 5.) Ah! quam diversa sunt Dei et hominum judicia! hi solum respiciunt ac aesti-

mant claros sanguine, dignitatibus, naturae et fortunae bonis. Tu vero, solus licet Altissimus, *quod hominibus altum est*, *abominaris*, o Deus. *Tu in altis habitas et humilia respicis.* Agitur de matre Filio tuo assignanda. Innumerae erant principum et regum filiae, quas mundus augusto Deiparentis nomine ac honore judicabat dignas: tu vero solam eligis, pauperi fabro desponsatam, suis in oculis humilem, toti ignotam mundo, at tibi prae omnibus placentem, utpote in qua angelicam puritatem. profundam humilitatem, ardentem reperis caritatem.

En fontes genuinae magnitudinis et excellentiae, anima mea! en proprietates verae pulchritudinis, quae sola oculos corque Dei rapit. Disce ergo ab infinita Dei sapientia, quid tuo amore aut odio, tua aestimatione aut contemptu sit dignum.

PUNCTUM II.

Ingressus ad Virginem angelus: *Ave*, inquit, *gratia plena: Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus.*

Perpendam primo exteriorem angeli compositionem ac modestiam, qualis apostolicos, *qui legatione pro Christo funguntur*, viros decet, ut, qui eos aspexerint, ad similem modestiam ac pietatem incitentur. Deinde singula salutationis angelicae verba ponderabo.

Ave, ait Gabriel: h. e. pax tecum: gaude: esto secura. Non compellat Virginem proprio nomine *Maria*, eo quod nomen *gratia plena*, a SS. Trinitate dictatum, eminentem super omnes, utut sanctissimos, Virginis sanctitatem perfectissime exprimat; licet enim plures fuerint *gratia pleni*, inter eorum tamen et Mariae plenitudinem ingens erat discrimen; nam illi erant velut rivuli gratiarum; capacitatis limitatae, Maria vero fuit mare gratiarum sane immensum, plenum omnibus plenitudinis modis: plenum gratia habituali, gratiis actualibus, omnibus Spiritus Sancti donis, omnibus plenum virtutibus, plenum plenitudine supremo Deiparentis honori consentanea.

Dominus tecum non solum per gratiam, ut cum aliis omnibus justis, sed modo quodam excellentiori, videlicet per gratiam, familiaritatem et amicitiam singu-

larem est in te velut in coelo animato, in sanctuario suo, in paradiso deliciarum, et mox etiam ut Filius corporaliter erit in utero tuo. Ideo *benedicta tu in mulieribus*, quia concipies in utero auctorem ac fontem omnium benedictionum, propter quem a communi culpae et poenae maledicto es immunis.

Quam gloriosum est Virgini ex ore archangeli, qui nomine SS. Trinitatis loquitur, tanta audire elogia! Quam jucundum etiam veris Mariae servis, intueri reginam suam tantis cumulatam honoribus!

Hos tibi ex animo gratulor, augustissima angelorum regina et, cum ego non possim, quantum vellem, te laudare, laetitiis exulto, quod ipsum nos coelum praeconia et laudes te dignas per angelum docuerit: has cum Ecclesia assiduissime tibi accinam et, quoties illas seu in vita, seu in morte ingeminavero, spiritu me conjungam Gabrieli archangelo, te tantum glorificare desiderans, quantum ipse tibi laudis et gloriae attulit.

PUNCTUM III.

Quae cum audisset, turbata est in sermone ejus. Conspectus in specie viri angelus *verecundiam Virginis*, elogia vero et laudes *humilitatem ancillae* non nihil offendebant. Scilicet utraque haec virtus aequaliter delicata est et ad scrupulum usque circumspecta, neutra lucem amat ac splendorem. Parum modestus sit, oportet, parum verecundus, qui petit in solem meridianum produci. En insigne documentum, a b. Virgine nobis relictum!

Cognita Virginis turbatione ac metu, ait angelus ei: *Ne timeas, Maria; invenisti enim gratiam apud Deum.* Proprium scilicet boni spiritus est turbatos animi motus sedare, convertendo metum in fiduciam.

Quam felices essemus, o Deus, si idem dulce verbum in animo audiremus: *Invenistis gratiam!* de hac enim securis quid timendum esset, quid desiderandum ulterius? Certe si mundo judice pars aut omnino cumulus felicitatis est gratia et amicitia terreni regis frui, quanto major est felicitas illam apud regem regum invenisse?

Maximopere gaudeo, Virginum sanctissima, de incomparabili honore, quem supremus universi monarcha tibi

exhibet per solemne archangeli testimonium, quod primum in ejus corde locum obtineas. Ah! immensum est cor et par mille mundos intra se complectendo. Pete igitur tuis quoque servis in eo locum: et certo certius obtinebis. Regina Esther, ubi *coram* Assuero rege *habuit gratiam super omnes mulieres* (Esther 2, 17.), ea usa est ad salutem gentis suae. Tu pariter nostra mediatrix esto et per tuam, qua apud meliorem Assuerum polles, gratiam nobis impetra, ut in oculis ejus gratiam inveniamus et, quae omnium gratiarum consummatio est, vitam aeternam. Amen.

II. Aprilis.

S. Franciscus de Paula.

PUNCTUM I.

Si in ullo sanctorum, certe in S. Francisco de Paula manifeste patuit veritas illius oraculi: *Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia.* (I. Cor. 1, 27.) Natus fuit loco humili, stirpe ignobili, parentibus sola pietate notis. Licet ejus innocentia in paternis aedibus, ubi sola virtutum exempla filioli oculis obversabantur, fuisset abunde tuta, ille tamen, ut ab omni contagione mundi esset remotior, adolescens eremum adiit. Ibi diu noctuque orationi intentus, summa animi tranquillitate fruebatur: non tamen diu latuit, divina providentia in lucem protrahente, quem novo ordini fundando caput et auctorem designaverat. Fama virtutum ejus late diffusa fit ingens ad s. eremicolam hominum concursus, eumque alias, ubi tutius lateret, cogit latebras quaerere. Sed et ibi a sociis, quos S. Spiritus, ut se illi jungerent, internis motibus impulerat, rursum inventus est: cumque in dies numerose aucti palam protestarentur, se vero ab ejus latere nunquam amplius discessuros, agnovit vir sanctus, se electum a Deo ad novum ordinem condendum. Hac inspiratione summum in ruborem datus, seque omnino ratus tanto honore indignum, ut Saul exclamavit: *Numquid non ego sum de minima tribu Israel et cognatio mea novissima inter omnes familias?* (I.Reg. 9, 21.) Er-

gone instrumentum adeo vile deliges ad opus tam grande? Ita quidem Franciscus, sed frustra humiliabat se, quem Deus volebat exaltare.

Nullum scilicet instrumentum in manu omnipotentis est infirmum: imo, quae ex se ipsis infirma sunt, commutat Deus in fortia et prae aliis eligit, ut suam amplius manifestet potentiam et in illis ac per illa glorificetur ratione, soli Deo propria.

Ita est, mi Deus, tua nil dignius infinita sapientia est, quam haec ipsa agendi ratio. Honor tuus et gloria nullibi securior est, quam in manibus humilium operariorum, qui suae sibi bene conscii infirmitatis, quam longissime absunt a vana ambitione gloriam aucupandi ex bono, quod per tuam gratiam operantur.

PUNCTUM II.

Licet S. Franciscus in gradu excellenti omnes possederit virtutes, primum tamen meretur, sibique vindicat *humilitas et caritas.* Humilitas erat fundamentum, cui altissimam sanctitatem inaedificarat. Caritas erat fastigium. Vulgo *minimus* nuncupari voluit, quia se mortalium reputabat vilissimum, obstupescens, quod non omnes idem sentirent de ipso. Eundem humilitatis spiritum ordini suo impertiit: hinc voluit, ut alumni sui ab ipso neutiquam assumerent nomen, bene tamen suum characterem et appellarentur *fratres minimi*, qui sola in humilitate suam quaererent gloriam.

Quam profunda ejus fuerat humilitas, tam ardens erat caritas. Ex eo tempore, quo *caritas* e coelo ad ipsum defluxit, ignivomo inscripta globo, nil nisi caritatem spirabat, de sola caritate loquebatur, ex sola operabatur caritate. Caritas erat ejus symbolum, tessera, gnomon, omnium anima operum. Totus ipse videbatur esse caritas, cujus flammas late in omnes sparsit. Ex ea natus est zelus animarum, quo flagrabat: intrepidus ad omnia animus ac generositas, qua summorum aeque ac infimorum carpebat vitia: immobilis fiducia tentandi atque patiendi, quidquid ad promovendam majorem Dei gloriam faceret.

Non patet alia ad sanctitatem via, quam via humilitatis et caritatis. Sanctitatem auspicari oportet ab humili-

tate, consummare per caritatem. Nemo unus sanctorum fuit, qui non fuerit humilis Deumque amaverit. Diversa ad sanctitatem eluctandi media quaerimus in libris, petimus a viris spiritualibus: quidquid ab utrisque dicatur, non datur alia ad sanctitatem via, quam humilitatis et caritatis, aut quae ad has duas virtutes essentialiter referuntur.

Hunc igitur adeamus sanctum, cujus hodie memoriam celebramus, anima mea: rogemus supplices, ut sua apud Deum deprecatione memoratas virtutes nobis impetret. Brevi evademus sancti, imo et perfecti, si vivam nostrae vilitatis imaginem ante oculos, ardentem vero caritatis ignem in corde habeamus.

PUNCTUM III.

Nemo unquam apud alios majori in honore fui Francisco de Paula. Deum inter et servum Dei mirabile erat certamen. Hic nil ardentius desiderabat, quam latere, omnium oculis et laudibus subtrahi: ille autem viro humili universalem ubique venerationem conciliavit. Franciscus voluit nomen suum esse in omnium oblivione, Deus in omnium memoria et honore. Ad eum concurrebant populi, confugiebant principes. Eum summi Pontifices, licet probe noverint, hominem esse omnis scientiae et doctrinae expertem, in gravissimis Ecclesiae negotiis ut oraculum consulebant, rati, non posse non esse divina plenum luce, qui intima cum Patre luminum familiaritate fruebatur. Inde venit, quod arcana principum, absentia quaevis et futura tam clare praedixerit, ceu oculis essent praesentia, divinae autem omnipotentiae in patrandis sine numero miraculis, maximum ipse miraculum, fuerit particeps factus. Toti imperabat naturae et omnibus elementis, quae ad ejus imperium indolem suam et inclinationes vel mutasse, vel oblita esse videbantur. Eo jubente rupes, e montibus avulsae, haerebant pendulae in aëre, ignis non adussit, mare sub pedibus ejus iter solidum stravit, fugati ad ejus adventum omne genus morbi, ad ejus vocem resuscitati e tumulo mortui. Ludovicus hujus nominis undecimus Galliarum rex ad hunc saeculi sui thaumaturgum legatos misit, rogatum, ut vitae prorogationem periculose decumbenti

precibus suis impetrare dignetur. Regem adiit Franciscus et majus, quam ille petierat, prodigium patravit, dum ad sanctam mortem feliciter disposuit, qui miseram petierat vitam.

Hanc ipsam sanctae mortis gratiam, magne clientium tuorum patrone, per tua suffragia speramus: hoc unum in utilitatem nostram miraculum ut patres, rogamus supplices. Non petimus, ut nostros pellas morbos corporis aut longiorem nobis vitam impetres; sed unice inaestimabilem petimus gratiam sancte moriendi: idque tanto firmius a te speramus, quanto certiores sumus, malle te pro salute animarum quam corporum impetranda preces tuas interponere.

XXV. Aprilis.

S. Marcus Evangelista.

Leo et fortitudinis et S. Marci symbolum.

PUNCTUM I.

Considera tres gradus fortitudinis. Primus est *ardua fortiter aggredi.* Talis erat fortitudo S. Marci, dum Alexandriae initium missioni suae daturus, obstacula et difficultates invenit prope insuperabiles. Oppugnandi erant gentilitatis errores, vitia et scelera per idololatriam invecta, pertinacis intellectus praejudicia contra novam religionem, mundo, carni, sensibus contrariam, ab omnibus concepta. Opus erat rabidas sustinere persecutiones, gravissimas devorare contumelias, ingentes audire fremitus populi, solam mysteriorum nostrorum explanationem rabiose allatrantis. Nihil horum absterruit Marcum, generosum Evangelii praeconem. Leo magnanimitate, agnus mansuetudine, praeter invictam patientiam opposuit nihil. Sensim civium animis se insinuavit persuasitque, se alio fine Alexandriam non venisse, quam ut pacem ipsis ferret viamque salutis ostenderet. Quantum eorum animis se insinuavit, tantum benevolentiam eorum sibi conciliavit et ex pertinacibus ethnicis dociles Christi discipulos fecit maximo operae pretio, non minore omnium admiratione. Tota fere Alexandria brevi Christi fidem

amplexa finitimis gentibus omni genere virtutum praeluxit, scilicet assiduitate orandi, fuga voluptatum, observatione non modo mandatorum Dei, sed et consiliorum Evangelii: verbo: vita potius angelica quam humana.

Felix profecto messis! quam S. Marcus fecisset nunquam, nisi tantum animi ac fortitudinis habuisset, ut generose incultum subigeret agrum, pravas evelleret consuetudines, jactamque legis evangelicae sementem suo irrigaret sudore.

Discant hic operarii in vinea Domini nullis unquam absterreri difficultatibus, certi, copiam messis responsuram tolerantiae laborum.

Concede quaesumus Ecclesiae tuae, o Deus, magnanimos ejusmodi operarios, quos nihil a coepto labore absterreat, sed ipsa obstacula reddant fortiores: quorum zelus per ipsas difficultates, ut flamma per turbinem ventorum, magis accendatur. Tales serius aut citius copiosos laboris sui fructus ferent: neque ulla erit natio adeo barbara et crudelis, quam non mansuefacient, tuoque sensim imperio subjicient.

PUNCTUM II.

Secundus fortitudinis gradus est *parta tueri* et constanter conservare. Nihil egit, qui rem aggressus arduam relinquit imperfectam. Finis coronat opus. Secundum hunc fortitudinis gradum conscendit S. Marcus, dum, quam Alexandriae primus intulit, Christi religionem conservavit stabilem, obluctante frustra Orco et idolorum sacrificulis, omnem moventibus lapidem. ut coeptum Apostoli opus destruerent et Alexandriam ad cultum idolorum reducerent. Verum uti sua eos mansuetudine, patientia, bonitate, mortificatione ac verbi divini praedicatione Christo fuit lucratus, ita in fide illos et sanctitate conservavit invicta animi sui constantia et continuis sanctitatis propriae exemplis: austeritate vitae in dies magis abstraxit a saeculi voluptatibus: sua mansuetudine sedavit aut fregit caecos irae et animorum impetus: communi erga omnes caritate mutuam ipsis inter se caritatem persuasit et ingente, quo eorum salutem sitiebat, zelo sanctam omnibus inspiravit aemulationem ex ejus doctrinis semper amplius proficiendi.

Adeo verum est, quod successus praedicationis plerumque dependeat a sanctitate praedicatoris non ideo solum, quia verba movent, exempla trahunt; sed etiam, ac praecipue eo ex capite, quod Deus majorem animas convertendi vim largiri consueverit operariis caritate ipsi conjunctis, quam illis, qui ex amore proprio sua quaerunt, non Christum et animas ejus.

Ita est, Domine: in illos, qui tuam dumtaxat gloriam, non suum quaerunt emolumentum, tuas profundis gratias et benedictiones. Alii frustra quaerunt suis inclarescere talentis. Grande, quod in tuis desideras operariis, talentum est tui sanctitatem Evangelii vita et moribus exprimere.

PUNCTUM III.

Leo in pugna aut vincit aut moritur. Atque hic ut leoninae, ita et apostolicae fortitudinis supremus est gradus, in quem eluctatus est noster Apostolus. Ubivis locorum, quibus lucem evangelicam invexit, dimicandum ei erat cum potestatibus tenebrarum, contra sanctum hostes ubique suscitantium: at de omnibus gloriose triumphavit usque ad finem vitae, ubi prorsus illustria magnanimitatis suae ac fidelitatis signa dedit, ad apicem implens illud: *Esto fidelis usque ad mortem; et dabo tibi coronam vitae.* (Apoc. 2, 10.)

Et vero dum ipso dominicae resurrectionis festo ad aram operatur, ex sacerdote fit paschalis pro Christo victima; etenim a sceleratis captus, mille opprobriis oneratus, per plateas et compita crudelem in modum raptatus et toto corpore dilaceratus Deo spiritum reddidit, laureolam martyrii sua constantia meritus.

Ad finem adeo gloriosum nemo pertingit, anima mea, nisi initia et tirocinium per mortificationem ita posuerit in vita, ut vere cum Apostolo possit dicere: *quotidie morior.* (I. Cor. 15, 31.)

Hoc modo, o Deus, si in Ecclesia tua etiamnum saev rent tyranni et persecutiones, quam paucos inveni es, quibus sat animi ac fortitudinis esset ad immolandam tibi vitam suam! Hodierna Christianorum ignavia animusque effoeminatus plures faceret apostatas quam martyres. Et ego quoque, mi Deus, quid demum facio,

quod te redderet securum, mihi plus animi esse, quam istis? Ah! tantae ego ignaviae non possum meminisse, quin erubescam. At robur a te et gratiam spero, quae tribulationes et adversa quaeque mihi reddat dulciora. Id gratiae a te per merita passionis tuae et per intercessionem sancti Evangelistae, cujus hodie festum celebramus, petam quotidie, cum Ecclesia oraturus: *Da robur, fer auxilium.*

I. Maji.

SS. Philippus et Jacobus.

PUNCTUM I.

Honorum tituli utrique Apostolo communes sunt, quod fuerint 1. *discipuli Jesu* Christi. 2. Tuba et *praedicatores* Evangelii. 3. *Martyres* pro ejusdem fide. Quanta utriusque gloria et utilitas est ex ipso magistri adeo boni ac divini ore hausisse doctrinas! Quantus honor, a Deo electos fuisse, ut ad conversionem totius mundi sociam ei operam jungerent! Quanti res meriti et gloriae est veritates, quas ab ipsomet Servatore didicerunt, suo confirmasse sanguine, eique vitam pro vita reddidisse!

Unde autem venit, quod nos illustrium horum nominum ac titulorum non simus participes? An non, ex quo per baptismum facti sumus Christiani, ejusdem coelestis magistri sumus discipuli? an non doctrinam ejus profitemur? Nonne eam hausimus in Ecclesia velut in schola, ubi nos quotidie adhuc instruit per animarum pastores, maxime per suum in terris vicarium? Afferamus ergo ingenium docile ad discendum: nec minus promptam voluntatem ad exequendum, quae discimus. Si nobis fas non est Evangelium Christi praedicare verbis, praedicemus moribus et exemplis: id quod omnes et possumus et tenemur praestare. Utique Diocletiani, Nerones etc. ferro et igne Ecclesiam hodie non persequuntur, sanguinem non fundunt, ast *habet et pax martyres suos:* puta tot sanctos confessores, qui carnem suam crucifigunt: tot evangelicos operarios, qui laboribus suis immoriuntur:

tot christianas virgines, quae martyrium castitatis quotidie sustinent. Profecto *non est abbreviata manus tua*, Domine: hodieque facis sanctos, facis Apostolos, facis martyres.

PUNCTUM II.

Tria sunt, quae S. Philippo singulariter sunt propria, ejusque gloriam mirifice extollunt. 1. Peculiaris, qua apud Christum valebat, auctoritas et gratia: nec non ingens, qua cum eodem fruebatur, familiaritas; hinc gentiles per Philippum quaerebant aditum ad Jesum: *Volumus Jesum videre.* (Joan. 12, 21.) Quaesivit per eundem invenitque Nathanael. Et nos, anima mea, cum Christum accedere cupimus et videre, eundem adeamus mediatorem Apostolum: dicamus ei: *Volumus Jesum videre* et familiariter cum illo in oratione conversari: et Philippo intercedente id gratiae certo certius impetrabimus. 2. Summa de Philippo existimatio Christi, ita ut in rebus arduis illum adhibuisse videatur adjutorem et consiliarium. Sic, dum agebatur de cibanda quinque milium multitudine in deserto, *dixit ad Philippum: Unde ememus panes, ut manducent hi?* (Joan. 6, 5.) Nos quoque, cum agitur de cibandis animabus nostris, ad Philippum confugiamus, quaerentes: *Unde ememus panem* animae? et procul dubio reponet, apud Patrem coelestem nos panem illum inventuros per spem et fiduciam in unigenito ejus Filio. 3. Ingens, quem Christus erga divinum Patrem suum Philippo infudit, amor et ardens desiderium eundem videndi: *Domine*, ait, *ostende nobis Patrem: et sufficit nobis.* (Joan. 14, 8.)

Si nos pari ardore Deum amaremus, pari eundem videndi arderemus desiderio; eum enim videndo possideremus et possidendo frueremur omni bono, ita ut cum veritate possemus dicere: *Sufficit nobis.* Verum enimvero quinam sunt hac perfecta beatitudine digni? Tu, magister divine, clare respondes dicendo: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* (Matth. 5, 8.)

PUNCTUM III.

Tria pariter S. Jacobus habuit singularia. 1. Vir erat summae austeritatis; teste enim S. Hieronymo nudis semper incedebat pedibus, nunquam carne vescebatur,

solo pane et aqua contentus, nisi quod et his frequenter abstinuerit, ut immiti jejunio crudelius affligeret carnem. Jejuniis vigilias jungebat somni parcissimus, adeo, ut videatur corpus a Deo accepisse, quo illud mortificaret. Quanto autem id nobis pudori et probro est, qui omnes corpori nostro indulgemus delicias, negamus nihil, quod carni blanditur! 2. Qui consuetus mortificationis fructus est, orationi integros prope dies noctesque consecrabat, flexis modo genibus, modo prostratus in terram orans, ut summa cum reverentia suis Deum coleret obsequiis.

An et nos oramus frequenter? et quomodo oramus? Quantum, o Deus, oratio negligitur ab hominibus, quamvis ad salutem adeo necessaria! Et ex iis, qui frequenter orant, quot sunt, qui cum reverentia tibi debita orant? Quid igitur mirum, si tam paucas obtineant gratias? alii raro, alii male eas petunt. 3. Tertium Jacobi privilegium est omnimoda ejus cum Christo similitudo et conformitas, ita quidem, ut non tam ob sanguinis propinquitatem, quam ob perfectam utriusque vultus similitudinem *frater Domini* vulgo nuncuparetur, et a Judaeis ambo vix dignoscerentur.

Addi potest perfecta Jacobi cum Christo conformitas morum, titulis omnibus aestimabilior. Ad eam nos omnes aspirare debemus, utpote quae sola facit sanctos; neque enim per aliud, quam per istam conformitatem, uti docet Apostolus, praedestinamur a Patre coelesti ad gloriam: *Quos praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.* (Rom. 8, 29.)

XXVI. Maji.

S. Philippus Nerius.

PUNCTUM I.

Ejus angelica puritas. Prima, quam Deus Philippo post gratiam baptismi contulit, haec fuit gratia, quod a teneris ei et firmum animi decretum inspiraverit gratiam baptismalem semper illibatam conservandi, et summum horrorem omnium, quae ejus nitorem possent obscurare. Media illam conservandi adhibuit custodiam sensuum,

modestiam, solitudinem, animi collectionem et litterarum studia, praesertim theologica. Arma, quibus hostes puritatis expugnabat, erant oratio et jejunium. Paratos sibi aliquoties Veneris laqueos ac insidias invicto semper animo evasit. Illustris, quam ea in pugna aliquando retulit, victoria singularem e coelo gratiam ipsi promeruit, ut scilicet nullum amplius virgineae puritati contrarium diu noctuque sentiret motum, sed prorsus illibatam tumulo secum inferret. Miraculo pariter accensendum est, quod etiam post mortem, tumulo inferendus, nihil admiserit, quod vel tantillum nitorem verecundiae poterat offuscare. Angelica igitur hac virtute angelicis spiritibus similis tantam eorum benevolentiam sibi atque amicitiam conciliavit, ut in deliciis habuerint Philippo frequenter apparere, colloqui, colludere et in manifestis vitae periculis singulari sua protectione incolumem praestare.

Cupisne tu pariter, anima mea, singulari angelorum consuetudine micitia, protectione, ut S. Philippus, frui? eorum puritatem cum eodem imitare. Aut qui audeas peculiarem angelorum custodiam tibi et protectionem polliceri, si tam parum eorum praesentiam reverearis, ut loqui et facere non abhorreas, quae eorum puritati ac benevolentiae adversantur?

Et vero quae necessitudo, mi Deus, tuos angelos inter et homines vitio coinquinatos, quod angelorum naturae adeo contrarium, tibi adeo abominabile est, possit intercedere? Tu puras solum animas diligis, castarum sponsus virginum. Uti his dumtaxat fas est sequi Agnum, quocunque ierit, ita solae sunt, quas singularibus beas favoribus, singulari amore ac benevolentia complecteris. Certe angelica puritas S. Philippo tuos conciliavit amores, tuos promeruit favores, basis et fundamentum sublimissimae, ad quam eum evexisti, sanctitatis.

PUNCTUM II.

Zelus ejusdem apostolicus. Eadem zeli et ignis natura est ac indoles: quanto purior, eo ardentior est. Cito et mature in Philippo exarsit, quia puritas ad concipiendam flammam fecit oppido dispositum. Equidem statum laicorum, quamdiu potuit, ultro retinuit, sacer-

dotio indignum se ratus. Ubi autem obedientia accessit, ocius sacerdotium Jesu Christi et ejus zelum suscepit. Hunc laicus adhuc exercuit erga parvulos in catechesibus, erga pauperes in tuguriis, erga aegros in hospitalibus, erga captivos in carceribus. — At vero initiatus sacerdotio in omne genus hominum, in omnem locum, ubi gloriae divinae et salutis animarum spes affulgebat, pleno alveo suum diffudit zelum. Nulla in ipso erat mora, quominus maria trajiceret, ut nomen Jesu Christi novo mundo inveheret, totus conversioni infidelium insudaret, martyrii palmam demeteret. Claro Dei mandato jussus Romae sedem figere, ibidem nec minori sudore, nec minus felici successu laboravit. Assiduus in s. tribunali numerosum semper poenitentium gregem pedibus suis advolutum cernebat. Nunquam non paratus ad praedicandum, tanta efficacia (eloquentiam sanctitas vitae sustentabat) concionari est solitus, ut auditores obstinatissimi vero animi dolore et uberibus lacrimis suffusi plerumque discesserint. Par virtus et efficacia familiaribus sancti colloquiis inerat peccatores ad poenitentiam, justos ad majorem commovendi perfectionem. Suorum suavitate et soliditate sermonum pervicacissimos quosque, etiam Judaeos, expugnavit. Dies, qua sacro baptismatis fonte ablutos Christianorum albo inseruit, vere triumphus Ecclesiae fuit. At enim colligendae messi amplissimae cum solus impar esset, socios zelo animarum sibi similes adlegit et *congregationem Oratorii Romani* condidit, paulo post viris illustratam omni virtutum et doctrinae laude clarissimis, quos inter fuit eminentissimus Cardinalis Baronius. Hic praestantissimus Ecclesiae annalium historicus honori sibi duxit esse discipulum S. Philippi Nerii, ejusque in Christo Jesu filium: quoties autem excellens illud annalium opus summis extollebatur laudibus, laudes in Philippum referebat, dicens, se illi non solum operis molitionem, sed etiam successum debere, atque adeo illi potius, quam sibi, *nomen auctoris* tribuendum.

Quanta in Deum gloria, quanta in Ecclesiam utilitas, quanta in sacerdotes exempla virtutum redundant ex uno hujusmodi sancto! Unicus zelo S. Philippi imbutus

plus boni praestabit, quam mille alii eodem destituti. Quantum contra probrum ex hoc ipso fonte in otiosos magno numero sacerdotes redundat, qui suis satisfecisse obligationibus putant, si perfunctorie divinum decurrant officium et missas, rati, sibi fas et liberum esse inutilibus colloquiis et oblectationibus tempus reliquum consumere: qui undique vident ignorantes, quin eos instruant, libertinos in omnem vitae licentiam effusos, quin eos arguant; populos spiritualis alimoniae avidos, quin panem verbi divini eis frangant; quique innumeras perire animas sine ullo animi motu vident! At quam districtam Deo rationem reddere debebunt de talentis, quae acceperunt, de potestate, qua pollent, de Jesu Christi sanguine, quem si debito cum zelo dispensassent, magnam hominum partem in homines sanctos mutasset!

Quam ferax meditationum de mea vivendi ratione, si sacerdos sim, materia et argumentum hoc est! Si non sim sacerdos, numquid ut verus Ecclesiae filius teneor meas saltem pro illa preces interponere et Deo supplicare, ut eidem de ministris zelo plenis dignetur prospicere et in illos eundem de coelo mittere Spiritum, qui Apostolos olim commutavit in homines zelo gloriae divinae penitus ardentes?

PUNCTUM III.

Amor Dei seraphicus. Zelus animarum in S. Philippo non potuit non esse ardens, quia fuit effectus ardentissimi, quo erga Deum flagrabat, amoris. Adeo anima ejus sacro hoc igne exaestuabat, ut flamma in totum corpus se diffuderit, praesertim tempore orationis et sacrificii Missae, ubi frequenter in aëra sublatus mira undique luce radiantibus flammulis visus est circumcingi, clare testantibus, cor interno igne depasci. Sola cogitatio de incarnatione Jesu Christi, de ejus passione et infinito erga homines amore virum sanctum extra se rapiebat in extasin, maxime dum perpendebat, Deum adeo bonum ab hominibus tam parum redamari. Quodam die tanta amoris et seraphici ardoris vi obruebatur, ut, cum flamma intra angustos pectoris fines contineri non posset amplius, mirabiliter ejus sinum confractis atque elatis duabus

costulis Deus ampliaverit, ejus flammis plus spatii, sacro aestui plus libertatis daturus. Hic enimvero intelligere datur veritatem ac sensum divini oraculi: *Fortis ut mors dilectio* (Cant. 8, 6.), cum homo naturaliter non potuisset tanto amoris aestui ac violentiae supervivere; quamquam hic ipse amor, qui sanctum ad ea extrema deduxit, per singulares Dei gratias et divinarum consolationum abundantiam illi vitam conservarit. Non tamen spirituales ejusmodi delicias quaesivit Philippus, sed montem Calvariae semper monti Tabor praetulit, nunquam contentus, nisi quando cruces reperit, quae conformem reddebant crucifixo amori suo, cujus vera imago cum quilibet sacerdos esse debeat, indignum ea dignitate judicabat, qui non simul, ut Christus qua sacerdos, victima amoris fieret. Hanc solam a Deo efflictim petiit gratiam, obtinuitque ipso venerabilis Sacramenti seu Theophoriae festo; dum enim insolito fervore Missam celebravit, suumque sacrificio Jesu Christi univit, vivere desiit, igne divini amoris, cujus victima fieri dudum optabat, feliciter consumptus.

Quis non parem vitae exoptet finem, anima mea? At quae temeritas foret sperare aliam mortem, quam vita fuerit? sibi vane blandiri, amandum a se Deum in morte, quem non amavit in vita? Nihilominus haec est communissima saecularium illusio. Solum amant bona terrae, honores ac voluptates mundi: creaturis adhaerent, Dei obliviscuntur, sanctas ejus leges aut spernunt, aut certe violant, aperti hostes Dei: haec vita eorum: et tamen in ejus gratia et amicitia cupiunt mori. O coecitatem cruentis lacrimis deplorandam!

Bene et sancte mori, mori in tua gratia et amore, o Deus, ad tuos pertinet amicos: praemium est amoris, quo te in vita sunt prosecuti: beata sors animarum est, quae praeter te in mundo aestimarunt nihil, nihil amarunt. Utinam major illarum esset numerus! Adauge illum, Servator amantissime; ideo enim e coelo in terras descendisti. Tua flagito promissa, quod *ignem veneris mittere in terram, nec aliud velis, nisi ut accendatur.* (Luc. 12, 49.) Non est hic, de quo locutus es, ignis alius, quam ignis divini amoris tui: isto omnium corda

succende, meum praecipue; omnem in eo amorem extingue, qui non ardet erga te, aut propter te, ut tuo in amore vivam, tuo in amore moriar, atque adeo te amare possim per totam aeternitatem.

VI. Junii.

S. Norbertus Episcopus.

PUNCTUM I.

Consulit saluti propriae. Consideremus, quam miseram primum vitam egerit S. Norbertus, quando nimirum in mundo degens aulam imperatoris secutus est, ubi nidulatur, quidquid periculosi reperias in orbe. Ibi, ut tot aulicorum, Dei oblitus, hominis christiani obligationes neglexit et perniciosas mundi leges secutus est, forsan in pejora prolapsurus, nisi gratia Jesu Christi currentem inhibuisset, monstrando ipsi evidens aeternae damnationis periculum, nisi ab aula secedat. Coelesti hoc lumine perfusus continuo omnia, quibus aulae erat alligatus, rupit vincula, seque in monasterium aliquod recepit, ut mundi spiritum ibi exueret, indueret spiritum Christi et, quas prius contraxerat, maculas vita humili ac poenitentiae lacrimis elueret.

Quid Norberto mundi et aulae fascinis excoecato factum fuisset, nisi tu, o Deus, ad Orcum properanti oculos aperuisses et in ejus limine jamjam haerentem retraxisses? Ob immensam hanc gratiam aeternas tibi grates et laudes dicet. Parem, Domine, tot aliis in eodem discrimine versantibus gratiam exhibe: eo fidelius tibi servient, quo clarius agnoscent, quanta tibi fidelitate oporteat servire, qui mortalibus dominis, qui tecum comparati nihil sunt, tam fideliter serviunt.

PUNCTUM II.

Consulit saluti alienae. Norbertus per Dei bonitatem naufragio ereptus et ipso opere gratias illi referre cupiens, id melius fieri haud posse autumabat, quam si alios eidem naufragio eriperet. Vitam igitur suscipit clericalem, ut inter homines vivens colloquiis, concionibus

et praesertim bonis exemplis omnes ad Christum pertrahat. Huc omnes assidue convertit curas, omnia perrumpens obstacula tam ex parte mundi, qui sanctam vitia perstringendi libertatem in Norberto ferre non poterat: quam ex parte daemonum, qui gravissimas in eum excitarunt persecutiones. Imo haec omnia majores animos ac stimulos currenti addiderunt et Dei amorem, quem aquae tribulationum extinguere debere videbantur, longe amplius inflammarunt. Reluctante frustra totis viribus inferno, prosperum zelus sancti habuit successum. Potens opere ac sermone frigidissima hominum corda igne caritatis incendit, sine numero haereticos ad fidem, peccatores ad poenitentiam, dissidentes ad pacem et concordiam revocavit, plura et plura in dies animarum milia Christo Jesu lucratus.

O quot dantur homines, qui ne unicam quidem Deo sunt lucrati, atque adeo id solatii habebunt nunquam, saluti unius animae vel tantillum tribuisse, imo nec unicum impedisse peccatum letale! Et vero ipse ego, mi Deus, qui de munifica manu tua tot ac tanta accepi beneficia, ideoque non minus ac Norbertus tuae devinctus bonitati, quid ego praestiti in signum grati animi? quot animas sum lucratus? Heu me! quid dico, *lucratus?* fateor, sed non sine acerrimo animi dolore ac pudore fateor: plures malo exemplo seduxi et perdidi animas. Saltem imposterum vitam ducamus magis christianam; conformemus eam vitae S. Norberti et quantum prius alios per effrenatam morum licentiam offendimus, tantum illos Deo lucrari nostro zelo studeamus: saltem tam ardenter jam Deum amemus, quam frigide amavimus.

PUNCTUM III.

Zelum animarum perpetuat in filiis suis. Amoris praesertim divini ingenium ac natura est *nunquam dicere: Satis est.* Verus in Deum amor nullum sibi modum ponit: nullis locorum aut temporum limitibus circumscribitur: totum terrarum orbem cognitione ac amore Numinis replere allaborat. Ita comparatus erat Sanctus Norbertus. Igne divini amoris ardens, cupiebat totum mundum eodem inflammare, continuo et ubique ejus-

dem flammas diffundere. Ea de causa novum ordinem Praemonstratensium instituere decrevit, per quem in orbe perpetuare posset, quod solus non poterat, ad amplificandam Dei gloriam. Prosper rei successus, quo Deus coeptum opus beare dignatus est, tanto virum sanctum gaudio perfudit, ut cum S. Simeone vere potuerit dicere: *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei* stabilitum ad gloriam tuam ordinem meum. (Luc. 2, 29. 30.)

Quam laetus moritur, o Deus, qui tuam vivens ampliavit gloriam! Quantis in mortis articulo solatiis innatat parens christianus, videns coram se liberos, qui per ejus doctrinas et exempla in viam sanctitatis perducti, spem faciunt ejusdem perpetuo retinendae! Hac ipsa consolatione fruebatur S. Norbertus in morte: illa fruitur in coelo et fruetur in omni aeternitate.

XI. Junii.

S. Barnabas Apostolus.

PUNCTUM I.

Vita ejus privata. Juventutem suam non lusibus aut nugis, ut tot alii faciunt, sed seriis occupationibus transegit, atque se ad summa, quibus eum divina providentia destinaverat, munia disposuit. Totus erat in studiis, maxime in cultu virtutum singulari. Tota ejus frons loquebatur modestiam, vultus spirabat pietatem. Caritas erga pauperes erat liberalissima, amor puritatis tantus, ut florem virginitatis ad mortem usque servarit integrum: fas est dicere, quod ob angelicam hanc virtutem meruerit e miraculis Christum agnoscere et ejus discipulis annumerari.

O quam beati sunt, qui eodem modo primitias aetatis suae Christo consecrant: qui loco vagae cupiditatis, adolescentibus alias ingenitae, aliud non cupiunt, quam suas addiscere obligationes, virtutibus imbui, artem doceri debellandi voluptatum illecebras, quae tanta vi pollent ad corrumpenda mortalium corda!

At quam pauci, Domine, primam aetatem ad leges rationis exigunt! quam rari sunt, qui non ab adolescentia aut inanibus aut periculosis sese rebus dedunt, aut a majori hominum parte in transversum se abripi sinunt! Quantas igitur tibi grates debent, qui per gratiam tuam evitarunt malum, quod adeo fatales in vitam reliquam effectus post se trahit; quique per specialem providentiam conservarunt innocentiam: illi nimirum, quos prae aliis amas et ultro tuis annumeras discipulis. Quod si ex felici horum numero nec fuimus nec esse meruimus, saltem in te nulla erit mora, o Deus, quominus nostrae defectus juventutis in aetate magis adulta possimus supplere, frequentando majori ardore sacramentum poenitentiae, aliaque remedia, quae nobis ad resarcienda animae damna clementissime largitus es.

PUNCTUM II.

Vita ejus publica seu apostolica. Simul atque vidit et audiit Jesum, divina ejus suavitate et doctrina captus, magistro adhaesit discipulus, quem Christus prompte admisit, quia omnibus bonis temporalibus generose renuntiavit, eaque partim pauperibus divisit, partim ad Apostolorum pedes detulit. Atque hoc erat fundamentum, cui Christum sequens apostolicam inaedificabat vitam et ad mortem usque protraxit, primum S. Pauli, deinde S. Marci socius. Cum illo per annum integrum versatus est Antiochiae, ubi magno animi solatio vidit, quanto fervore neo-conversi a se gentiles susceptam Christi fidem coluerint, gloriosum *Christianorum* nomen tunc primo meriti. Cum eodem Paulo in Cyprum insulam et in Pamphiliam profectus, Solymam remeavit ad distribuendum, quas sustentandis ibidem pauperibus Christianis collegerat, eleemosynas. Cum S. Marco rediit in Cyprum, Mediolanensem fundavit Ecclesiam, varias lustravit urbes, sparsae sementis evangelicae incrementum promoturus, praesertim Salaminae, ubi labor spe majorem nactus est successum et messem adeo copiosam, ut largum, quo in apostolicis laboribus diffluxerat, sudorem sibi fuerit maxime gratulatus.

Et nos, ut S. Barnabas, Jesu Christi cupimus esse discipuli. Num autem tanto nos magistro reddimus

dignos, ut Barnabas abnegando bona terrena? Si ea ipso opere abnegare nobis per conditionem status fas non est, saltem affectu abnegemus et juxta Evangelii doctrinam cor illis non affigamus; iste enim sensus est verborum Christi: *Qui non renuntiat omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus.* (Luc. 14, 33.) Si autem per Dei gratiam ejus discipuli jam simus, h. e. si generoso pede totum calcavimus mundum et omnia ejus bona, non respiciamus retro, sed gloriosum nomen discipulorum Jesu Christi perfecte impleamus: non simus, inquam, otiosi sterilesque, sed exemplo S. Barnabae nervos omnes intendamus, ut regnum Dei stabiliamus, sanctum ejus nomen glorificemus, parati pro conversione ac salute animarum omnia perpeti.

PUNCTUM III.

Vita ejus patiens, seu martyrium. Tam ardens pro Dei gloria et fide propaganda zelus Barnabae non potuit non in furorem agere inimicos contrariae sibi religionis, quam praedicabat Apostolus. Judaei majore quam ipsi gentiles rabie incensi adversus illum implacabile odium firmumque animi decretum concepere, hominem sanctum e medio tollendi: eum in finem aliqui e Syria trajecerunt in Cyprum. Barnabas de re tota per divinam revelationem edoctus, tantum abest, ut mortem timeret aut fugeret: ut intrepido corde perstiterit in Cypro, audacter synagogam ingressus, validissimis argumentis demonstraverit, verum Messiam fuisse, quem ipsi suspensum in cruce trucidarunt. Sanctam porro audaciam non ferentes, sanctum synagoga ejiciunt, lapidibus obrutum e vita exturbant et cadaver in ignem projiciunt: qui tamen sacrum hoc depositum ex reverentia tangere non ausus, illaesum servavit, a S. Marco et Christianis postea extra urbem in spelunca sepultum, ubi subinde imperator Zeno in honorem sancti martyris magnificam extruxit ecclesiam.

Ita nimirum, o Deus, post mortem honoras, qui te honorarunt in vita. Corpora eorum tamquam victimas, amori tuo immolatas, publicae omnium venerationi exponis. Summi infimique sacros eorum cineres devote

colunt. Quam *mirabilis es, Deus, in sanctis tuis!* Ad tempus gravissimis mundi persecutionibus eos exponis: at simul efficis, ut breves eorum insectationes cultu publico abunde compensentur per saecula in terris, ac si ad remunerandam eorum virtutem satis haud foret aeterna eos gloria coronare in coelis.

XVI. Junii.

S. Joannes Franciscus Regis e Societate Jesu.

Idea perfecti Missionarii.

PUNCTUM I.

Zelus divinae gloriae et salutis animarum est nota seu character missionarii apostolici. Atque haec virtus ex omni vita S. Francisci Regis tanto splendore eluxit, ut pauci ex missionariis majori veritate quam ille possint dicere: Domine, *zelus domus tuae comedit me.* (Psal. 68, 10.) Sacrum hunc ignem amor Dei accendit in corde Regis, ipse vero flammas ejus ubique per urbes, oppida, villas, hospitalia et per carceres sparsit, diu noctuque nil cogitans aliud, quam qua ratione stabilire posset ac amplificare regnum Dei. Impotentis animi ac amoris aestu abreptus non raro exclamare auditus est: *O mi Deus, o amor et deliciae cordis mei! Utinam amare te possem et efficere, ut ab omnibus ameris, quantum mereris amari!* Unum hunc amorem, unum hoc desiderium, omnium cordibus eum instillandi, spirare, loqui, cogitare videbatur.

Licet autem omnes tamquam imagines Dei et pretium sanguinis Jesu Christi amore communi fuerit prosecutus, fatendum est tamen, cariores ipsi quodammodo animas pauperum fuisse, singulari ardore et caritate ab ipso quaesitas. Vidisses eum millies quaerentem pauperes ostiatim, quaerentem vicatim. Vidisses illos amplectentem, tenere dissuaviantem, suis lacrimis irrigantem. Vidisses integros dies in eorum casis commorantem, plebejo eorum pane vescentem, hilariorem tamen in stramineis eorum domibus, quam in deauratis principum palatiis: unde

ad mortem usque vulgo *pater pauperum* audiit, isto, quam proprio nomine, notior.

Felices profecto, mi Deus, qui pari ratione cum S. Francisco Regis zelum suum erga pauperes exercent! Praeterquam quod zelus iste plerumque sit purior, a proprio amore commodoque remotior, meritorum feracior, a multis nos removet scopulis, naufragium minitantibus agenti cum divitibus et mundi primoribus. Agens autem cum hominibus sorte et loco humili natis non facile reperiet, quod satisfaciat amori proprio, superbiae aut vanitati blandiatur, aut respectum humanum foveat. Contra major datur cum illis agendi libertas et, quod consequens est, multo major conscientiae propriae securitas.

Praeterea numquid non res solatii plena est, hoc modo tuum, Domine, exemplum quam proxime aemulari? Nonne singulari semper affectu et amore prosecutus es pauperes? A die nativitatis tuae, filius pauperrimae matris, angelos ablegasti vocatum ad cunas tuas pauperem pastorum turbam, ut tui fierent proceres et primi adoratores. Postea tempore missionum tuarum prae civitatibus pagos et oppida tuus excoluit zelus: sementem verbi tui frequentius in corda pauperis popelli, quam nobilium sparsisti. Quis de hoc possit dubitare, postquam Joanni discipulos renuntiare jussisti, pauperes a te evangelizari: *Euntes renuntiate Joanni, quae vidistis: pauperes evangelizantur?* (Matth. 11, 4. 5.) Imo postquam clarissime edixisti: *Evangelizare pauperibus misit me.* (Luc. 4, 18.) Hoc ipsum, o Jesu, desiderium te imitandi, Franciscum Regis, ut singulariter amaret ac instrueret pauperes, incitavit, omnesque apostolicos missionarios debet incitare.

PUNCTUM II.

Missionario, suum exercenti zelum multae solent difficultates occurrere et obstacula, quae, nisi magno sit animo nec minore in Deum fiducia praeditus, absterrere possint hominem, aut penitus prosternere. Nullius unquam zelus plures habuit adversarios, quam zelus Francisci Regis: at nec ullius zelus generosior fuit magisque invictus. Tenebrarum princeps, cujus imperium ille subruebat, ex omni parte se vehementer

opponebat. 1. Ex parte principum et magnatum, qui virum in suscipienda re tanta justo audaciorem judicabant. 2. Ex parte libertinorum atque sceleratorum, quibus apertum inferebat bellum. 3. Ex parte etiam amicorum, qui de sancti incolumitate solliciti videbant, quantis continuo versaretur in periculis, ne victima sui fiat zeli. Primos expugnabat precibus, ne opus Dei destruerent. Impios debellabat magnitudine animi, qua se ad necem offerebat. Amicis, capiti suo male metuentibus, animos ipse et robur addebat, dicens: *Et quid denique vita mea est, si eam contuleritis cum honore laborantis pro gloria Dei mei?* Nihil inconcussam sancti fiduciam in Deum, pro cujus honore mille vitas profundere erat paratissimus, labefactare poterat, nihil invictum animi robur infringere. Dummodo Dei offensam posset impedire, acerbissima quaeque ipsi videbantur dulcia. Id unum timebat, ne in gloriosis ejusmodi occasionibus quidquam timeret. Ex millenis unam admiremur. Virum inter suos primarium, a quo puellam, parentibus orbatam, ad impuros amores detineri inaudierat, adiit. A lupo innocentem repetit oviculam humillimis precibus. Frustra. Altiore igitur et prophetico tono, si justa petenti reluctetur, iram divinae Nemesis minitatur: ad quae ille in rabiem actus suique impos loco responsi in Franciscum stricto ense irruit. Nil territus iste pectus denudans: *Feri*, ait, *feri; modo Deus non offendatur, lubens moriar.* Res mira! vicit immota Apostoli constantia, furentis amasii manibus gladium excussit, virginem in libertatem ac triumphum duxit.

Porro qui tam generose mortem contempsit, nullas jam itinerum molestias, nullas temporum aut aëris injurias amplius metuebat. Ad campestres, ut diximus, obeundas missiones destinatus, necessario debuit plebeculam quaerere in nemoribus, in summis montium jugis, in locis homini inaccessis: idque rigidissima ut plurimum hieme; hanc enim anni partem apostolicis laboribus opportunissimam judicabat.

Quale spectaculum est, anima mea, videre hominem semper jejunum, non raro concubia nocte campos, oppidula et viculos percurrere, integris diebus vias

eluvionibus aquarum obsitas permeare, torrentes trajicere, in altos montes, glacie nivibusque fere perpetuis horridos reptando eluctari, non sine jugi periculo in barathra et abyssos delabendi: et cur haec omnia? ut quaerat, reperiat et Christo animas lucretur, animas, inquam, *pauperum*, quarum salus tam nulli quibusdam curae est, cum tamen non minus sint pretium sanguinis Jesu Christi, ac animae principum ac regum.

Hoc inde provenit, o Deus, quod tales parum te ament: quod nec eodem, quo Franciscus Regis, zelo et igne divino ardeant, nec idem, quod ille, pretium animabus statuant: istud si rite cognoscerent, pro earum salute nihil molestiae, laboris nihil refugerent, communi singulas amore complecterentur, nullum inter illas facerent discrimen, nisi forte ut animabus pauperum majore animi teneritudine succurrerent.

Sanctis hisce cogitationibus imbue cor nostrum, Domine, et, si nos ad procurandam animarum salutem eligere dignatus es, ardens nobis desiderium inspira ad eam serio incumbendi et vestigiis S. Francisci Regis insistendi. Quod si ad tam sublime ministerium me haud destinaveris, meae saltem curam animae mihi demandasti: ejus igitur zelum tam generosum quam ardentem mihi largire, ut pro ipsius salute nihil non audeam et aggrediar, nihil non patiar.

PUNCTUM III.

In missionibus apostolicis post gravissimos labores omnia non raro succedunt ex sententia; itaque, sicut magno animi robore ac fiducia in Deum opus est ad labores tolerandos, ita non minori humilitate ad supprimendam animi elationem, splendore actionum facile mentis oculos excaecante. Utrumque, scilicet faustissimos missionum successus et humilitatem profundissimam mirabili foedere inter se Franciscus Regis conjunxit. Quos ubique expertus est laetos rerum successus, soli Deo in acceptis referebat, sine quo se nihil esse, nisi imbecillitatem, probe noverat. Anicii exorsus humaniores litteras docere, has una cum fidei nostrae principiis tam prospero successu parvulis instillavit, ut inno-

centes angelos fecerit. Factus sacerdos ubi primum Spiritu S. plenus e cathedra coepit verba facere, instar S. Petri in die Pentecostes aliquot milia auditorum convertit. Idem prope fuit regionem quandam, licet perversam, ingredi, ac eandem commutare in sanctam, expellere vitia, reducere virtutes cum pietate. Ut cognoscamus, quam mirabiles fructus in aliis sudore suo excultis dioecesibus vir Dei collegerit, sufficiat expendere stupendas, quas in dioecesi Vivariensium fecit, animorum conversiones. Haeresis victricibus regis Ludovici, cognomento Justi, armis e Galliae visceribus pulsa, cum eo persequente, ubi pedem figeret, non invenisset, in Vivariam ceu arcem inexpugnabilem confugit. Situs regionis, densa nemora, praeruptae cautes, impervii montes erant velut totidem aggeres et valla, quae omnem, vi incolas expugnandi, spem adimebant. Haeresis post expulsam fidem orthodoxam mores corrupit, omnem vitae licentiam cum vitiis regioni invexit. Haec erat Vivariae ac rerum facies, quando noster Apostolus primum ei pedem intulit. Vix autem coepit vicos et oppida concursare, semen Evangelii et odorem sanctitatis suae ubivis spargere, omnium animos commovit aspectus Neo-apostoli, qui toto vultu angelum spirabat, eos visitabat assidue, diligebat tenere, alloquebatur paterne, corda omnium penetrabat suavissime. Non poterant satis admirari de die instruentem rudes, de nocte orationi vacantem, nullo unquam admisso alimento praeter pauxillum panis et aquae, ex memoratis rupibus defluentis. Admirationem excepit insatiabilis cupido ac sitis apostolicas audiendi instructiones, quas confusis inter se lacrimis frequenter concionator et auditores irrigarunt. Neque solum catholici, qui fructum ex sancti doctrinis cupiebant trahere, sed ipsi etiam haeretici, suavissimis Apostoli sermonibus inescati, pari ardore et docilitate ad eum audiendum turmatim convolarunt et ad aras se gratos Deo stiterunt, alii, quia ad vitam meliorem, alii, quia ad Ecclesiae gremium a Francisco fuerunt reducti. Inde communis omnium vox erat, Joannem Franciscum esse hominem plane sanctum, esse Apostolum, a Deo in salutem gentium missum.

Ipse vero sibi erat visus peccatorum miserrimus, nec satis poterat obstupescere, quod Deus ipso, adeo vili instrumento, ad communicandas tot animabus gratias suas uti dignatus fuerit.

O mi Deus! quam raro ista duo etiam in missionariis conveniunt: magna et mirabilia patrare et tamen abjecte sentire de se! multos videmus operarios evangelicos in mundo celebres per honorificas muneris sui functiones, per vulgatam sacrae eloquentiae famam, per singularem in dirigendis hominum animis dexteritatem: at si se ipsos quaerant, ubi solum oporteret Deum quaerere: si hominum applausus ament: si, ut ab omnibus honorentur, occulte omnem moveant machinam: si denique sibimet adulentur, quod tantum meriti et sanctitatis possideant in oculis Dei, quantum habere sibi videntur in oculis hominum; quam deplorabilis eheu! tunc eorum status est! ne illis occini poterit, quod jussu Dei Joannes dixit Episcopo Laodiceae: *Dicis: dives sum et locupletatus et nullius egeo: et nescis, quia tu es miser et miserabilis et pauper et caecus et nudus.* (Apoc. 3, 17.)

Nemo, Domine, tuis in oculis dives est, nisi qui in suis est pauper. In hoc vera consistit gloria, quod tua dumtaxat quaeratur. Sanctum Franciscum Regis ideo solum tanto coronasti honore et gloria, quia in te unum suam fideliter retulit gloriam et honorem. Quia humilis se tuis indignum gratiis aestimabat, iis humilem cumulasti *in vita*, dum laboribus ejus copiose benedixisti: *post mortem*, dum ejusdem corpori et cineribus donum contulisti nova quotidie miracula patrandi. Unicum, quod per ejus merita ac intercessionem a te flagitamus, miraculum est, ut nostram funditus extirpes superbiam. Zelus hic purus est et ab omni commodo ac amore proprio immunis. Zelus est nil quaerens aliud in terris, quam tuum honorem et gloriam, ut participes efficiamur gloriae, qua humiles coronas in coelis.

XXI. Junii.

S. Aloysius Gonzaga e Societate Jesu.

In illa verba, sancto perquam familiaria:

Quid haec ad vitam aeternam?

PUNCTUM I.

Cum solum et quodvis peccatum letale nos vita possit aeterna privare, summo illud horrore semper fugiebat Aloysius. Quoties re aliqua mentem allici sentiebat, interrogabat se ipsum: *Quid hoc ad vitam aeternam?* Haec ipsa cogitatio eum permovit, ut aulae et mundo diceret vale, quia utriusque vias deprehendit adeo lubricas esse, ut raro queant incedentium vestigia non fallere. Labendi periculum ut effugeret, relicta mundi pompa humiles religiosae vitae latebras subiit. At nec istae satis tutae ipsi videbantur, nisi quantum sibi ipsi sollicite invigilans et arctae sensuum custodiae esset assidue intentus; hinc illis nihil unquam libertatis indulsit, credens firmissime, per hasce portas ingredi, quidquid puritatem cordis violaret.

Mirumne, o Deus, quod Aloysius post adhibitas tanta prudentia et constantia tot cautelas, tibi fidelis perstiterit et nullius per omnem vitam reus noxae, nisi quam vel ipsa sanctitas aegre effugiat, suam tumulo innocentiam baptismalem intulerit?

Id vero magis stupendum, anima mea, quod nos de conservando pretiosissimo hujus innocentiae thesauro nobis adulari audeamus: nos, qui adeo exiguam ejus curam gerimus: qui tot quotidie periculis eam objicimus: qui tot manifestis eam perdendi occasionibus nosmetipsos exponimus, immemores illius coelestis summique momenti sententiae: *Quid haec ad vitam aeternam?*

Imprime illam, Domine, profunde cordi meo. Me non minus, ac Aloysium, ad finem beatum, *ad vitam aeternam* condidisti: da pariter gratiam, ut ejus nunquam obliviscar nihilque tolerem in me, quod in discrimen illius amittendae me possit adducere.

PUNCTUM II.

Sicut Aloysius ab omni eo, quod vitae aeternae jacturam posset inducere, extreme abhorruit, ita totis viribus amplexus est, quidquid ad eam obtinendam conferre videbatur. Hinc 1. *studium orationis* plane assiduum, ut mentem ab ea vel tantisper avertere haud posse videretur. 2. Perfectus omnium *terrenorum contemptus* et amor paupertatis, quae ipsum rebus sane omnibus spoliavit. 3. Et praecipue continua in omnibus *mortificatio:* quae virtus, licet custos innocentiae sit, tam parum principum aulis cognita, Aloysio ingenita esse videbatur. Illam amabat tenere ab unguiculis, exercebat rigide in aula ad invidiam religiosorum in coenobiis. Jejunia, vigilias, aliosque poenitentiae rigores ardentius appetiit, quam alii delicias. Arguentibus, quod ea in re modum et regulas discretionis excederet, aliud non reposuit, quam: *Quid haec ad vitam aeternam?* hoc multo minus est, quam facere deberem.

Ad eandem nos vitam cum Aloysio aspiramus, anima mea: quid autem ea dignum facimus cum Aloysio? Is perpetuam carni suae vim intulit: nos blandimur nostrae. Is omnibus vitae commodis et voluptatibus sibi sponte interdixit: nos avide insectamur. Is inexplebili cupiditate sitiebat mortificationes: nos horremus: amamus, quod oderat: odimus, quae amaverat. Ah! quo igitur pretio, mi Deus, intendimus emere regnum coeli?

Miserere, quaeso, Domine, non minus imbecillitatis nostrae, quam caecitatis. Illumina mentis nostrae oculos, ut clare agnoscant majorem omni aestimatione beatitudinem, quam fideliter tibi servientibus praeparasti. At generoso simul igne corda nostra accende, quo inflammentur ad agendum patiendumve, quidquid vitam meretur aeternam.

PUNCTUM III.

Quid autem Aloysius extreme aversando, quidquid eum a vita aeterna poterat abducere, contra impensissime amando, quidquid ad illam ducebat, tandem consecutus est? 1. Puritatem angelicam in carne mortali. 2. Consummatam sanctitatem intra breve spatium vitae. 3. Prae-

gustum coelestium deliciarum inter miserias terrae. 4. Adeo sublimem gloriae gradum in coelis, ut S. Magdalena de Pazzis, quae Deo monstrante eum vidit, stupore attonita exclamaverit: *O quanta est gloria b. Aloysii! quam alto in throno collocatus est! vix pertingere ad eum oculi nostri poterunt.*

Gaudeamus de tam sublimi gloria Aloysii, anima mea, illique gratulemur partam fugiendo minimas animi labes et exercendo summas virtutes: at discamus simul hac et non alia via perveniri ad vitam aeternam. Rogemus quoque supplices, ut gratiam nobis impetret eadem via constanter incedendi, ut post ipsum beatam vitae aeternae metam consecuti, cum ipso Deum aeternum amare et laudare mereamur.

XXIV. Junii.

Nativitas S. Joannis Baptistae.

PUNCTUM I.

Natalem Jesu Christi aliquot mensibus praecessit nativitas praecursoris, Joannis Baptistae, hanc vero stupenda prodigiorum copia. 1. Ejus conceptio verius gratiae debetur quam naturae: id quod nomen *Joannis*, h. e. *gratiae* innuit, coelesti impositum mandato. 2. Parentes erant quidem steriles, at foecundi virtutibus prodigiosam hanc prolem a coelo sanctis impetrarunt suspiriis precibusque. 3. Idem archangelus, quem Deus elegit, ut b. Virgini parituram Deum annuntiaret, Zachariam pariter de conceptione Joannis Baptistae edocuit, adjiciens: *Erit magnus coram Domino: et vinum et siceram non bibet et Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suae: et multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum: et ipse praecedet ante illum in spiritu et virtute Eliae, parare Domino plebem perfectam.* (Luc. 1, 15. sq.)

En! talia sunt opera gratiae, anima mea. Nihil non in iis sanctum, nihil non magnum, nihil non stupendum. Quo minus naturae admixtum habent actiones nostrae, eo plus continebunt perfectionis. Quidquid a natura

provenit, suam sapit originem et olet matrem, quae instar fermenti actiones etiam sanctissimas corrumpit.

Quid ergo mirum, Domine, quod opera mea coram te tot imperfectionibus scateant et defectibus? Plerumque nascuntur ex caeco passionum motu, ex repentino animi impetu, ex propria voluntate et judicio, verbo: proles et fructus sunt naturae.

Evelle, Jesu benignissime, hanc pessimam imperfectionum mearum radicem et ejus loco sanctum gratiae germen insere, quod solos sanctitatis flores et fructus producat, tuis dignos oculis et palato.

PUNCTUM II.

Ponderemus jam dotes ac praerogativas prodigiosi hujus infantis, supra memoratis expressas verbis, illis potissimum: *Erit magnus coram Domino.*

Quanta laus, honor et praeconium est, o Deus, *coram te magnum esse!* Et sane permagnus sit, oportet, quisquis magnus est coram eo, qui solus novit veram discernere ac aestimare magnitudinem. Magni sunt in oculis et ore hominum, qui nobilitate potentia, divitiis, doctrina excellunt: at enim ob has ipsas dotes saepenumero tuis in oculis Domine, parvi sunt et exiguae aestimationis.

Ut quis *coram Domino* magnus sit, opus est, ut sit in statu gratiae, ut studeat pietati, ut exemplo S. Joannis Baptistae sit humilis, sobrius, temperans, zelo divinae gloriae et salutis animarum ardens. Atque haec est regia ad veram *coram Domino* magnitudinem via, mundo eheu! incognita, cum tamen nemo non desideret in sublime extolli, ad altiora evehi, supremum magnitudinis gradum assequi. Beatus, qui rectas ad veram magnitudinem semitas in schola Spiritus Sancti didicit, easque mature ingressus cum pusillo electorum grege constanter tenet, ut cum ipsis perveniat, quo via recta certissime perducit.

PUNCTUM III.

Non sola autem domus et familia Zachariae, sed tota late vicinia *in nativitate* Joannis Baptistae *gavisa*

est, ita, ut invicem quaererent: *Quis, putas, puer iste erit*, quem coelum tot prodigiis honorat? (Luc. 1, 66.)

Natali eorum, quibus inter magnates locum mundus praesagit, hilariis, plausibus, tripudiis, omnique solemni pompa litatur, cum, eheu! naeniis potius et lacrimis foret indulgendum, quia raro nascuntur in bonum et felicitatem regnorum. Saepius contra e paupere tugurio prodit infans gratiae et benedictionis, quem coelum ad utilitatem et sanctificationem populorum delegit.

Quam mirabilis, o Deus, suis in operibus ac viis tua est providentia! Quoties nostra fallitur et fallit opinio de futura infantium magnitudine ac excellentia: de vera, ajo, quae in sanctitate consistit, magnitudine! Nihilominus bona quaevis licet de eo divinare, qui bene coepit, cum fervore studium virtutis ingreditur, illudque decurrit non suis viribus, sed Spiritus S. gratia fretus; cum tali enim, uti cum S. Joanne, *manus Domini est.*

Hac ipsa omnipotente manu tua, Domine, corrobora imbecilles conatus meos; sine illa enim gigantes seu *perfecti* succumbunt, cum illa vero etiam infantes seu *incipientes* ac imbecilles semper in palaestra virtutum progrediuntur, imo ad summum sanctitatis fastigium eluctantur.

XXIX. Junii.

Festum SS. Petri et Pauli, Apostolorum.

Vide meditationem die Veneris post Dom. VI. post Epiphaniam. pag. 118.

XXX. Junii.

Commemoratio S. Pauli Apostoli.

Vide meditationem die Veneris Hebdom. IV. post Pentecosten. pag. 438

A. M. D. G.

INDEX
meditationum in singulos anni dies.

INDEX

meditationum in festa Sanctorum.

Mense Januario.

Mense Februario.

Mense Martio.

Mense Aprili.

Mense Majo.

Mense Junio.

BX 2186 Puente, Luis de
.P918 la, 1554-1624.
1892 Meditationes in
v.1 compendium redact
tae et magno
meditationum
numero de praecip
uis sanctorum
festis auctae

Volume 2

P. LUDOVICI DE PONTE S. J.,

MEDITATIONES

IN COMPENDIUM REDACTAE

ET

MAGNO MEDITATIONUM NUMERO DE PRAECIPUIS SANCTORUM FESTIS AUCTAE

A

NICOLAO FRIZON S. J.

QUAS DENUO EDI VOLUIT ET PRAEFATIONE COMMENDAVIT

CELSISSIMUS ET REVERENDISSIMUS DOMINUS

SIMON AICHNER,

EPISCOPUS BRIXINENSIS ET PRINCEPS.

PARS ALTERA.

BRIXINAE.

TYPIS ET SUMPTIBUS CATHOLICAE UNIONIS TYPOGRAPHICAE.

1892.

Dominica V. post Pentecosten.

De perfectione legis evangelicae.

(Matth. 5, 17. sq.)

PUNCTUM I.

Ulterius in monte Christus, priusquam novam legem evangelicam promulgaret, palam declaravit, non solum legem antiquam non contemni a se, sed serio velle, ut ad apicem observetur. *Nolite*, ait, *putare*, *quoniam veni solvere legem aut prophetas: non veni solvere*, *sed adimplere.*

Bellissima profecto magistri optimi doctrina! Hujus probe meminisse oportet, anima mea, quoties ad servandam Dei et religionis tuae legem opus fuerit te vincere. Non veni (dicere oportebit), non veni in mundum, ut meo vivam genio ac arbitrio: non veni, ut voluntatem meam divinis praeferendo mandatis jugum legis excutiam: sed veni, ut eam fideliter observem. Non veni in ordinem religiosum, ut propriae, sed ut divinae obsequar voluntati, quae mihi per superiores meique instituti regulas indicatur. Earum quasdam transgredi, quia videntur parvae aut de minimis, idem foret, ac me periculo exponere transgrediendi majores. Neglectus minimorum plerumque ruina est et pernicies Christianorum aeque ac religiosorum. Saepius iteratae minimarum legum ac regularum transgressiones totidem sunt gradus ad exitium, in quod infidelis ejusmodi anima solet prolabi. Deinde, o legislator divine, tuasne majores promerebitur gratias, qui minoribus abutitur? Num singularia ad

servandas majoris momenti leges auxilia a te possit sperare, qui renuit obedire tibi in minimis? *Minimis* autem? An non magni esse momenti vel ex eo capite sunt censendae, quia tumetipse, quamvis ad eas servandas minime obligatus, iisdem te subjicere dignatus es? *Jota unum*, ajebas, *aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant.* Heu me! adeo perfecta tua, Domine, obedientia, eheu! quantum meam confundit ex omni parte imperfectissimam! Corrige hanc, obsecro, meque tuo fac exemplo vere obedientem.

PUNCTUM II.

Post honorificam legis antiquae mentionem Christus in laudem novae legis suae memorabiles duas pronuntiavit sententias seu conclusiones, quas deducit ex dictis: 1. *Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in regno coelorum.* 2. *Qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno coelorum.*

Bene tibi nota utramque hanc sententiam, anima mea, quia admirabilem complectitur doctrinam: nimirum *qui in uno offendit* praecepto, *factus est omnium reus* (Jac. 2, 10.), quia offendit legis auctorem, *omnia* praecepta servari praecipientem: simulque caritatem, quae est vinculum perfectionis et tota legis perfectio, destruit: atque adeo ultimum meretur lòcum *in Ecclesia militante*, nullum *in triumphante.* Unde sequitur, quod, qui per peccata propria Deo perduelles facti, alios verbis aut exemplis eodem secum peccato involvunt, duplici jure ac titulo mereantur coelo excludi: qui vero sancta ambitione contendunt magni esse in coelo, non solum debeant ipsimet legem servare, sed idem etiam alios docere. Et sane nihil majore in pretio est apud Deum, quam *esse sanctum* et alios verbo et exemplo *efficere sanctos.*

Huc certe totam impendisti vitam, Servator mi, ut omnem Patris tui voluntatem adimpleres hominesque ad eam rite implendam pertraheres: ut in tuam nostramque incumberes sanctificationem: *Pro eis*, dicebas, *ego sanctifico me ipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate.* (Joan. 17, 19.) Quam insigne sanctitatis exemplar est

nobis in te! Hic scilicet est tuae erga nos bonitatis effectus, ad nil aliud, quam ad majorem damnationem nostram serviturus, nisi ardens te imitandi desiderium in nobis esset accensurus.

PUNCTUM III.

Auctor novae legis Christus, sublimem evangelicae perfectionis ideam nobis impressurus, non erat contentus se ipsum nobis, ut modo diximus, in ejus exemplar proposuisse, sed aliud praeterea, cui nil poterit addi, proposuit, Patrem nimirum coelestem, cujus effigiem esse voluit quemlibet Christianum. *Estote perfecti*, ait, *sicut et Pater vester coelestis perfectus est.* Sicut ergo sanctitas Dei in eo sita est, quod 1. sit immunis ab omni prorsus labecula et defectu: 2. quod in se complectatur omnes omnino perfectiones: 3. easque in gradu prorsus eminentissimo: ita lex Christi tota ad tres istas proprietates, ceu totidem fratrum Christi characteristicas, reducitur: debent 1. omnia, etiam minima, vitare peccata: 2. omnes acquirere virtutes: 3. easque modo exercere prorsus excellentissimo.

O incomparabilem legis evangelicae perfectionem! O legem Deo dignam infinite puro, infinite sancto, qui nec minimae patiens labis et peccatilli, animas ad omne genus virtutum, et quidem ad summam earum perfectionem incitat. Et in hac consistit Evangelium Jesu Christi et lex nova, quam nos docturus venit in mundum. Non jubet, ut simus perfecti sicut Abraham, Moyses, aut alii prophetarum; neque sicut angeli, Cherubim, aut Seraphim; haec enim sanctitatis exempla, quantumvis perfecta, non sufficiunt perfectioni, ad quam Christiani, religiosi et filii legis gratiae debent aspirare. Opus est, ut *perfecti sint*, *sicut Pater coelestis.* Opus est, ut eorum puritas, humilitas, mortificatio et, uti Apostolus ait, *caritas magis ac magis abundet in omni sensu.* (Philip. 1, 9.)

Infinitas tibi grates, o Jesu, quod de coelo in terras descenderis, ut nos doceres artem de terra ascendendi in coelum: quod legem adeo sanctam ad nos detuleris: quod ejus exemplar infinite perfectum in tuo Patre nobis ostenderis. Doce me pariter, quam excelsa, utilis et

gloriosa res sit perfectio, ad quam me vocare dignaris. Largire mihi, obsecro, sat ferveris, ut eam amem: sat animi, ut quaeram: et praesertim sat constantiae, ut eam consequar.

Feria II.

Christi responsum ambitiosis Zebedaei filiis datum.

(Marc. 10, 35. sq.)

PUNCTUM I.

Postquam Christus suam passionem et gloriosam resurrectionem Apostolis praedixerat, *Jacobus et Joannes, filii Zebedaei*, eorum, quae de adversis et tribulationibus disseruerat, obliti et in sola regni ejus gloria cogitationibus defixi, *accedunt ad eum, dicentes: Magister! volumus, ut, quodcunque petierimus, facias nobis. Dixit eis Jesus: Quid vultis, ut faciam vobis? Et dixerunt: Da nobis, ut unus ad dexteram tuam et alius ad sinistram tuam sedeamus in gloria* et regno *tuo.*

Consideremus in his adhuc imperfectis, postea tamen ad sublimem sanctitatis gradum evectis discipulis genuinam ambitionis imaginem. Ambitiosus propriis elatus meritis excaecatur; primos sibi arrogat honorum gradus ac praerogativas, iisque dignum se existimat: eo ut pertingat, nullum non movet lapidem, nullam non adhibet machinam.

In hos ipsos defectus lapsi sunt hi duo discipuli. Existimabant se dextra et sinistra Christi dignos prae Petro, quem dignitate volebant praecedere: non contenti id animo agitasse, audacter suam effundunt mentem et primas a Christo sedes in regno ipsius postulant, sibi adulantes de sufficiente peritia et merito: utque securius suis damnarentur votis, omnem (ut notat S. Matthaeus) matris suae sollertiam eo adhibent, sollicitando, id gratiae ut ipsa peteret a Christo. Haec est indoles et ingenium ambitionis: est caeca, audax, arrogans et, uti David loquitur, est *negotium perambulans in tenebris.* (Psal. 90, 6.)

O quantum tuae voluntati, o Jesu, vitae et Evangelio tuo adversatur ambitionis vitium! O te perfectissimum humilitatis exemplar! qui, secundum naturam divinam aeternus Dei Filius, secundum carnem vero in tempore Filius regis David, dignissimus es praeferri omnibus, in throno sedere, primum in universo locum obtinere, ultimum tamen elegisti semper. Ah! mihi quoque eundem humilitatis spiritum impertire, ut postremum dumtaxat locum et vilissima solum officia ambiam: da, ut exemplo tuo vilissimi instar homuncionis desiderem haberi.

PUNCTUM II.

Jesus autem ait eis: Nescitis, quid petatis: potestis bibere calicem, quem ego bibo, aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari? At illi dixerunt ei: Possumus. Jesus autem ait eis: Calicem quidem, quem ego bibo, bibetis: et baptismo, quo ego baptizor, baptizabimini: sedere autem ad dexteram meam vel ad sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.

Perpende, anima mea, ingens Christi Domini beneficium esse, si, quod petis, tibi negat, videns, quod aut in materia, aut in modo petendi erres: aut si in vicem repulsae tibi suggerat, quod par est petere. Ita egit cum Joanne et Jacobo. Ambitiosam eorum petitionem corrigit et sub figura *calicis et baptismi* eos docet nihil desiderare, praeter humiliationes et adversa. Re ipsa non vult gratiam eis concedere, quam flagitant ex motivo nimis humano ac naturali, sed vult, ut eam mereantur; hinc ait: *Non est meum*, nec justitiae consentaneum, soli consanguinitatis, quae me inter et vos intercedit, titulo aut vestrae ambitioni cedere, ac primas vobis sedes ad utrumque latus meum concedere; haec enim eorum praerogativa est, quibus a Patre meo est parata: et cum illis solum parata sit, qui calicem meum bibunt, si vobis quoque tantundem est animi, quantum illis, ad bibendum calicem, tunc enimvero impetrabitis per labores ac merita, quod obtinere quaeritis per preces et verba.

Divine Spiritus, qui meam et necessitatem et crassam agnoscis ignorantiam, ut, *quid orem, sicut oportet*,

nesciam (Rom. 8, 26.): qui nosti, quid et quomodo petere mihi expediat, doce me utrumque, ut mea petitio et tibi sit accepta et mereatur exaudiri. Tibi vero, Servator amantissime, qui tuis promisisti discipulis, te facturum, quidquid petierint *in nomine tuo* (Joan. 14, 14.), grates tibi ago, quas possum, maximas, quod in Joanne et Jacobo me docueris, quid sit *petere in nomine tuo:* nimirum petere non bona temporalia ex cupiditate, sed gratias spirituales, maxime amorem crucis et humiliationum, ex vero tibi placendi desiderio. Hoc unum igitur peto a te, pati et contemni pro te. Ita est, o Jesu, si nec ad dexteram tuam, nec ad sinistram locus in coelo mihi sperandus esset, felicem tamen me crederem, si mihi liceret tuum bibere calicem, quia meae in hac vita felicitatis apex est multa agere et pati multa amore tui, ut gratus sim pro omnibus, quae dignatus es agere et pati amore mei.

PUNCTUM III.

Et audientes decem Apostoli *coeperunt indignari de Jacobo et Joanne. Jesus autem ait illis: Scitis, quia hi, qui videntur principari gentibus, dominantur eis. Non ita est autem in vobis, sed quicunque voluerit in vobis primus esse, erit omnium servus. Nam et Filius hominis non venit, ut ministraretur ei, sed ut ministraret.*

Considera incredibilem hominum imbecillitatem ac miseriam, nisi virtute ex alto induantur. Audierant decem Apostoli responsum Christi ad retundendam filiorum Zebedaei ambitionem tam accommodatum quam efficax: nihilo tamen inde meliores in idem prorsus ambitionis vitium et scopulum inciderunt, imo ambitioni adjunxere zelotypiam, duobus indignati, quod reliquis omnibus praeferri quaesierint. Haec duo vitia sunt duo fontes discordiarum et mille malorum in communitatibus.

Deinde mansuetudinem ac moderationem Christi admirare, nec verbulo indignantis seu ambitiosis, seu zelotypis discipulis, sed eos in spiritu amoris omnes congregantis, duo illis proponendo exempla: alterum ambitionis in principibus mundi, quod fugiant: humilitatis alterum in se ipso, quod imitentur, totam in eo gloriam collocantes, quod exemplo Christi sint omnium

servi, probe gnari, quod, sicut amor humilitatis et crucis e coelo Christum detraxit, ita eos possit ad coelum evehere.

Quid autem? O supreme mundi totius monarcha! tu, Deus et Dominus omnium, atque adeo omnium servitiis jure dignissimus, tu dedignatus haud es servire omnibus, teque totum impendere eorum obsequiis? Et ego, vile mancipium, ambiam aliis praeponi, ministrari, obsequiis honorari? Ob id sane erubesco, doleo, teque Dominum meum supplex per zelum, quo meam salutem ardentissime sitis, obtestor, ut sacro me ardore inflammes tua imitandi exempla.

Feria III.

De Lazaro et divite epulone.

(Luc. 16, 19. sq.)

PUNCTUM I.

Considerabo miserabilem Lazari statum in vita, felicem in morte, ejusque virtutum encomia ex divinissimo Christi ore. 1. Tota ejus vita erat continuum patientiae exercitium. Fuit alter Job, *ulceribus plenus*, ad extremam redactus inopiam et, quod cumulus erat miseriarum, ab omnibus omnino derelictus: *erat cupiens saturari de micis, quae cadebant de mensa divitis: et nemo illi dabat.* Universa divitis domus exemplo patrisfamilias minus calamitatem ejus miserabatur, quam *canes, qui veniebant et lingebant ulcera ejus.*

En triste in mundi oculis spectaculum, anima mea: at spectaculum admirationis in oculis angelorum, hominem obstupescentium doloribus oppressum, fame confectum, opprobriis obsitum, ad extremam perductum miseriam: attamen tranquillum, nec de hominum inclementia, nec de malorum atrocitate ullo unquam verbulo quiritantem, sed contentum, quod ostensa hominibus ulcera pro ipso perorarent, hianti ore necessitates ejus promulgantia. Interim dum spernitur in terris, totum patienti applaudit coelum. Servator ipse fit ejus encomiastes, nomen ejus ubique celebrat: utque redderet immortale, futuris pro-

mulgat saeculis, ejus animam velut triumphantem *ab angelis portatam fuisse in sinum Abrahae.*

Grates tibi immensas ago, aeterne Deus, quod tam gloriose corones tuorum mortem, quos dure probasti in vita. Profecto *nimis honorificati sunt amici tui, Deus!* (Psal. 138, 17.) Tu *suscitas a terra inopem et de stercore erigis pauperem, ut colloces eum cum principibus* regni tui. (Psal. 112, 7. 8.) Et tu, o Jesu, Lazari instar ulceribus plene, pauper et derelicte, verum mihi amorem ac aestimationem inspira individuorum vitae tuae comitum, paupertatis, dolorum, ignominiarum: gratiam mihi impertire et tuam et Lazari patientiam imitandi, ut tuae pariter et Lazari aeternae consors fiam gloriae.

PUNCTUM II.

Consideremus modo contrariam Lazaro vitam et mortem epulonis. Affluebat omnibus: superbe vestitus *induebatur purpura et bysso: et epulabatur quotidie splendide.* Luxui, superbiae, mollitiei associavit duritiem cordis et immisericordiam erga pauperes; videns enim quotidie Lazarum prae foribus suis jacentem, ejusdem fame ac doloribus nec tantillum movebatur ad misericordiam.

Diviti epuloni similes plerumque sunt magnates mundi, quos vulgus appellat beatos, abominatur Christus. Loquens de epulone, ne quidem nominare dignatur, cujus nomen deletum jam erat ex libro vitae, aeterna sepeliendum oblivione.

Fatendum est, alia esse judicia Dei, alia hominum. Qualis ergo extitit finis hujus in vita tam felicis et ab omnibus honorati epulonis? *Mortuus autem est et dives, et sepultus est in inferno*, ubi aeternum sustinebit tormenta, excruciando diviti, superbo, sensuali et immisericordi omnino paria. Igni devorante cingitur ex omni parte in poenam mollitiei ac luxus vestium. Lingua, gulae instrumentum, horrenda siti exuritur et, quamvis vel unicam aquae stillam, qua aridam refrigeret linguam, efflictim petat, non impetrat, ut crudelitatem luat negatae Lazaro vel micae panis. O magnificentia terrae! O divitiae ac voluptates hujus vitae! hiccine est finis et exitus vester?

Tremende Deus! quam infinite justa sunt judicia tua! quam exacte peccatis nostris respondent supplicia! Quis non formidet tuae rigorem justitiae? Quomodo non contremiscant divites et mortem sibi metuant morti epulonis similem, cui simillimam vivunt vitam? Aperi, Domine, oculos divitum, ut alieno epulonis sapiant damno: illumina pauperes, ut fatalem divitibus prosperitatem haud invideant.

PUNCTUM III.

Denique comparemus diversam epulonis et Lazari sortem, in responsione, a patre Abraham epuloni data, clare expressam. *Fili*, ait, *recordare, quia recepisti bona in vita tua et Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.*

In hac vita epulo omnibus abundabat bonis, quibus male abusus est: Lazarus malis, quibus ad exercendam patientiae virtutem bene est usus: numquid ergo non aequissimum est, ut ille propter abusum severe plectatur, iste vero propter bonum usum copiose remuneretur?

En, anima mea, en divinae ordinem et aequitatem providentiae! Ut thesauros coelestes adipiscaris, deserere oportet terrenos: nec aeterna effugies supplicia, nisi voluptates et bona fugias temporalia. Fieri nequit, ut in hac vita gaudeas sorte divitis, in altera mendici. Si hic multa patiaris cum Lazaro, sperare merito poteris, ibi te non fore aeternum infelicem cum epulone. Igitur attenta mente considera, quas in hac vita partes, quam sortem velis eligere; ex ea enim sors alterius vitae dependet, aeternum felix, aut infelix aeternum. Exhorresce ad temporales mundi prosperitates, ne forsitan praemium sint exigui, quod praestas, boni, paulo post in sempiternas mutandum miserias: potius exulta in vitae hujus adversis, in pignus et arrham futurae beatitudinis a Deo tibi immissis.

O adorandam Dei mei providentiam! totum me tibi trado gubernandum. Summa animi submissione lubens accepto hujus vitae calamitates, contemptus, adversa omnia. Haec imposterum considerabo ut munera et favores coeli, ut media aeternae felicitatis meae. Quam caecus, Domine, et fatuus est, qui ordinationes

tuas ausit vel adducere in invidiam, vel omnino vocare in crimen. Imo quantum iis sapientiae inest et aequitatis, dum justum relinquis in egestate, ut majoribus eum thesauris locupletes: peccatorem vero prospere permittis vivere, ut severius punias: utrimque *justus es, Domine, et rectum judicium tuum.* (Psal. 118, 137.)

Feria IV.

Repetatur meditatio praecedens.

NB. Sequuntur miracula quaedam a Christo patrata per conversiones animarum et sanationes corporum.

Feria V.

Conversio Mariae Magdalenae.

(Luc. 7, 36. sq.)

PUNCTUM I.

Rogabat Jesum quidam de pharisaeis, nomine Simon, *ut manducaret cum illo. Et ecce mulier, quae erat in civitate peccatrix, ut cognovit, quod accubuisset in domo pharisaei*, venit ad Jesum.

Nomen *peccatricis*, quod huic feminae imponit Evangelium, satis indicat, praecipua ejus delicta fuisse peccata luxuriae et mores in omnem licentiam effusos cum ingenti totius civitatis scandalo. Ast vix audita Christi praedicatione, per dicentis eloquentiam ac mansuetudinem capta, victrici gratiae manus dedit decrevitque etiam alienis in aedibus manducantem absque mora accedere.

Obstupesce, anima mea, et vim gratiae Christi, et promptam mulieris inspirationi divinae respondentis obedientiam, nec non mirabiles utriusque effectus; repentinam scilicet publicae peccatricis, obscoenis amoribus irretitae, conversionem in poenitentem adeo perfectam, ut Christo judice meruerit tamquam absolutissimum poenitentiae speculum omnibus saeculis proponi: *Vides hanc mulierem?*

O Pater coelestis, de quo Filius tuus dixit, quod *nemo possit ad ipsum venire, nisi fuerit ei datum a te* (Joan. 6, 66.): trahe nos ad eum *in vinculis caritatis.* Et tu, o Jesu, qui dignatus es perditam quaerere oviculam, miserere nostri errantium: reduc nos in vias rectas: nostrum reforma vitae genus: vivum cordis dolorem, quod te infinito amore dignissimum offenderimus, nobis inspira. Loquere ad cor nostrum: et e rebellibus mox fient corda tibi fidelissima, solo creatoris sui amore arsura.

PUNCTUM II.

Magdalena *stans retro secus pedes* Jesu. *lacrimis coepit rigare pedes ejus, et capillis capitis sui tergebat, et osculabatur pedes ejus, et unguento ungebat*, quod in alabastro secum attulerat.

Nota hic perfectam Magdalenae conversionem et heroicas poenitentis virtutes: videlicet 1. magnam de Christi divinitate *fidem*, nec minorem in ejus misericordia *fiduciam*; soli enim Deo competere credebat peccatorum condonationem. 2. Ortum inde disertum *silentium*, per quod sine ulla voce et sua animae vulnera aperuit medico, et remedium petiit. 3. *Humilitatem* profundissimam, quae humanum illud idolum: *quid dicent homines?* generoso pede calcavit et poenitentem ad pedes Jesu abjecit confusione coopertam. 4. Vivam de peccatis *contritionem*, quae ex tota emicabat Magdalena, sese manifestans per omnes exterioris poenitentiae actus. Certe haec poenitens *omnia instrumenta peccati fecit instrumenta virtutis*, sedulo impendens *oculos* ad pedes Jesu lacrimis rigandos, *comas* ad tergendos, *os et labia* ad exosculandos, *unguentum* ad ungendos: hac ratione ad apicem implevit datum poenitentibus monitum Apostoli: *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiae et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiae in sanctificationem.* (Rom. 6, 19.)

Anima mea! rarum istud conversionis exemplum contemplare diligenter, ac imitare gnaviter. Compara tuam cum poenitentia Magdalenae: tuam procrastinationem cum ejus promptitudine, mortuam fidem tuam

cum vivacissima ejus fide, frigus pectoris tui cum ardenti ejus erga Deum amore, superbiam tuam cum profunda ejus humilitate, tepida poenitentiae tuae opera cum ejus fervore, qui *omnia instrumenta peccati fecit instrumenta virtutis.* Erubesce, quod Magdalenae simillima fueris peccando, sis autem adeo dissimilis poenitentiam agendo.

O ferventem poenitentiam! O victricem gratiam! O invictam divinae inspirationis efficaciam! Tange, o Deus, qui corda hominum formasti et tuo pro libitu ac arbitrio movere nosti, tange pariter meum tanta vi et efficacia, ut sincero de peccatis dolore et sancto sui odio repletum ad vindicandas, quibus te affecit, injurias exardescat. Omnia mea in eam expiationem conspirent: omnes animae facultates cum sensibus operam jungant ad te placandum, tuaeque satisfaciendum justitiae, ita, *ut, sicut fuit sensus meus, ut errarem a te, decies tantum iterum conversus requiram te.* (Baruch 4, 28.)

PUNCTUM III.

Quod Christus mulierem adeo infamem tantis benevolentiae ac amoris significationibus exceperit, indigne tulit pharisaeus non sine scandalo. Videns Jesus in pharisaei corde temerarias de se et Magdalena cogitationes, defendit poenitentem, laudat conversam, dimittit gratia et solatiis oppletam.

Perpende hic infinitam Christi bonitatem erga maximos peccatores, at sincere conversos cum Magdalena, *cui remittuntur peccata multa, quoniam dilexit multum.* Ita Christus ipse ad confusionem pharisaei testatur, dum conversus ad mulierem ait: *Remittuntur tibi peccata tua: vade in pace.*

Magne Deus! quantis haec verba solatiis perfuderint miseram peccatricem, at modo amore Jesu Christi flagrantem! Quantis perfundetur gaudiis peccatrix anima, quae, sin minus ex ore Christi, certe ex ejus vicario (sacerdote) audiat eadem verba, nomine et auctoritate Christi proferenda: *Remittuntur tibi peccata tua: vade in pace!* Ea Deus oblivione perenni delebit: fuerint prorsus enormia; nullum gratiis ejus ponent obstaculum. Atque hoc est praemium ferventis poenitentiae: Dei protectio, gratia, pax et amor.

Felices illos milliesque felices, qui vere contriti cum humilitate et caritate ad pedes Jesu Christi sese abjiciunt, eos cum amore amplexantur, iis cum Magdalena constanter adhaerent, quia certa gratiae et reconciliationis argumenta ibi invenient: *Vade in pace.*

Ita est, o Jesu! firmiter statutum est, cum Magdalena tuis semper pedibus adhaerere, ibi vivere et mori: eos meis rigabo lacrimis, exosculabor labiis et hac ratione mea detestabor peccata, veniam eorum rogaturus ex solo caritatis motivo: et certus sum, quod tua fretus misericordia nunquam non peccatorum veniam sim obtenturus cum gratia et pace tua.

Feria VI.

Conversio Samaritanae.

(Joan. 4, 3. sq.)

PUNCTUM I.

Transiens Jesus e Judaea in Galilaeam per Samariam, *fatigatus ex itinere sedebat supra fontem Jacob. Hora erat quasi sexta*, seu meridies: tunc *venit mulier de Samaria haurire aquam.*

Attente considera quoad omnes circumstantias admirabilem Christi zelum convertendi hanc mulierem. *Mane* itineri se committit: illud *pedes* conficit in maximo solis aestu: *fatigatur* quaerendo mulierem: *sedet* supra fontem non tam quietem corporis, quam mulieris animam capturus: *expectat* usque ad meridiem, tempus scilicet, quod suo praevidebat opportunum desiderio mulierem instruendi de regno coelorum; *sitit*, quia sine ullo levamine longam confecerat viam: ardentiori autem siti eum urebat zelus hanc lucrandi animam. Igitur *aquam petit* a muliere, ut colloquium cum ea posset instituere, ejus conversioni aptum. Obstupesce praeter zelum admirandam Christi caritatem erga peccatores, quos vult convertere.

Ita semel egit Jesus cum Samaritana. Nonne autem eodem modo quotidie agit cum peccatoribus, quos intendit convertere? Imo an non eadem prorsus ratione egit mecum? Quanta non bonitate, studio, sollicitudine

me praevenit, quaesivit, per gratiam suam invitavit: et quidem dum minime cogitabam de ipso, dum fugiebam ipsum, dum meam in perniciem praeceps ruebam!

O infinita bonitas! O incarnata sapientia! quam admirabili providentia, suavitate ac misericordia *eos praeoccupas, qui te concupiscunt, ut illis te prior ostendas?* (Sap. 6, 14.) Profecto, qui te non quaerunt, inveniunt, et iis, qui ante non interrogabant te, dixisti: *Ecce ego! Ecce ego!* (Is. 65, 1.) Si te Samaritana hodie invenit, inde est, quod errantem ex misericordia praeveneris et prior ei occurreris. Aquam ab illa petiisti, ut ipsa hauriret salutem de fontibus Salvatoris, atque adeo tuam, qua salutem ejus ardentissime sitiebas, expleret sitim.

Utinam possem, o Jesu, ad explendam hanc tuam sitim infinitas tibi propinare animas! Ah! saltem meam accepta, quae tanto tibi pretio, tanto labore, sudore, cruore stetit, eamque tam arcte tibi adstringe, ut nulla re amplius separari a te, vi nulla avelli possit.

PUNCTUM II.

Samaritana non solum aquam Christo denegavit, sed etiam, quod Judaeus a Samaritana eam petat, illum reprehendit. Jesus autem tantum abest, ut tanta inurbanitate fuerit offensus: ut etiam occasionem inde arripuerit eam docendi mysterium gratiae divinae, cujus efficaciam mox esset expertura. *Si scires*, ait, *donum Dei, et quis est, qui dicit tibi: Da mihi bibere:* ille nimirum, qui datus est hominibus, ut sua illis gratiae dona conferat: o si scires, quam felix consequendi salutem tibi occasio offeratur: si illum nosses, *qui dicit tibi: Da mihi bibere* aquam, *tu forsitan petisses ab eo:* et ipse multo liberalior quam tu loco usualis aquae tibi daret *aquam vivam*, quae sola te a morte potest praeservare.

O donum Dei mirabile! O gratia, emanans e corde, cujus natura est bonitas! O Jesu! quam admirabilis es in animarum conversione! mille artes et machinas adhibes, ut illas lucreris: te illis suaviter insinuas: opportunum observas tempus: libertatem non violas, sed tueris:

illarum inclinationibus te accommodas, sicque animas sensim sine sensu ad cognitionem ac amorem justitiae adducis: uti Samaritanam adduxisti, ejus intellectum a visibilibus elevando ad invisibilia, voluntatem accendendo desideriis bonorum coelestium, tuam manum curandis animae vulneribus suaviter admovendo et tandem supremum te esse medicum palam fatendo: *Ego sum, qui tecum loquor*, Messias ad te salvandam paratus. Ultima haec verba perfecte illuminarunt feminam, inspirarunt perfectum de peccatis dolorem, perfectam animi conversionem.

Amabilissime Servator! quid, obsecro, commodi aut utilitatis ex animae peccatricis conversione trahis, ut nullum non moveas lapidem, nulli parcas gratiae, quo eam convertas? At me hebetem, qui istud quaero abs te! Quis somniare possit, quod animarum salute aut interitu non commovearis, cum credamus et perbene sciamus, te eo solum fine, ut animas hominum quaereres, de coelo descendisse: ut invenires, nec labori, nec sudori pepercisse: ut redimeres, ultimam quoque sanguinis guttam profudisse? Ob ineffabilem hanc caritatem sis millies, o Jesu, et millies benedictus in saecula!

PUNCTUM III.

Samaritana coelesti, de qua Christus loquebatur, aqua, nec non sacro igne, quem Spiritus S. in rite conversis solet accendere, plena, corporalem, ad quam hauriendam venerat, aquam oblita, *reliquit hydriam suam et* festinans *abiit in civitatem*, suum omnibus gaudium faustamque sortem annuntiat, Messiam a se inventum per omnes plateas clamitans. In veritatis testimonium se ipsam diffamans publice protestatur, quod ille homo (Christus) arcanissima vitae male actae peccata sibi aperuerit. Ni crederent, *venite*, ait, *et* ipsimet *videte hominem*.

O stupendum gratiae miraculum! O mutatio dexterae Excelsi! quis enim alius praeter Deum infinite bonum et infinite sapientem tale posset edere prodigium? intra tantillum temporis ex peccatrice tanta non humilem modo efficere poenitentem, sed et perfectam Jesu Christi amantem, imo ferventem ejus divinitatis praeconem?

Haec nimirum tibi soli, o Servator, propria est gloria posse animam de peccati tenebris momento adducere in admirabile lumen gratiae, de amore mundi ad amorem conditoris, de tyrannide passionum in sanctam atque perfectam libertatem. Tui solius est sanctum inflammare zelum, ubi prius regnavit scandalum: in laudes tuas solvere ora creaturarum, quae prius solum te poterant inhonorare.

Quantum confundor, o Deus, quod post tot gratias mihi collatas me videam adhuc ita tepidum, Samaritanam vero adeo ferventem! Dum istud exemplum intueor, meum in procuranda gloria tua torporem erubesco et jure timeo, ne sim inter tepidos Christi servos, *quos publicani et meretrices praecedent* in die judicii. (Matth. 21, 31.) Domine, illumina me sanctoque inflamma zelo: per gratiam tuam fac me, ut Samaritanam, dignum gloriae tuae instrumentum.

Sabbato.

Repete meditationem praecedentem.

Dominica VI. post Pentecosten.

Christus prodigiose pascit quinque milia hominum.

(Marc. 8, 1. sq.)

Vide Part. I. Feria III. Hebdom. VI. post Epiph., pag. 111.

Feria II.

Jesus adulteram liberat ab accusatoribus, poena et peccato.

(Joan. 8, 3. sq.)

PUNCTUM I.

Ad Jesum *adducunt scribae et pharisaei mulierem in adulterio deprehensam et dixerunt ei: Magister, haec mulier modo deprehensa est in adulterio. In lege autem*

Moyses mandavit nobis hujusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis? Hoc autem dicebant tentantes eum, ut possent accusare eum.

Suavitas, misericordia et mansuetudo Christi erga peccatores adeo pervulgata erat ac omnium sermonibus celebrata, ut ejus inimici crederent, inde laqueum, quo caperetur, a se confici posse: nimirum dicendo, eum, si adulteram absolveret, esse eversorem legis Mosaicae: aut certe non ita mansuetum, ut ferebatur, si eam condemnaret.

Cave tibi, anima mea, a falso hypocritarum zelo, qui sub specioso tuendi legem, aut omni cum rigore observandi praetextu principale legis mandatum violant, scilicet praeceptum *caritatis*, qua sine verus non datur zelus. Satanae ministri sunt, cujus communissima fraus et astutia est ad extrema animas adigere et ad istud efficiendum utitur malis earum inclinationibus, imo et ipsis virtutibus: v. g. unius misericordia, ut transgrediatur leges justitiae: alterius zelo ac animi constantia, ut in severitate exorbitet et in leges mansuetudinis peccet. Discamus ergo medium tenere, quo et vitia evitemus et virtutes inter se, ut videtur, oppositas conjungamus exemplo Christi, de quo David: *Propter veritatem et mansuetudinem et justitiam deducet te mirabiliter dextera tua.* (Psal. 44, 5.)

O sapientissime magister, deduc me per vias verae *caritatis*, ne in errorem praecipiter ab excessu zeli indiscreti: per vias *justitiae* ac *misericordiae*, ut hanc erga proximum, illam erga me ipsum exerceam. Tu certe in misericordiam semper propendebas, o Jesu. Misericordia erat character tibi proprius: in eam totum cor tuum summa inclinatione trahebatur: ea peccatores maximos trahit ad se et in spem veniae erigit.

PUNCTUM II.

Jesus autem nil reponens hypocritis, sed *inclinans se deorsum, digito scribebat in terra.* Urgentibus illis, ut sententiam pronuntiaret, *erexit se et dixit eis: Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. Et iterum se inclinans scribebat in terra. Audientes autem unus post unum exibant.*

Perpende hic, anima mea, prudentiam et integritatem Christi, qui nec aliquid legi contrarium faciens, nec adulteram condemnans, ejus accusatores vehementer confudit, paucis dumtaxat verbis infinitam peccatorum, quae ipsimet patraverant, copiam illis in memoriam revocando. Forsitan ea ipsa Christus descripsit in terra, ut eos doceret, zelum, si verus et justus fuisset, prius contra ipsosmet armandum fuisse, antequam in adulterae condemnationem se effunderet.

Bellissima sane nobisque utilissima instructio! Nos tam rigida severitate defectus proximi judicamus: levissima censura nostros, duri erga alios, indulgentes erga nos. Discamus compati peccatoribus, quia et nos sumus peccatores. Credamus certo, aequum haud esse, ut primi accusationis lapidem mittamus in proximum, cum nollemus simili nobiscum severitate agi.

O sapientia increata, o divine Redemptor: largire mihi lumen intellectus et amorem justitiae, ut mea cognoscam et condemnem peccata: jugi eorum recordatione meam imple memoriam, cor ardenti zelo et studio ea extinguendi: imo tu, Servator mi, illa extingue, qui numerum et gravitatem eorum nosti quam optime. Meorum mihi conscius criminum nolim cum infelici protoparente nostro Adam *me abscondere a facie tua*, sed potius ausim, licet peccatorum maximus, in conspectu tuo comparere sicut aeger coram medico et cum pudore meas tibi culpas aperire: sed et filiali cum spe certam eorum veniam obtinendi.

PUNCTUM III.

Erigens autem se Jesus, dixit mulieri: *Ubi sunt, qui te accusabant? Nemo te condemnavit? quae dixit: Nemo, Domine. Dixit autem Jesus: Nec ego te condemnabo: vade et jam amplius noli peccare.*

Deum immortalem! quantum obstupuerit adultera, se ab accusatoribus subito liberam videns et ex ore divini judicis sui gratiosam audiens sententiam: *Nec ego te condemnabo.* Quibus verbis non solum a temporali, sed etiam ab aeterna morte miseram vindicavit Christus, data ei plenaria peccatorum simul et poenarum indulgentia, quoniam omnia Christi Domini opera fuerunt

plena et perfecta; dicens igitur: *Nec ego te condemnabo*, significare voluit, quod nec ad temporales, nec ad aeternas illam poenas velit condemnare, sed quod plenissime remittat peccata, ob quae utrasque fuisset promerita.

Anima mea! quoties haec eadem verba solatio plena: *Nec ego te condemno* audisti in sacro tribunali? Hanc absolutionis sententiam in te toties Servator amantissimus tulit, quoties ejusdem minister et vicarius (sacerdos) tibi dixit: *Ego te absolvo.* O quanta haec consolatio et gaudium! quanta pax et tranquillitas animi, tantam de remissis sibi peccatis habere securitatem!

O dulcissime Jesu, unicum peccatoris refugium et protector! quid tibi retribuam pro tanto erga me amore? Quis me audebit accusare aut condemnare, si tu me justificas et absolvis? Cur tuae non fidam misericordiae, cum vel semel me respiciendo possis omnes meas dissolvere miserias et omnes salutis meae inimicos debellare? Tam copiosam, Domine, misericordiam non cessabo semper laudare, tuoque servitio totam devovere vitam.

Feria III.

Conversio Zachaei.

(Luc. 19, 2. sq.)

PUNCTUM I.

Zachaeus, princeps publicanorum, quaerebat videre Jesum, quis esset: et non poterat prae turba, quia statura pusillus erat: et praecurrens ascendit in arborem sycomorum, ut videret eum, quia inde erat transiturus. Suspiciens Jesus vidit illum et dixit ad eum: Zachaee, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.

Quodnam fuit initium et causa conversionis Zachaei, principis publicanorum, qui erant infames Hebraea in gente peccatores? Desiderium a Deo immissum videndi et cognoscendi Jesum: at desiderium efficax, quod sedulo implevit conscendendo arborem, nil curans hominum dicteria et irrisiones, neque considerans, an more puerorum arborem conscendere deceat principem publicanorum.

Vide, quid divinam mereatur gratiam attrahere. Christus non contentus se videndum praebere Zachaeo, gratia nulli alteri concessa se ipsum invitat ad ejus mensam.

Initium salutis nostrae est vivae fidei lumine Christum videre, quia, sicut fieri nequit, ut quis eum cognoscat, quin simul amet, ita mox omnibus liberamur vitiis, quando eum cognoscimus per fidem et possidemus per amorem. Sine ullo prorsus intervallo et amamus Jesum et a Jesu amamur: nec minus eodem momento, quo cor amantis subintrat, suis istud gratiae thesauris replet.

Ita est, mi Deus: ita esse credo et profiteor: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum et quem misisti, Jesum Christum.* (Joan. 17, 3.) Illumina me, o Pater luminum, et infinitas Filii tui perfectiones mihi revela. Tu vero, o bone Jesu, da mihi desiderium efficax te videndi, ut ex ore tuo audire merear: *Hodie in domo tua oportet me manere. Oportet* enimvero, non quidem ex tua parte: nam qua Deus non indiges domo vel casa pauperis servuli; sed ex parte mea, ob meas necessitates *oportet*, ut domum cordis mei ingrediaris: secus nunquam sanctificabitur: *oportet te* ibi *manere*, ut tuam in me conserves gratiam, secus si feceris, mea mox iterum negligentia amittendam.

PUNCTUM II.

Zachaeus *festinans* ex arbore *descendit et excepit* Jesum *gaudens* dixitque: *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.*

En, anima mea: haec sunt certissima verae conversionis signa: 1. Aversio animi a rebus, quae nostram excaecarunt passionem. 2. Restitutio bonorum injuste acquisitorum. 3. Promptitudo exequendi proposita. Zachaeus per Christi gratiam conversus voluntatem illa exequendi neutiquam separavit ab actuali executione: non ait: *Dabo, reddam*, sed *do* et *reddo quadruplum*, ut plus debito faciam et et ultra obligationem.

Suntne autem ejusdem rationis et efficaciae, quas vulgo ita appellamus *conversiones* ordinariae Christia-

norum? Vah! quot elumbes dantur voluntates dicam, an *velleitates?* quot inefficacia animi proposita? quot morae et procrastinationes in exequendo? Si autem exequamur, quot, obsecro, erga Deum intercedunt restrictiones quot exceptiones? quot artes, sophismata et captiones? Quid ergo mirum, si nostra cum Deo amicitia sit instabilis? Et quoties ego ipse, pro pudor! totum me Deo dedere proposui! at in ipso traditionis instanti quoties meam perfide revocavi donationem! Si unam tradidi partem, retinui alteram: neque hodie totum me illi trado consecroque.

Erubesco sane, mi Deus, quod sacrificium adeo mancum tibi faciam et hoc ipsum animo tam reluctante. Ah, Domine, meae imbecillitati succurre: tua me gratia vacillantem corrobora: animos adde et robur, ut absoluta et immutabili voluntate me tibi consecrem, dicens cum propheta: *Dixi, nunc coepi* (Psal. 76, 11.): fixum est certumque: *nunc, nunc coepi* novam instituere vitam, internam prorsus et coelestem, ab omni commodo terrestri immunem et tuis unice obsequiis et beneplacitis devotam.

PUNCTUM III.

Ait Jesus ad Zachaeum: *Quia hodie salus domui huic facta est, eo quod et ipse filius sit Abrahae; venit enim Filius hominis quaerere et salvum facere, quod perierat.*

Obstupesce, anima mea, efficaciam bonae ac generosae voluntatis, quae totam sanctificat animam, nec raro integram quandam familiam, quae bono unius exemplo perducitur ad pietatem, ad Christum, ad salutem. Ideo forsan Christus: Hodie salus *huic domui* facta est. Caeterum quantumcunque Zachaeus ad prodigiosam hanc conversionem contulerit, principalis tamen ejus causa fuit efficax Jesu Christi gratia, qui *potens est de lapidibus suscitare filios Abrahae* (Matth. 3, 9.), et venit salvum facere, quod perierat.

An autem attenta meditatione, anima mea, bene considerasti unquam dicta et facta Zachaei? Aequalis dispositio animi tibi pariter auctorem gratiae attraheret per unicam s. Communionem et cum eodem gratias singulares. Tunc ardenter, ut ille, desideras Christum

recipere? Ad id promerendum quaerisne eum *videre* oculis fidei? Ascendisne *in arborem* crucis, felicem illam *sycomorum*, h. e. ficum stultam, ubi aeterna Dei sapientia pro stulto fuit habita? Num satagis domum tuam, ut digne tantum excipias hospitem, purgare a sordibus, exornare virtutibus ante alias ipsi gratis? An, ut ipse sua te carne ac pane angelorum pascere dignatur, tu vicissim ei paras convivium, quod in ferventibus consistit desideriis opera misericordiae ac justitiae exercendi magno amoris, gratitudinis et admirationis sensu? Excitasne spem firmam, per Jesu adventum omnes animae tuae facultates sanctificatum iri? Ah! supple, o Jesu, per infinitam bonitatem tuam supple, quidquid dispositionum ex parte mea deest: et licet tuis indignissimus sum gratiis, num eas mihi poteris denegare, cum te ipsum donas? Dic mihi, quod Zachaeo dixisti: *Hodie salus domui huic facta est:* ita cor meum, quod ingredi dignaris, sanctifica, ut nihil amplius divinae majestati tuae in eo displiceat.

Feria IV.

Jesus curat energumenam Chananaeae filiam.

(Matth. 15, 21. sq.)

PUNCTUM I.

Secessit Jesus in partes Tyri et Sidonis. Et ecce mulier Chananaea a finibus illis egressa clamavit, dicens ei: Miserere mei, Domine, fili David: filia mea male a daemonio vexatur.

Considera eximias virtutes ex hac mulieris oratione elucentes, ut imiteris in tua. Sunt autem 1. magna *fides* et *spes* firma in Christo collocata, de quo praeclare sensit, eum confitendo *Dominum* universi et daemonum, Messiam, omnipotentem Deum; ideo non dixit: *Ora pro me;* sed *miserere mei: adjuva me.* 2. Ingens *caritas*, qua filiae calamitatem aestimabat ut suam propriam; hinc non ajebat: *Miserere filiae meae:* sed *miserere mei: adjuva me.* 3. *Humilitas* insignis; *procidit enim ad pedes Christi*, eumque adoravit sub-

mississime. 4. *Constans fervor* in orando, clamando, urgendo, ut orantis petitionem Christus exaudiret.

Tuas modo examina preces, anima mea, et cum precibus Chananaeae compara: et erubesces, quod exiguam adeo ad orandum afferas fidem: quod orans et tuae indignitatis et calamitatum proximi obliviscaris: quod tantum in oratione praeteferas teporem. Qua igitur fronte praetendis a Deo exaudiri, adeo indignas tanta majestate ideas et cogitationes fovens? cui tantum obiter tua praestas obsequia? ad quem confugis cum exiguo amore, humilitate, fiducia et fervore? Vah probrum Christiani! vah probrum religiosi, quod artem orandi debeant a Chananaea, muliere gentili, addiscere!

O Domine, Fili David, miserere mei. Vides utique miserandum animae meae statum, tot daemoniis, quot passionibus crudeliter vexatae, pravis irretitae habitibus, importunis exagitatae tentationibus. Cito *adjuva me*, totque animas mecum obsessas a daemonio ambitionis, irae, gulae, libidinis: et quoniam orationi tuas alligare soles gratias, gratias et virtutes mihi largire, quae illam reddant efficacem, meque, ut Apostolos tuos docuisti, doce orare.

PUNCTUM II.

Jesus *non respondit ei verbum. At illa adoravit eum, dicens: Domine, adjuva me. Qui respondens ait: Non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus. At illa dixit: Etiam, Domine: nam et catelli edunt de micis, quae cadunt de mensa dominorum suorum.*

Hic bene considera, quid Christus fecerit, quid Chananaea. Silet Christus et videtur nullam mulieris curam habere, illam spernere, imo ut canem aestimare, ceu indignam petito favore repellere. Haec autem Christi erga mulierem inclementia erat solum ad speciem ac veluti simulata, ut ejus excitaret fervorem, tentaret constantiam, augeret humilitatem et hac ratione feminam ad impetrandum, quod petierat, magis disponeret. Neque illa duriusculis Christi verbis offenditur, sed consentit: indignam se, quia gentilem, fatetur: quin sollerter suum in commodum

trahit verba Christi, ut eum ad annuendum precibus suis pertrahat.

Clavem divini cordis invenit, qui novit orare cum humili et constanti fiducia. *Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.* (Psal. 50, 19.) Quin certum est signum, quod Deus magnas illi decernat gratias, quem in oratione durius exercet ariditatibus simulataque repulsa. Ita agere consuevit, teste S. Bernardo, cum robustioribus et perfectis, quorum virtus altas radices jam egit: cum imbecillibus autem et imperfectis agit, ut solemus agere cum infantibus, queis initio omnia, quae petunt, conceduntur. E contrario perspectae virtutis viros longioribus probat molestiis, ut sublimiores, exemplo Chananaeae, virtutes exerceant.

O supreme coeli terraeque rector! En ego, magis Chananaea indignus exaudiri, supplex te adoro, meam cum illa vilitatem agnoscens. At ex hoc ipso capite cum eadem potens in te sperandi motivum deduco. Vilis sum et contemni mereor ut canis. At tu infinite es liberalior omnibus dominis, qui non solos de mensa sua filios sustentant, sed et canes micis de mensa cadentibus: has mihi, Domine, haud denegabis: gratias inquam, ad conservandam spiritualem vitam necessarias. Pasce filios tuos deliciosis mensae tuae cibis: ego cum catellis micas solum et reliquias peto; vel has obtinuisse mihi sat erit.

PUNCTUM III.

Tunc respondens Jesus ait illi: O mulier! magna est fides tua: fiat tibi, sicut vis: et (addit S. Marcus) *propter hunc sermonem vade; exiit daemonium a filia tua.*

Ante omnia perpende, quantum Christo placeat anima humilis, patiens et Deo confidens: quantum eam laudet: quam liberaliter ei concedat, quidquid petierit. Servator Apostolos aliquoties vocabat homines *modicae fidei:* hodie stupens exclamat: *O mulier, magna est fides tua:* enimvero *magna*, quam infinita Dei sapientia *magnam* pronuntiat! O immensam *humilitatis* potentiam, quia potuit sibi cor Christi devincire, reluctantem

expugnare, daemonium expellere! O felix mulier, quae ipsam veritatem aeternam meruit habere encomiasten!

O mi Jesu, qui tam praeclarum fidei et humilitatis exemplum ad omnem fidelium posteritatem transmitti voluisti: largire mihi gratiam, copiosum, quem a me expectas, fructum inde hauriendi. Da mihi oranti eandem vivam fidem, eandem in omni repulsa spem, fervoris constantiam, exiguam mei ipsius existimationem, sinceram humilitatem, cui tantopere faves et nihil unquam gratiarum negasti.

Feria V.

Christus sanat centurionis servum.

(Matth. 8, 5. sq. et Luc. 7, 1. sq.)

PUNCTUM I.

Cum Jesus *introisset Capharnaum*, centurio quidam, se ipsum non arbitratus dignum, ut veniret ad Jesum, *misit ad eum seniores Judaeorum*, *rogans eum et dicens: Domine*, *puer meus jacet in domo paralyticus et male torquetur.*

Tres hic virtutes considera tam nobiles in se, quam peregrinas in mundo: 1. Eximiam heri *caritatem* erga servum, cujus sanationem ardenter efflagitat. 2. Profundam militis, imo centurionis *humilitatem*, qui exuta militum ferocia et fastu indignum se Christi alloquio judicat. 3 *Pietatem* egregiam et vivam *fidem* hominis ethnici, qui nihilominus et synagogam exstruxit Judaeis et Christum adeo potentem simul ac misericordem esse credidit, ut vel absens possit et velit servum persanare, etsi unico dumtaxat verbulo ejus morbum indicarit: *male torquetur.*

Eheu! quantum nos confundunt adeo praestantes et rarae militis ethnici virtutes! Principum et magnatum gloria nimium excaecati, mancipiorum instar nos ad pedes eorum abjicimus humiles: et sine misericordia halbwegs ferociter pedibus calcamus illos, qui nobis sunt inferiores. Fastum et superbiam domui et statui religioso nobiscum inferimus, qui sanctam profitetur humilitatem. Religionem

profitemur christianam: vix aliquid habemus fidei: aut si habeamus, mortua est, quam nec informat caritas, nec bona foecundant opera. Erubescamus, anima mea, aspicientes herum adeo misericordem et compatientem morbo ultimi servorum suorum, militem adeo humilem ac reverentem, gentilem in militari dignitate constitutum, adeo tamen officiosum erga veri Dei cultores et tanta in ejus Filium fiducia praeditum.

Dulcissime Jesu, qui es ipsa dulcedo ac misericordia! instilla mihi pariter adeo tenerum erga miseros compassionis affectum: largire mihi illam humilitatem, quam nos docturus e coelo descendisti: imprime mihi vivam vilitatis meae cognitionem, ut ex *filiali* reverentia non audeam tibi appropinquare: neque tamen permitte, ut ex *servili* timore recedam a te et impediar, ne vera cum fiducia confugiam ad te.

PUNCTUM II.

Ait Jesus: Ego veniam et curabo eum: et mox *ibat cum illis. Et cum jam non longe esset a domo, misit ad eum centurio amicos, dicens: Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo: et sanabitur puer meus.*

Vide quousque progrediatur bonitas Servatoris et quantopere amet humiles et pusillos, oderit superbos et potentes hujus mundi. *Regulus quidam rogabat Jesum, ut descenderet* in palatium suum *et sanaret filium ejus* (Joan. 4, 47.): et non dignabatur descendere: nec obiter incredulitatem ejus increpuit. Centurio se indignum visitatione Christi reputat: et sine mora hic descendit in domum ejus, ut servum sanaret, non filium. Quanta vis et potentia tibi inest, o sancta humilitas, quae Christum trahis in domum, cujus te incolam esse novit! utinam et cor meum incoleres, ut Deum in illud pertrahas et ibi aeternum retineas!

Porro humilis centurio tantum abest, ut tanto Christi favore inaniter fuerit elatus: ut potius novam in humilitate ac fide crescendi occasionem inde sumpserit, exclamans: *Domine, non sum dignus etc.* Quae verba s. matri Ecclesiae visa sunt aptissima, ut ab ejus filiis,

s. Synaxin accedentibus, usurpentur. Magno igitur humilitatis, fiduciae et amoris affectu ea dicere satagam, uti meretur et jure suo postulat tantus, qui venit ad me, hospes.

O Deus coeli et terrae: quis ego sum, ut te suscipere merear? Nil in me, quod tantam promereatur gratiam, reperio, corque nimis angustum est, ut Dominum recipiat, quem coeli et terrae non capiunt. Satis est, Domine, satis est vel verbulum ad reddendam animae meae salutem et ad faciendum, quidquid mutationum facere tibi placuerit. Cum dixisti: *Fiat lux*, ocius *facta est lux:* dic modo animae meae: *Salus tua ego sum!* et tota e vestigio sana et salva erit.

PUNCTUM III.

Audiens autem Jesus miratus est et sequentibus se dixit: Amen dico vobis: non inveni tantam fidem in Israel. Dico autem vobis, quod multi ab Oriente et Occidente venient et recumbent cum Abraham et Isaac et Jacob in regno coelorum: filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores.

Heroica fuerit, oportet, ista centurionis fides, utpote ipsius Dei admirationem ac elogium promerita: *Non inveni tantam fidem in Israel* inter Judaeos, tot coeli luminibus illustratos: quae verba merito rubore illos perfuderint, quos vera religio debebat fideliores Deo reddere.

Nonne autem eadem verba nobis quoque ruborem excutere debent, cogitantibus, quam parum respondeamus sublimi nostrae ad fidem christianam vocationi? Illud vero, quod subdit Christus de gratia et regno, a Christianis ad gentiles transferendo, nonne in summum terrorem nos debet conjicere? praesertim cum istud Dei-Hominis oraculum in Judaeis videamus jam impletum? Erant hi *filii regni* coelorum: at illorum sedem occuparunt et impleverunt gentiles, quos illi summo habuere despectui. Quis nos reddidit securos, gratiam Christi et Evangelii, quae a nobis adeo vilipenditur, in nobis tam parum fructus producit, non esse transferendam ad gentiles et barbaros, ea melius usuros?

Ah! adeo funestum a me malum averte, o Deus, nec unquam permitte, ut a misericordia tua ad veram religionem vocatus et per singularem bonitatem tuam in *filium regni* tui electus, mea ego culpa fide excidam et praeter fidem haereditate aeterna, imo per justitiam tuam ad tenebras exteriores condemnatus, aeterna luce tua priver, in abyssum tenebrarum praecipiter, ubi sempiternus horror, fletus, stridor dentium, dolor, desperatio inhabitant.

Pertrahe insuper ex Oriente et Occidente innumeras gentes, o Deus, ad cognitionem ac amorem Filii tui: tuos autem fideles in gremio Ecclesiae conserva, ut simul omnes immensum et perenne coelorum regnum impleant.

Feria VI.

Sanat mulierem a fluxu sanguinis.

(Luc. 8, 43. sq.)

PUNCTUM I.

Mulier quaedam erat in fluxu sanguinis ab annis duodecim, quae in medicos erogaverat omnem substantiam suam: nec ab ullo potuit curari; accessit retro et tetigit fimbriam vestimenti Jesu: *et confestim stetit fluxus sanguinis ejus.*

Considera prorsus insignem feminae hujus fidem ac fiduciam. Per experientiam probe gnara infirmitatem suam esse insanabilem ac desperatam, vix bene auditis Christi miraculis in tantam erecta est fiduciam, ut se infinita ejus virtute, etiam non petentem posse sanari et certo sanandam crederet, si, ut testatur S. Matthaeus, *tetigerit tantum vestimentum ejus.* Fidei adjunxit humilitatem, reverentiam, devotionem; non enim audebat, nisi secreto et *retro* Christum accedere, indignam se existimans, quae ante oculos ejus compareret. Hoc modo comparata *tetigit fimbriam vestimenti ejus: et confestim stetit fluxus sanguinis ejus.*

O stupendam humilis fiduciae virtutem! ea enim instructis ad obtinendas ingentes gratias sufficit sola

mente et spiritu Christum tangere. O infinitam Jesu mei potentiam! quanta patras miracula in illorum gratiam, qui te tangunt et digne recipiunt in sacra Communione! O inexhaustum misericordiae fontem! O mi Jesu! quam ineffabilis est bonitas tua, quae tam facilem nobis ad te accessum permittit, imo clementissime concedit, non solum vestimenti tui fimbriam tangere, sed et reapse quoad substantiam sanctissimum corpus tuum intra nos recipere! Cur ergo, qui te adeo propinque contingimus, non experimur mirabiles praesentiae tuae effectus? Ah! obstrue, exsicca, Domine, nostrorum fontes malorum: cohibe ulteriorem vitiorum nostrorum effrenationem: primo animas nostras fervori restitue et perfectam illis sanitatem impertire.

PUNCTUM II.

Facto sanationis miraculo, *ait Jesus: Quis est, qui me tetigit? Dixit Petrus: Praeceptor, turbae te comprimunt et affligunt et dicis: Quis me tetigit? Et dixit Jesus: Tetigit me aliquis; nam ego novi virtutem de me exiisse. Videns autem mulier, quia non latuit, tremens venit et procidit ante pedes ejus et ob quam causam tetigerit eum, indicavit coram omni populo et quemadmodum confestim sanata sit.*

Cur autem Christus, qui alias miracula sua vel ipsemet occultabat vel ab aliis taceri jubebat, hodiernum, quod mulier aliquamdiu occuluit, vult manifestari? 1. Ut nobis discrimen ostenderet inter eos, qui eum *tangunt* ejusque sacramenta suscipiunt cum devotione, reverentia et humilitate: et inter illos, qui ad ea accedunt his destituti virtutibus; primos enim, eo quod vehementer Christo placeant, suis prosequitur favoribus et gratiis a se proeuntibus: contra non potest pati posteriores, quia ei, ut ita dicam, sunt oneri ac molestiae. 2. Ut mulieri eximeret ignorantiam ac errorem, existimanti, quod posset Christum tangere, quin ipse sentiret aut adverteret. 3. Ut nos intelligeremus, quod hodieque discernat modo prorsus diverso tangentes se in susceptione sanctissimi corporis sui. 4. Ut curaret mulieris verecundiam, morbum suum ei manifestare erubescentis.

5. Ut hac ratione nos roboraret a vincendum in s. tribunali pudorem nostrum ac verecundiam.

Nosmetipsos jam ingrediamur, anima mea, et serio dispiciamus, an exiguus, quem ex s. Communione referimus, fructus non proveniat vel ex verecundia nostras in s. tribunali detegendi infirmitates et peccata, vel ex negligentia nosmetipsos probandi et ante s. Communionem discernendi, vel denique ex defectu fidei, pietatis, reverentiae, quocum coelestem mensam accedimus, temere Jesum Christum tangentes et panem angelorum manducantes nullo inter eum et vulgarem hominum panem facto discrimine. Igitur attende, anima mea, qua ratione coelestem hunc panem sumas, ne, quod ad tuam sanitatem et dandam gratiae vitam erat destinatum, cedat tibi et convertatur in morbum, virus, mortem.

O mi Jesu, qui per essentiam ipsa sanctitas es atque puritas, emunda me ab omnibus maculis, quae tua me indignum redderent mensa. Ut eas cognoscam, luce tua intellectum meum illustra: ut eas aperiam habenti a te potestatem eluendi, cor meum et linguam corrobora, nec admitte unquam ut sacramenta recipiam sine respectu et reverentia, tam tremendis debita mysteriis. Quando autem tangendi te sors et honor mihi obtingit, fac, Domine, ut virtutem, quae procedit ex te, et ego sentiam: virtutem, quae nunquam se in cor hominis effundit, quin producat puritatem, fervorem, gaudium spirituale et caetera Spiritus Sancti dona.

PUNCTUM III.

Jesus trementem et ante pedes suos prostratam mulierem consolaturus *dixit ei: Filia, fides tua salvam te fecit: vade in pace.*

Admirare, anima mea, immensam Christi bonitatem, tremulam aspiciens et anxiam, an non suo eum tactu forsitan offenderit, omnem pellit timorem, tranquillam jubet esse et plene consolaturus appellat *filiam:* ipsam adeo sanationem non suae adscribit omnipotentiae, sed ejus fidei: *fides tua salvam te fecit:* de recepta sanitate jubet esse securam: *vade in pace.*

Scilicet bonarum mentium est anxie culpam timere, ubi culpa et peccatum non est: item subvereri, ne forsan

necessarias ad tangendum reverenter in s. Communione Christum dispositiones non attulerint. Permittit Deus hos scrupulos et anxietates, ut illarum probet patientiam, confirmet humilitatem, augeat sollicitudinem ac studium digne ad s. Communionem sese praeparandi. Neque tamen eas in angores immodicos aut perplexitates Deus prolabi sinit, sed illuminat, consolatur, et ad temperandos angores sensibili, quam inspirat, fiducia, aliisque amoris sui evidentibus signis eas demulcet.

Ita nimirum tuos tractas filios, amantissime Pater. Postulas, ut supremam revereantur majestatem tuam, cum omni veneratione te accedant, quadam sacri horroris specie te tangant: at simul, dum terrefacis, eorum terrorem in filialem commutas timorem, spem erigis, amorem auges, de tua illos gratia et amicitia certos reddis, ut pace, quam in cordibus eorum producis, possint secure frui.

Sabbato.

Repete meditationem praecedentem.

Dominica VII. post Pentecosten.

De falsis prophetis.

(Matth. 7, 15 sq.)

PUNCTUM I.

In Apostolis praemunit nos Christus contra periculum in via salutis incidendi in falsos prophetas, qui laqueos et insidias nobis struunt. *Attendite*, ait, *a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium: intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Per haec verba singulariter tangit *hypocritas*, qui falsae pietatis larvam induunt, ut perdant animas. Nomine autem hypocritarum Christus non solum *haereticos* comprehendit, qui, ut fidelium animas suis irretiant erroribus, hos specioso veritatis nomine tegunt venduntque: sed omnes complectitur, qui proximum a bono avocant, et ad malum pertrahunt, vel objiciendo eorum oculis vitiorum illecebras, vel exaggerando virtutum austeritates.

Quantus autem horum est numerus, anima mea, et, quod inde sequitur, quanta seductionis pericula! Dantur 1. *hypocritae*, *similes sepulchris dealbatis*, *quae a foris parent hominibus speciosa*, *intus vero plena sunt ossibus mortuorum et omni spurcitia.* (Matth. 23, 27.) 2. *Novatores*, alienarum a fide catholica doctrinarum fabri sub specioso *reformationis*, quam plenis ubique buccis jactant, titulo, ut perniciosae virus doctrinae securius spargant. 3. *Pseudoamici* tectique *libertini*, qui in omnem vivendi licentiam effusi eo solum fine in corda hominum sese insinuant, ut liberius suam in illos diffundant effrenem licentiam.

Praeterea quid non timendum tibi, anima mea, a carne propria, quae ideo tibi conjuncta esse videtur, ut te ad mollia et delicata quaevis impellat, suamque tibi corruptionem affricet? Quid non timendum tibi a daemone, nil aliud quaerente, quam ut suis te promissis seducat? A mundo, omnem magnificentiam ac splendorem tuis exponente oculis, ut eos falso nitore perstringat, excaecet et a coelestium bonorum intuitu avertat?

Heu me! quot falsi prophetae, a quibus, ut attendam, me hortaris, Domine! Effectus hic est tuae bonitatis et zeli, quo salutem meam sollicite quaeris. At enim (liceat, quod sentio, candide fateri) salubre hoc monitum non sufficit, ut me adversus tot occultos hostes defendam, qui clam in meum conjurant exitium: tua mihi opus est luce, ut occultos detegam: gratia tua, ut eorum laqueos declinem: utrumque supplex a te peto, utpote mihi aeque necessarium, ut ex tuis instructionibus ac doctrinis fructum capiam.

PUNCTUM II.

Signa autem, e quibus falsi prophetae dignoscuntur, haec addidit Christus: *Ex fructibus* seu operibus *eorum cognoscetis eos:* uti arbor mala cognoscitur ex malis fructibus, bona ex bonis. Quaenam igitur sunt opera illorum? Quamvis diversa sint juxta eorum conditionem et statum, in eo tamen conveniunt, quod sint *opera tenebrarum:* etenim, ut Christus ait, *qui male agit*, *odit*

lucem: forsan ideo, quia male agentibus, maxime hypocritis, male succederent fraudes et molimina, nisi sub specie virtutis suam tegerent malitiam. Magis autem particulares fructus sunt isti: 1. *Hypocritarum* superbia, ambitio, inanis gloria, amor dignitatum et excellentiae: id, quod Christus assidue pharisaeis improperavit. 2. *Haereticorum* fructus sunt fraudes, mendacia, horror instructionis, pervicacia voluntatis, morum corruptela, quae necessario sequitur corruptelam intellectus. 3. Fructus *carnis, mundi et daemonis* sunt obscoena carnis opera, foedae libidines, inordinatus divitiarum amor, interitus pietatis, perturbatio conscientiae et universalis omnium gratiarum jactura.

Ut causas detesteris, alia re opus non est, quam earum funestos considerare effectus. Larvam detrahe hypocritae, novatori, libertino: et mendax sim, nisi ocius spernas, exhorrescas, fugias monstrum hominis. Nonne ipsa eorum opera satis manifestant quemvis eorum? Cur ergo tot homines hos errorum magistros caeco impetu sequuntur? cur tot animarum milia se decipi permittunt? cur tanta facilitate corruptis naturae propensionibus victi cedimus? unde tot mundi et daemonis mancipia, postquam eorum tyrannidem affatim sunt experta?

Hoc inde venit, o Deus, quod *infinitus sit stultorum numerus* (Eccl. 1, 15.), omnesque simus compacti e luto, corruptioni facile obnoxio. Equidem hoc ipsum nos ad humilitatem, te vero (ita loqui ausim, at debita cum submissione et fiducia, quam permittis habere in te) ad commiserationem excitare debet: ita sane nos sperare jubet vates, dicens, *misereri Dominum timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.* (Psal. 102, 13. 14.) Nostram igitur dissipa ignorantiam, corrige malitiam, pravas animi propensiones reforma, tuere nos in periculis, tua nos gratia defende in conflictibus: et certo evertemus omnes fallacias, fraudes et consilia, quae falsi prophetae adhibebunt, ut nos seducant et a tuo avellant servitio.

PUNCTUM III.

Denique subjicit Christus: *Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum coelorum,*

sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in coelis est, ipse intrabit in regnum coelorum.

Utique fides fundamentum salutis est, ac *sine fide impossibile est placere Deo* (Hebr. 11, 6.) : at fides sola non sufficit ad salutem: animata sit oportet *caritate* et *bonis operibus* foecundata, tamquam *fructibus* bonae radicis: secus arbor est mortua et, qui christiani nomine gloriatur sine illa fide, cadaver, umbra et phantasma est Christiani.

An non ego quoque sum ejusmodi Christianus? et, si talis sum, ad quid serviet mihi fides, nisi ut jure meritissimo damner aeternum? Et vero quid intolerabilius esse possit, quid turpius, quam nomen gerere Christiani et vitam vivere pagani? Christi doctrinam profiteri et opere non exequi? adorare Deum humilem, Deum mortificatum, Deum obedientem: neque tamen amare humilitatem, mortificationem, obedientiam? Et *daemones credunt* aeque, ac ego: *et contremiscunt* (Jac. 2, 19.); et ego non contremiscam, ut illi?

Enimvero aequissimum est, Domine, ut vitam meae fidei conformem ducam et sanctis operibus, quae mihi praescribis, sanctitatis mercedem promerear. Certe *haec est voluntas Dei, sanctificatio nostra* (I. Thess. 4, 3.), nec aliter, quam istam implendo voluntatem, coelum sperare fas est. Excita igitur, Domine, et meam anima fidem ardenti caritate: bonis eam operibus foecunda, ut post vitam christiane transactam haereditate, quam coelestis Pater suis promisit filiis, aeternum frui merear.

Feria II.

Christus aegrum sanat ad piscinam probaticam.

(Joan. 5, 2. sq.)

PUNCTUM I.

Erat Jerosolymis probatica piscina, in qua ovium et agnorum carnes, sacrificiis destinatae, lavabantur, *quinque porticus habens: in his jacebat multitudo magna languentium, caecorum, claudorum, aridorum, expectantium aquae motum. Angelus autem Domini descen-*

debat secundum tempus in piscinam et movebatur aqua: et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquae, sanus fiebat, a quacunque detinebatur infirmitate.

Considera, hanc piscinam, animalium tinctam sanguine, typum fuisse sacramentorum *baptismi* ac *poenitentiae*, quae Christus erat instituturus velut gazophylacium efficaciae et meritorum pretiosissimi sanguinis sui. Illa autem piscina tres admirandas habuit proprietates seu virtutes: scilicet 1. omnes omnino corporis infirmitates sanandi: 2. et sanandi virtute quadam supernaturali, quam ei angelus imprimebat. 3. At sanandi unum dumtaxat: scilicet qui primus post aquae motum descendisset in eam.

Eaedem tres virtutes, sed modo eminentiore magisque universali nostris baptismi ac poenitentiae sacramentis insunt: videlicet 1. omnes prorsus animae morbos curandi, imo et amissam gratiae vitam restituendi, cum tamen piscina mortuos haud resuscitarit. 2. Qui tantam his sacramentis virtutem et efficaciam impertitur, est ipse *magni consilii Angelus*, Jesus Christus: et quidem 3. non solum primis, h. e. ferventioribus, qui cum perfecta contritione ea suscipiunt, sed et tepidis ac imperfectis, cum sola attritione accedentibus, sanitatem animae ac veniam peccatorum elargitur.

Sis aeternum benedictus, Domine, quod ad utilitatem nostram haec sacramenta institueris tamquam inexhaustos gratiarum fontes. Noveras scilicet, quantis infirmitatibus et morbis animae simus obnoxii: noluisti autem nos remediis destitui, sed suavissima nobis et efficacissima parasti: ex nostra solum voluntate pendet iis bene uti: in manibus tuorum sunt ministrorum, qui vere sunt *angeli* terrae, paratissimi semper ad applicanda nobis pretiosissimi sanguinis tui merita. *In gaudio* igitur et fiducia *hauriam aquas* salutis *de fontibus Salvatoris*. (Isa. 12, 3.)

PUNCTUM II.

Erat autem quidam homo ibi triginta et octo annos habens in infirmitate sua. Hunc cum vidisset Jesus

jacentem et cognovisset, quia jam multum tempus haberet, dicit ei: Vis sanus fieri? Respondit ei languidus: Domine. hominem non habeo, ut, cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam; dum venio enim ego, alius ante me descendit.

En 1. *bonitatem* Servatoris immensam, qui piscinae porticus intrans non expectat, donec quis aegrorum suam flagitet opem, sed initio statim in hominem omnium miserrimum et derelictissimum, veluti sua digniorem misericordia, conjicit oculos. Ex eodem capite ego quoque tuum, spero, cor ad misericordiam permovebo, o Jesu.

En 2. non minorem bonitate *sapientiam* Christi, quia aegrum interrogat. *Vis sanus fieri?* De recipiendae sanitatis desiderio dubitare neutiquam poterat Servator: quaerit tamen, ut nos doceat, ad salutem nostram necessario debere duas voluntates concurrere, Dei scilicet et nostram; *qui enim creavit nos sine nobis, non salvabit nos sine nobis* (S. Aug.), h. e. sine nostra cooperatione: nisi, inquam, exemplo hujus aegri, qui, ut ad piscinam adreptaret, omnes corporis vires intendebat, divina praeventi gratia totis viribus contendamus necessarias ad poenitentiae sacramentum dispositiones afferre.

Tu, anima mea, tu cum illo dicere non potes: *hominem non habeo*, qui mittat me in piscinam poenitentiae. Equidem dicere potes et debes fateri, quod ex te non possis animae sanitatem procurare, nec alia creatura suis eam dare viribus: attamen nonne hominem habes excellentissimum, *Deum-Hominem*, Jesum Christum, amore tui et bonitate plenum? Ille praevenit te et rogat: *Vis sanus fieri?* solum opus est *velle* sanari: et certo certius sanaberis.

Adjuva nos igitur, Servator amabilissime; in te enim solo spem nostram reponimus, o vere Deus et homo, qui in mundum venisti, ut nostras sanes et salves animas: *volumus* sanari. Quod si voluntas haec satis firma non sit, fac adeo efficacem et constantem, ut nullum unquam obstaculum tuae bonitati ponamus.

PUNCTUM III.

Dicit ei Jesus: Surge, tolle grabatum tuum et ambula. Et statim sanus factus est homo ille et sustulit grabatum suum et ambulabat. Erat autem sabbatum... Postea invenit eum Jesus in templo et dixit illi: Ecce sanus factus es: jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.

Perpende ex una parte omnipotentiam Jesu Christi, unico solum verbulo sanantis triginta et octo annorum infirmitatem: ex altera promptam generosamque languentis obedientiam, qui ad primum surgendi et lectulum tollendi mandatum ocius surgit, grabatum humeris impositum gaudiis exultans in suas aedes deportat, nil in via responsi dans inclamantibus sabbatum esse, quo non liceret onus et sarcinam portare; nil, inquam, dedit responsi, nisi quod hac in re illi obtemperaverit, a quo sanitatem per miraculum recepisset: multo sanctiorem esse, quam qui peccatum imperaret. Porro satis liquet, quod Jesus aeque animam atque corpus languentis sanarit, quia in templo gratias Deo agentem inveniens admonuit: *Jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.*

Ex his docemur, quoties in oratione postulamus sanitatem corporis, semper petendam simul esse salutem animae; hac enim languente quid proderit vigor corporis nisi ad majorem damnationem? Discamus insuper ab hoc sanato, qui ad agendas Deo grates in templum cucurrit, gratitudinem Deo debitam ob ingens in sacramento poenitentiae collatum nobis beneficium: sciamus autem, certius grati animi signum haud esse, quam in peccata a Deo remissa non amplius relabi.

O supreme animarum archiater! O veritas aeterna, cujus documenta non minus salutaria sunt, quam *perfecta sunt opera*, dum spiritualem a te sanitatem accipio, tuas simul recipio doctrinas: et en! paratum cor meum ad eas opere exequendas, paratissimum: alte eas mihi imprime, velut unicam vivendi normam: praeserva me a relapsu, cui mea me fragilitas et inconstantia exponit: in sanctis animi propositis me corrobora, ut imposterum perpetuam cordis puritatem conservans, exemplo aegri,

a te hodie sanati, libere profitear te solum esse, cui sanationem meam in acceptis referre debeam.

Feria III.

Christus leprosum sanat.

(Matth. 8, 2—4.)

Vide Part. I. Dom. III. post Epiph. pag. 51.

Feria IV.

Jesus mundat decem leprosos.

(Luc. 17, 12. sq.)

PUNCTUM I.

Occurrerunt Christo *decem viri leprosi, qui steterunt a longe et levaverunt vocem dicentes: Jesu praeceptor, miserere nostri.*

Praepotens et efficax apud Deum est oratio *humilis, fervens, universalis* et communi plurium consensu peracta: talis fuit decem leprosorum: fuit 1. *humilis*, quia *steterunt a longe*, indignos se rati, qui ad Christum accederent. 2. *Fervens*, quia *levaverunt vocem suam.* 3. *Universalis;* conjunctis enim vocibus et animis clamabant: *Jesu praeceptor, miserere nostri*, ut vim amicam Christo inferrent eumque ad se juvandos compellerent. Talis oratio nunquam non exauditur a Deo, ipsa mendicorum, qui ad Deum confugiunt, multitudine misericordiam et bonitatem Dei magis provocante.

Ita cum Deo, si orationes tuas velis exaudiri, agas necesse est, anima mea, non ut cum hominibus agunt mendici; isti enim vellent soli mendicare, quia multitudo mendicantium offendit animos divitum et mendicos periculo exponit nihil impetrandi. Aliter Deus agit, laetus copia et turma mendicantium, quia cor habet immensum, opes non minus infinitas, ac infinita est ejus bonitas.

O liberalissime ac benignissime Servator! omnes unum dumtaxat in Ecclesia tua sumus corpus; uno eodemque animati spiritu tuae speramus thesauros gratiae. Quot in mundo peccatores, totidem sumus leprosi junctis vocibus clamitantes: *Jesu praeceptor, miserere nostri.*

Miserere, et ne despicias preces eorum. Quas ego tibi persolvo, sunt, fateor, oppido sunt imperfectae: eas tamen non rejicies, Domine, quippe ex corde humiliato profectas unitasque ferventioribus, quas me magis fideles servi in toto terrarum orbe tibi offerunt.

PUNCTUM II.

Quos ut vidit Jesus, *dixit: Ite, ostendite vos sacerdotibus. Et factum est: dum irent, mundati sunt.*

Considera mysticam facti hujus causam: quae fere eadem est cum causa miraculi, in praecedenti meditatione expensi; Christus enim praecipiendo, ut sacerdotibus leprosi se ostenderent eosque sanando, antequam mandatum executi fuissent, non solum in illis mirabiles caecae obedientiae effectus manifestare, sed et docere nos voluit, quid peccati lepra infecti agere debeamus. Utique solus et ex se ipso Christus mundare nos posset: vult tamen, ut prius nos ostendamus novae legis sacerdotibus, h. e. confessariis. Vult, ut internam animae lepram, utut foedissimam, eis manifestemus: *Ostendite*, ait, *vos sacerdotibus.*

Penetrasne autem genuinum hujus praecepti sensum, anima mea? Idem est, ac si Christus tibi distinctius diceret: Integre et candide tuam illi conscientiam aperi, quem ejus medicum constitui. Ut te interius cognoscat exteriusque, ingenue omnia ei confitere peccata: non erubesce omnia animae vulnera illi detegere, ut ea obliget pretiosissimo sanguinis mei opobalsamo, cujus dispensator a me est constitutus.

Bene habet, Domine. Non erubescam iniquitates meas confessario pandere, quas coram te non erubui committere; quodsi verecundia torqueat fatentem, id tormenti ac probri lubens tolerabo in poenam temeritatis meae, qua te offendi. Nolim hominibus videri sanctus et innocens, dum tu me judicas reum et peccatorem. Poteras jure meritissimo exigere, ut lepram peccati mei publice oculis totius universi proponerem: verum quia contentus es, si eam secreto uni e tuis ministris aperiam, majus est desiderium meae sanationis, quam horror tantillae confusionis.

PUNCTUM III.

Unus ex illis, ut vidit, quia mundatus est, regressus est cum magna voce magnificans Deum et cecidit in faciem ante pedes ejus gratias agens: et hic erat Samaritanus. Respondens autem Jesus dixit: Nonne decem mundati sunt? et novem ubi sunt? non et inventus, qui rediret et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.

Disce, anima mea, 1. *ex Christi querela* de ingratis novem leprosis quantum ipsi displiceat ingrati animi vitium: 2. ex officiosa vero erga Samaritanum *humanitate Christi*, quantum ei gratus placeat animus; nam ad pedes suos abjecto peramanter dixit: *Surge, vade: fides tuà te salvum fecit.* 3. Ex *fervore Samaritani*, quod maximi peccatores post acceptam conversionis aliamve gratiam majores non raro gràtes Deo referant, quam justi; qui tamen Deo singulariter essent obstricti. 4. Disce tandem, quanti referat statim Deo grates reddere, postquam nos in sacramento poenitentiae a lepra peccati mundavit. Imitare tunc, anima mea, fidelem hunc Samaritanum et, dum e s. tribunali redis a Christo mundata, ne patiaris te a Samaritano vinci devotione, humilitate, gratitudine, sed plena fidei gratique animi spiritu procide ad pedes amantissimi Servatoris et immortales, quas par est, archiatro tuo grates age: et audies ex ore ejus: *Surge, vade: fides tua te salvam fecit.*

O Deus animae meae! quanta gratiarum profusione remuneraris, qui tuis sese beneficiis gratos exhibent! Grates reddenti pro una gratia, novam superaddis et priore majorem, atque adeo novam gratitudinis ac amoris causam. Utinam pro tantis, quibus me assidue cumulas, beneficiis aeternas possem grates reddere! futurus sat felix, si haec foret tota et sola totius vitae meae occupatio et hac ratione cuncta vitae momenta glorificandae bonitati tuae consecrarentur. Hanc in me conserva voluntatem, o Deus, ut cum psalmista *misericordias tuas in aeternum cantem.* (Psal. 88, 2.)

Feria V.

Christus caecum prope Jericho sanat.

(Luc. 18, 35. sq.)

Vide meditationem Dom. Quinquagesimae. Part. I. pag. 157.

Feria VI.

Caecum a nativitate sanat.

(Joan. 9, 1. sq.)

PUNCTUM I.

Praeteriens Jesus vidit hominem caecum a nativitate: et interrogaverunt eum discipuli ejus: Rabbi, quis peccavit, hic, aut parentes ejus, ut caecus nasceretur? Respondit Jesus: Neque hic peccavit, neque parentes ejus: sed ut manifestentur opera Dei in illo. Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est.

Observa. Licet afflictiones et morbi corporis persaepe sint poenae peccati, sunt tamen aliquoties divinae effectus et opera providentiae, ut justi heroicos exerceant virtutum actus, quos Christus *opera Dei* appellat. Et sane ea solus potest Deus efficere in homine debili, tantam ei communicando fortitudinem, ut in ipsis tribulationibus exultet, ac laetus cum reverentia manum ferientis exosculetur. Atque haec opera magnopere Deum glorificant, ejusque omnipotentiam mirabiliter manifestant.

Anima mea! Deus affligendo te singularem tibi gratiam exhibet ac honorem: vult in te *opus Dei* operari, suaeque thesauros bonitatis tibi large impertiri. Ad Deum glorificandum et ad provocandam ejus liberalitatem tempus nullum invenies opportunius, quam ubi de paterna ejus manu afflictiones humili submissione acceptabis. Manus patris est et amici: humiliat te, ut exaltet: ferit, ut sanet: cruces immittit, ut eas convertat in instrumenta gloriae suae ac in media salutis et perfectionis tuae.

Unico bonitatis obtutu, Domine, animam meam dignare, ut pretium afflictionum clare agnoscat easque suo magnifaciat merito. Malum non sunt, nisi oculo naturali eas aspicientibus: intuenti oculis fidei sunt fontes

omnis boni. Humilitas, patientia, amor aliaeque virtutes, quae tempore afflictionum exerceri consueverunt, *opera sunt ejus, qui misit te*, o Jesu. Eadem, quaeso, operare in me, *donec dies est*, seu vitae meae tempus, adeo breve, ut vix integrum conficiat *diem*. Ne patiaris, ut vel unicum tantilli temporis momentum perdam; sed uberem largire gratiam tam bene utendi hoc die, ut beatae aeternitatis thesauros eo possim emere.

PUNCTUM II.

Haec cum dixisset Jesus, *expuit in terram et fecit lutum ex sputo et linivit lutum super oculos ejus et dixit ei: Vade: lava in natatoria Siloë. Abiit ergo et lavit et venit videns.*

Causae, hoc modo plane mirabili et paradoxo caecum natum curandi, Christo erant hae: 1. Ut suam amplius demonstraret omnipotentiam, dum luto oculos linire aptius videtur medium ad inferendam quam ad tollendam caecitatem. 2. Ut nos doceret, ad recipiendam aut conservandam lucis divinae gratiam necessarium esse assidue ante oculos habere lutum seu *limum terrae*, unde originem traximus. Hac consideratione praesertim accedentibus sacramentum poenitentiae, in piscina Siloë praesignatum, opus est; nihil enim hauriendis ex sacro hoc balneo copiosis fructibus aptiores nos reddit, quam originarium considerare lutum, h. e. nostrorum cognoscere sordes peccatorum, vehementer ob illa humiliari et, ut ab illis emundemur, eas humili cum fiducia fateri.

Quis unquam somniasset, o Deus, quod lutum posset fieri remedium sanandi caecitatem? aut quod hodiedum nostri consideratio *nihili* seu luti, de quo formati sumus, et pulveris, in quem revertemur, curare valeat nostrae caecitatem animae? O stupendos humilitatis effectus! O intolerabilem cordis humani superbiam, quod virtuti tam pretiosae, foecundae tot miraculorum parenti, adeo se opponit!

Illine, amantissime Servator, illine oculos meos salutari hoc luto, ut spiritualem curet caecitatem meam. At memento, illud confici debere *ex meo pulvere et saliva tua* inter se commixtis; nisi enim aeterna sapientia,

cujus figura et typus tua est saliva, oculos meos tetigerit, nunquam perfecte illuminabuntur. Solus equidem pulvis eos aperire posset, ut meam vilitatem et nihilum videam, at non posset aperire ad videndam majestatem tuam et divinas perfectiones, quarum cognitio ad salutem meam est necessaria. Igitur *noverim te*, o Jesu, *et noverim me* (S. Aug.), ut cognoscendo utrumque non minus amem te, quam horream me, tuaque permaneam in gratia et amore.

PUNCTUM III.

Considera illustrem hujus caeci confessionem, persecutiones propter Christum toleratas, singulares, quas a Christo accepit, gratias, suae praemia magnanimitatis et denique virtutes, quas exercuit. Ex summa erga benefactorem suum gratitudine audacter divulgat miraculum, a Christo patratum. Pharisaei ista confessione et zelo exacerbati, minis ac injuriis onerant miserum, imo e synagoga ejiciunt: caecus bruta ridet fulmina, in ejus gloriam, a quo visum recepit, facundus perpetuo vociferatur, se caecum esse natum, Jesum vero esse, qui visum sibi reddidisset et modo quidem prorsus admirabili. Generose confundit superbiam pharisaeorum, fraudes ac minas spernit: invitat eos, ut et *ipsi vellent discipuli Jesu fieri.*

O incomprehensibilem gratiae divinae efficaciam, quae ex indocto et paupere caeco repente facit praeconem ac defensorem gloriae Jesu Christi! Vili praeterea et a natura timido homini constantiam humana majorem elargitur et per instrumentum adeo infirmum prodigia operatur prorsus insignia. Sed enim hic non stitit immensa erga caecum benignitas Christi; sciens enim, quod a pharisaeis e synagoga exturbatus fuerit, veluti excommunicatus et fidelium consortio indignus, miserum quaerit, ut consoletur: inventum familiari demulcet colloquio: luce coelesti perfundit et fide adeo viva complet, ut Christo dicenti, se Filium Dei esse, ocius responderit: *Credo, Domine: et procidens adoravit eum.*

Quis, o Jesu, quis non honori ducat sibi propter sanctum nomen tuum persecutiones pati, quandoquidem

tales tuis prodige cumulas gratiis et consolationibus? Utinam possem omnibus, qui te nondum agnoscunt, tuas evulgare perfectiones, excellentias, miracula, divinitatem! Sane felicem me, si ob causam adeo justam male tractarer! hoc enim fons et causa foret meae beatitudinis.

Sabbato.

Repete meditationem praecedentem.

Dominica VIII. post Pentecosten.

De villico dissipante bona domini.

(Luc. 16, 1. sq.)

PUNCTUM I.

Homo quidam erat dives, qui habebat villicum: et hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius: et vocavit illum et ait illi: Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuae: jam enim non poteris villicare.

Ego sum iste villicus: Deus ille dives, qui tradidit mihi bona *naturae* et *gratiae*, praecipue autem sui administrationem haeredii; puta animae ad ejus imaginem conditae et sanguine Filii ejus redemptae, cujus ille absolutus est Dominus, ego curator, qui omnes Domino fructus debet.

Fuine autem administrator fidelis? qui usus sum talentis, opibus, internis ac externis sensibus, queis me instruxit Deus? quam animae meae curam habui? an hujus commoda praetuli commodis mei corporis? num omnes utriusque facultates honori et gloriae conditoris consecravi? quae Dominus emolumenta meis retulit e servitiis, ex quo illi servire coepi? quoties meam mihi jam exprobravit desidiam, per internas inspirationes dicens: *Quid hoc audio de te?* quantus languor et segnities tua in vita spirituali? quanta in negotio salutis et perfectionis tuae socordia? quanta in adimplendis status et conditionis tuae obligationibus oscitantia? Redde rationem de tot

creaturis, usui tuo a me productis, de tot bonis, viribus, talentis tibi concessis. Rationem redde de omnibus et singulis cogitationibus, verbis, operibus, propositis, intentionibus tuis.

En, anima mea: ita hodie tibi Deus ad tuae emendationem vitae. Idem aliquando audies ad tuam damnationem, si modo spernas monentem et per supinam quandam negligentiam ipsamet cor tuum indures.

Ah Domine! funestam hanc indurationem, quippe certum damnationis meae prodromum, nunquam permitte: fac potius, ut tuae obediam voci. Da saltem, ut, si hactenus tibi fidelis non fuerim mandanti, aures et mentem non praecludam meas mihi perfidias paterne exprobranti. Terribilis illius, quod aliquando contra me institues, judicii ideam profunde cordi meo imprime, ut componendis animae meae rationibus singula vitae momenta impendam: id unum, benignissime Deus, te quam demississime rogo.

PUNCTUM II.

Villicus autem videns, nullum jam resarciendis tot damnis locum et remedium superesse, *ait intra se: Quid faciam, quia dominus meus aufert a me villicationem? fodere non valeo: mendicare erubesco.* Opus est, ut amicos mihi faciam, qui me a villicatione amotum recipiant in domos suas. *Convocatis itaque singulis debitoribus domini sui*, suam cautionem cuique reddidit, jussis minorem summam scribere: quo audito, *laudavit dominus villicum iniquitatis*, h. e. ejus sollertiam.

Per hanc autem parabolam Christus neutiquam intendit approbare infidelitatem hujus administratoris, sed confundere vult exiguam salutis nostrae curam, ac insinuare, quod filii hujus saeculi prudentiores sint et sagaciores in procurandis temporalibus negotiis, quam filii lucis in procurando animae ac beatitudinis aeternae negotio.

Perpende, anima mea, ex una parte industriam ac fervorem tot hominum, nihil non agentium, ut juxta mundi genium ac judicium beate vivant: ex altera parte exiguum veram beatitudinem acquirendi studium, curam,

zelum. Quot hominum totos sese tradunt vitiis, desides in studio virtutum! in omnem vigilant occasionem òbtinendi malos fines suos: torpent ac dormiunt in exequendis inspirationibus divinis. Numquid et tu inter illos es, anima mea?

Confunde, o Deus, salutari pudore palmarem meam stupiditatem. Vices doleo gentilium, hujus vitae bonis inhiantium, quia non agnoscunt futura. Et ego bona credo futura, credo aeterna: et tamen praesentia solum quaero ac peritura: numquid ab omnibus deplorari magis dignus? Infideles agunt prudenter, quia agunt suae conformiter cognitioni et lumini naturae, aut verius commodis: et ego, cujus vita neutiquam respondet regulis fidei, nonne stolidus sum, quod credam ut Christianus, vivam ut gentilis? Agnosco, Domine, et coram te fateor meam insignem stultitiam, demississime supplex, ut memineris, te meum esse Dominum, tuumque in eo agi honorem, ut, qui tuis se obsequiis singulariter devotos profitentur, tamquam filii lucis singulariter fiant participes sapientiae tuae, atque adeo tantundem fervoris praeseferant ad tibi serviendum, quantum mundi asseclae in hujus servitio. Per illum ego te zelum, quo meam salutem ardenter desideras, etiam atque etiam supplex obtestor, illam ut mihi gratiam largiri digneris.

PUNCTUM III.

Haec eadam parabola *in sensu morali* potest explicari, insinuans varias, licet inter se diversas, virtutum praxes et vias coelum obtinendi: latent in his villici verbis: *Fodere non valeo: mendicare erubesco. Scio, quid faciam, ut, cum amotus fuero a villicatione, recipiant me in domos suas.*

Fodientes sunt, qui salutem suam quaerunt per viam *mortificationis*, per vitae asperitates ac poenitentias. Alii coelum obtinent *mendicando*, h. e. orando et contemplando. Denique sunt, qui nec mortificationi, nec quieti ad orandum necessariae volunt aut possunt incumbere. His tertia ad coelum via restat, *eleemosyna*: ita sane Christus ipse in fine parabolae intulit, dicens: *Et ego vobis dico: Facite vobis amicos de mammona*

iniquitatis, ut, cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula.

Ecce viam salutis, quam Servator divitibus monstrat, quibus nec satis animi suppetit ad subeundas corporis austeritates, nec satis otii ad contemplationem coelestium. Nimirum docet eos opes suas expendere in pauperes, ut, quod saepe contingit, instrumenta damnationis (divitias) convertant in media salutis, sibique ex pauperibus faciant amicos et potentes apud Deum intercessores, ut salutem consequantur; *eleemosynae* enim *conclusae in corde pauperis pro nobis exorabunt ab omni malo* (Eccl. 29, 15.) et gratias ad obtinendam salutem necessarias impetrant.

Noli ergo permittere, o Pater misericordiarum, ut divites pereant per dona tua et media, quae ipsis, ut salutem consequantur, elargitus es. Illumina et accende corda eorum, ut ab amore terrenorum avulsi fiant *divites in bonis operibus* (I. Tim. 6, 18.) et faciendo amicos e pauperibus, horum intercessione in aeterna tabernacula recipiantur.

Feria II.

Christus sanat mutum et surdum.

(Marc. 7, 32. sq.)

Vide Part. I. meditationem Dominicae III. Quadragesimae, pag. 209.

Feria III.

Lunaticum sanat surdum et mutum.

(Marc. 9, 16. sq.)

PUNCTUM I.

Unus de turba dixit ad Jesum: *Magister, attuli filium meum ad te, habentem spiritum mutum, qui, ubicunque eum apprehenderit, allidit illum et spumat et stridet dentibus et arescit.*

Ita daemon, crudelissimus ille hominum inimicus, nos torqueret, si Deus permitteret: ex quo facile con-

jicies, quanta in eos rabie saeviat, quos in Orco tenet captivos. Ah! quis non obstupescat, homines dari, qui inimico tam crudeli sese ultro in manus tradunt?

Infelicem animam, quae ejus audit suggestiones, ingreditur laqueos, subit tyrannidem! Quibus non replet malis ac miseriis, quos suae aliquando potestati subjecit? surdos reddit et mutos: facit lunaticos, variis agitatos passionibus, in bono inconstantes: terrae allidit, solum terrenas inspirando cogitationes: impellit, ut obscoena despument turpiloquia et dentibus strideant prae ira: stupidos facit et insensibiles ad divina. Nunc illos tentat consumere igne libidinis: nunc amaris tristitiae undis suffocare. Verbo: a peccato miseros in peccatum praecipites agit, donec in imam Orci abyssum cum ipso ruant.

Anima mea! quibus oculis statum adeo deplorandum intueris? numquid eum exhorrescis? numquid times simul in eum devolvi? cur ergo tam languide resistis daemonum tentationibus? ut quid non vigilas continuo, ut eas vel praevertas vel repellas? Poterisne hostem non odisse, ideo solum blandientem, ut in hac et altera vita suorum sit carnifex asseclarum?

Omnipotens Deus, noli, quaeso, me potestati adeo crudelis tyranni permittere: aut si per secretam providentiae tuae dispositionem illi corpus meum, ut olim Jobi, tradere statuisti, ah! saltem non admitte, ut tangat animam, quae, utpote pretioso Filii tui sanguine redempta, bonum est, quod tibi carius esse debet, quam ut ejus possessionem Filio adimas et daemoni relinquas.

PUNCTUM II.

Ubi adductus fuit ad Jesum lunatico-energumenus, *statim* malus *spiritus conturbavit illum et elisus in terram volutabatur spumans.* Ista videns pater, mox ad Jesum ait supplex: *Si quid potes, adjuva nos misertus nostri:* cui Jesus: *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.* Pater, ex audita Christi doctrina proficiens, mox *ait cum lacrimis: Credo, Domine: adjuva incredulitatem meam:* quo dicit: credo, quantum possum: sed, quod mihi deest in fide, tu supple tua bonitate.

Ex isto Jesu Christi et patris afflicti colloquio discimus, quanta in ipsum cor Dei potestate polleat viva fides, quam continuo oportet magis intendere, aut, si remissam et modicam advertimus, ejus intensionem a Deo petere. Atque haec est excellens orandi methodus: nempe totum, quod possumus, facere et, quod nobis deest, a Deo petere dicendo: Credo, Domine, quidquid mihi dixisti: spero, quidquid promisisti: amo infinitam bonitatem tuam: at enim post omnem hunc conatum adverto, omnes istos actus valde imperfectos adhuc esse. Tu igitur meam supple impotentiam: auge fidem, robora spem, perfice amorem. Jesus conspecta, quam in patre ad sanandum filium desiderabat, sufficienti dispositione, ait *spiritui immundo: Surde et mute spiritus, ego praecipio tibi, exi ab eo et amplius ne introëas in eum. Et exclamans et multum discerpens eum, exiit ab eo et factus est sicut mortuus, ita, ut multi dicerent: Quia mortuus est. Jesus autem tenens manum ejus, elevavit eum et surrexit* et reddidit illum patri suo.

Nota hic 1. supremam Christi in daemones potestatem. 2. Iram ac furorem daemonis, si pellatur ex homine, qui diutius fuit ejus mancipium. 3. Violentiam, quae sustinenda est homini, cum ab ejus tyrannide liberandus est. 4. Bonitatem Christi erga talem, ut eum sua in calamitate consoletur, in spem erigat et in viam amoris sui reducat.

O Deus cordis mei! quidquid hic aspicio, me rapit ad tibi serio serviendum, ad te ferventius amandum. Si tyrannicum, sub quo peccator et mancipium olim gemui, daemonis jugum comparo cum tuo suavi jugo, quod jam porto ex illo tempore, quo tu mea rupisti vincula, suaves hujus mutationis fructus hilaris degusto. Supplex per omnes miserationes tuas rogo te: conjunge me tibi tam arcta et perenni unione, ut me nihil separare possit a te, nihil in antiquam daemonis servitutem retrahere.

PUNCTUM III.

Cum introisset Jesus *in domum, discipuli ejus secreto interrogabant eum: Quare nos non potuimus*

ejicere eum? Et dixit illis: Hoc genus (daemniorum) *in nullo potest exire, nisi in oratione et jejunio.*

Expende summam Christi prudentiam, nolentis publice exiguam discipulorum fidem arguere: ut nos instrueret, quanta circumspectione fraternam correctionem adhibere oporteat. Clam et *secreto* monet Apostolos, modicam ipsorum fidem in causa fuisse, quod daemon noluerit exire et cedere. Addit, in ejusmodi occasionibus oratione ac jejunio opus esse.

Spiritualibus ergo his armis, quae Christus indicat, sedulo utamur ad debellandum daemonem, omne bonum animae nobis invidentem. Ut turpem in fugam conjiciatur, sola opus est fide, at suffulta jejunio ac oratione, pulcherrimis fidei fructibus, quia fides perfecta cor humanum per orationem elevat, per jejunium humiliat, sicque aptum reddit ad impetranda quaecunque a Deo petierit.

Omnipotens Deus, a quo illustre fidei donum venit et grano sinapis comparatur, semina in me hoc granum; fidem, ajo, vivam, efficacem, perfectam, amore tuo animatam, bonorum operum foecundam, ita ut orationem et poenitentiam amplectar, corpus per jejunium ab omnibus terrenis abstrahatur, anima vero per orationem ad te elevata ascendat *sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae*, seu poenitentiae *et thuris*, seu orationis (Cant. 3, 6.), eoque *fumo*, ut angelus ad Tobiam dixit, *extricet omne genus daemoniorum.* (Tob. 6, 8.)

Feria IV.

Filia archi-synagogi resuscitata.

(Matth. 9, 18. sq.)

PUNCTUM I.

Synagogae *princeps unus accessit et adorabat* Jesum *dicens: Filia mea modo defuncta est: sed veni: impone manum tuam super eam: et vivet.*

Considera, filiam fuisse unicam, *duodennem*, opulentam, nobilem, parentibus longe carissimam, delicate educatam: ad cujus vitam protrahendam nullis illi sump-

tibus parcebant: at frustra; in primo enim aetatis flore mors illam abstulit. Nimirum nulla aetas, fortuna, conditio longam nobis vitam polliceri novit, nedum mortem excludere. Porro praecox et inopina juvenum mors subinde poena est *parentum* ob nimiam eorum indulgentiam et amorem inordinatum: subinde *liberorum*, quibus peccata ante tempus merito accersunt mortem; nonnunquam gratia et beneficium est Dei, qui eos mature *rapit* e mundo, *ne malitia mutet intellectum eorum, aut ne fictio decipiat animas illorum.* (Sap. 4, 11.)

Ex his omnibus horrorem peccati, *per quod mors intravit in mundum* (Rom. 5, 12.), debemus concipere semperque ad moriendum esse parati, quandocunque Deo placuerit de vita nostra disponere.

Utique tu meae es Dominus vitae, o Deus. En! jam nunc tuis eam manibus perfecta animi resignatione trado, id unum per horrendam mortem, quam Filius tuus pro nobis pertulit, supplex te rogans, ut eo tempore et loco mortem meam immittas, ubi omnium maxime ad meam salutem tuamque gloriam cedet.

PUNCTUM II.

Et surgens Jesus sequebatur eum: attamen, ut S. Marcus notat, *non admisit quemquam* (ex discipulis suis) *se sequi, nisi Petrum et Jacobum et Joannem.* (Marc. 5, 37.)

Considera 1. immensam Christi *bonitatem*, qua statim archi-synagogum sequebatur, modica ejusdem fide non absterritus, dum Christum rogavit, ut *ipse veniret* in domum suam, ac si id miraculi non potuisset *absens* patrare et resuscitare mortuam. 2. *Providentiam* seligentis ad hoc mysterium illos tres Apostolos, qui debebant esse testes agoniae in monte Oliveti. 3. *Humilitatem* volentis occulte hocprodigium facere, imo *vehementer praecipientis*, non vulgari illud, *ut nemo id sciret.* (Marc. 5, 43.)

Harum trium considerationum *prima* nos docet, quod Christus nunquam cesset etiam imperfectis seu *incipientibus*, cum divino se mancipant servitio, suas elargiri gratias, ut eos ad perfectum sui amorem blande perducat. *Altera* ostendit, quod *ferventiores*, sibi magis devotos, et singulari studio imitationem sui professos

soleat quoque suorum magis participes reddere dolorum et passionis. *Tertia* utrosque instruit, fugiendam esse vanam operum nostrorum ostentationem seu omnis scopulum virtutis.

Domine, licet imperfectissimus sim, non tamen de tua despero benevolentia et favoribus, quos alium in finem haud desidero, quam ut majores tibi ardenter serviendi animos, majorem tui amorem concipiam. Summa, quam mihi possis largiri, gratia erit, si tuo me amore ita inflammes, ut tibi serviens aliud quaeram nihil, quam te in passionis tuae ignominia, contemptu, aerumnis imitari.

PUNCTUM III.

Et tenens Jesus *manum puellae, ait illi: Puella, tibi dico, surge. Et confestim surrexit puella, et ambulabat: et obstupuerunt stupore magno, et dixit dari illi manducare.* (Marc. 5, 41. sq.)

Obstupesce primo, anima mea, omnipotentiam Christi, ad cujus vocem dumtaxat et imperium: *surge* mortui resurgunt. Deinde hujus resurrectionis nota circumstantias seu figuram spiritualis animarum resurrectionis, quas Christus ex imbecillitate peccando mortuas iterum ad vitam suscitat juvando, ut a peccatis resurgant. Singulariter autem considerandum, quod duo ab illis exigat: 1. ut incipiant *ambulare* et progredi in via virtutum; 2. ut *manducent panem, qui cor hominis confirmat* (Psal. 103, 15.): panem angelorum, ut frequenti ejusdem usu corroborentur.

In te ipsam modo descende, anima mea, et confusione simul ac debita erga Redemptorem tuum gratitudine plena vide, quoties post lapsum manum tibi porrexerit, ut te erigeret. An autem vias justitiae, in quas te per gratiam suam reduxit, cum fervore ambulasti? an panem fortium, ne in antiquas imbecillitates relabereris, cum requisitis dispositionibus manducasti?

Ah! confusione plenus fateor, Domine: tota, quam exegi, vita aliud non fuit, quam male fausta et mortis et resurrectionis vicissitudo. Hodie per tuam resurrexi misericordiam: die altera rursus vitam gratiae amisi, funesta hac inconstantia certe omnem aliam praeter

tuam defatigaturus patientiam. Amantissime Servator, tuam adhuc mihi dexteram porrige et meam non repelle. Aspice me infantis instar semper alienae, ne cadam, manus indigum: protege me singulari providentia, ad sublevandas necessitates meas constanter vigili: et licet hactenus ex pane vitae *supersubstantiali,* qui debilium est fortitudo et robur timidorum, exiguos hauserim fructus, noli tamen eum mihi subtrahere; sed gratiam concede, ut eum digne manducem, et *in fortitudine cibi illius* serio, generose, constanter *ambulem usque ad montem Dei Horeb* (III. Reg. 19, 8.), ubi visurum me spero gloriam majestatis tuae in saeculorum saecula.

Feria V.

Defunctum viduae resuscitat filium.

(Luc. 7, 12. sq.)

PUNCTUM I.

Cum Jesus discipulis suis et copiosa stipatus turba *appropinquaret portae civitatis* Naim, *ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suae: et haec vidua erat, et turba civitatis multa cum illa,* funus deducens.

Quatuor bajuli, qui funus efferebant, sunt quatuor passiones nostrae, quae animam solent in mortem peccati trahere: nimirum *luxuria*, *ambitio*, *ira*, et *avaritia:* ab his magna hominum pars in praeceps et juventus in omne genus scelerum rapitur, nisi ruentes cohibeat Deus.

Malum hoc universale nostram provocat et meretur commiserationem; quid enim ea dignius, quam mundum videre ejusmodi mortuis refertum? Nonne ad hoc spectaculum merito cum Jeremia (9, 1.) exclamamus: *Quis dabit capiti meo aquam et oculis meis fontem lacrimarum? et plorabo die ac nocte interfectos filiae populi mei.*

O Pater misericordiarum, respice innumeros ubique peccatores, vita gratiae spoliatos: miserere eorum, praeveni lapsum, cohibe gressum deviantium, antequam mors illos praecipitet in abyssum. Ideo de coelo descendisti, o Jesu, ad salvandos scilicet peccatores, queis mundus scatet. Tuas ergo miserationes illis impertire: miseris occurre: vim passionum retunde, et noli permittere, ut

Orcus impleatur animabus, quas pretioso sanguine redemisti.

PUNCTUM II.

Cum vidisset Dominus plorantem viduam, *misericordia motus super eam, dixit illi: Noli flere. Et accessit, et tetigit loculum: hi autem, qui portabant, steterunt.*

En teneritudinem cordis Jesu, fletu matris ad misericordiam adeo commoti, ut alia re aut verbo opus haud fuerit, quo ad suscitandum filium permoveretur. Ubi vides pariter, anima mea, quod lacrimae, quas pro nostris, imo pro alienis quoque peccatis fundimus, sint potens quoddam orationis genus, ita ut, quamvis muta, norit Dei misericordiam provocare.

An autem hac orandi methodo unquam sumus usi pro salute tot fratrum quotidie pereuntium? deplorandus tot animarum status ullamne excussit nobis lacrimulam? Vah! vix propria deflemus mala et miserias. Quid fieret de nobis, nisi Ecclesia, mater nostra, tantis commota malis nos deploraret, suoque fletu gratiam conversionis, qua nosmetipsos reddimus indignos, nobis promereretur?

Dulcissime ac misericordissime Servator, moveant te ad commiserationem lacrimae communis omnium *matris nostrae*, Ecclesiae, assidue suorum culpas filiorum deplorantis, et quidem ea animi teneritudine deplorantis, ac si unusquisque nostrum foret *unicus* ejusdem filius: consolare eam, dicendo *noli flere;* tuos enim tibi vivos restituam filios.

Ego enimvero, Domine, ego sum, cujus spirituales illa deflet morbos, me propediem ad extrema deducturos nisi matris exaudias preces et lacrimas, tuis me inspirationibus ad meliora exstimules, impetum sistas passionum ad mortem me trahentium. O potentissimae Jesu manus, quae crucis lignum tetigistis, ut vitam nobis redderetis, tam valide cor meum tangite, ut solius Jesu vita et spiritu vivat, nec alios posthac sentiat motus, quam divini amoris.

PUNCTUM III.

Et ait Jesus: *Adolescens, tibi dico, surge. Et resedit, qui erat mortuus, et coepit loqui: et dedit illum matri suae.*

Idem plerumque contingit peccatori suis passionibus abrepto aut diu vitiis immerso. Is, quando Deus eum tangere dignatur et convertere, sensim, non aliter priorem felicitatis statum, unde peccando exciderat, recipit. Initio vitam gratiae recuperat per veram et perfectam contritionem, carnis propensionibus renuntiat, damnat ejus illecebras: retinet tamen adhuc pravos quosdam habitus, mores, et reliquias malarum consuetudinum, quas non nisi successu temporis exuit per usum sacramentorum, et gratiis adjutus, quas inde haurit. Tandem *loqui* incipit sua confitendo peccata, Deumque laudando, qui veniam peccatorum donat, coeptum misericordiae suae opus consummat, conversum in puritate et sanctitate vitae confirmat.

Quam volupe est matri Ecclesiae adeo prodigiosas filiorum suorum conversiones intueri! Quanta animi exultatione eos e manu Christi maternum recipit in gremium! Quantas Deo persolvit laudes, eo quod benigne ejus exaudierit preces, aspexerit lacrimas! Ah! utinam ex illa solum dependeret, ut totus eum orbis glorificet, et cum iis, qui hodiernae resurrectioni praesentes aderant, exclamet: *Quia propheta magnus surrexit in nobis, et quia Deus visitavit plebem suam!*

Me, quod attinet, istud elogium quotidie, dum vivam, ingeminabo, et misericordias tuas, Domine, in aeternum cantabo. Nihil eram: tu meo e nihilo me eduxisti; me ipsum perdidi: tu denuo me invenisti; mortuus eram: tu vitam restituisti: utque cumulum adderes beneficiis, tam perfecte tuam mecum amicitiam restaurasti, ut mihi liceat priore cum fiducia ad te accedere, antiqua cum familiaritate colloqui, et intima tecum frui conjunctione.

Feria VI.

Lazarus ad vitam resuscitatur.

(Joan. 11, 1. sq.)

PUNCTUM I.

Erat quidam languens Lazarus, Marthae et Mariae Magdalenae frater germanus, quos omnes Jesus valde diligebat. *Miserunt ergo sorores ejus ad Jesum, dicentes:*

Domine, ecce, quem amas, infirmatur. Audiens autem Jesus dixit eis: Infirmitas haec non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam. Et mansit in eodem loco duobus diebus. Interea mortuus est Lazarus.

Discamus 1. ex verbis harum sororum brevem quemdam, perfectum, et valde efficacem, spiritualibus proprium viris modum orandi per *insinuationem*, ut vocat Hugo a S. Victore. Consistit autem in proponendis brevissime et tantum *insinuandis* animae et corporis necessitatibus nostris, et in allegando dumtaxat infiniti, quo Deus nos prosequitur, *amoris* titulo, (*non enim amat et deserit*, bene Augustinus ait) relicta Deo et ejus providentiae tota remediorum cura. Nascitur haec orandi methodus ex magna et firmissima fide, nec non ex ingenti aestimatione bonitatis divinae, unde quis post simplicem suae necessitatis expositionem certum sperat auxilium. Sane tam manifesta divini erga nos amoris argumenta nobis suppetunt, ut quilibet sua in necessitate queat similiter dicere: *Domine, ecce quem amas infirmatur*, violentis pulsatur tentationibus, saevis torquetur anxietatibus, enormi languet tepore, superbia, sensualitate etc. Ita oportet cum fiducia Deo spirituales exponere infirmitates, exemplo Deiparae in nuptiis defectum vini modo simplici exponentis: *Vinum non habent.*

Discamus 2. quantum ex Christi responso, sororibus dato, solatium possint ac debeant justi capere in omni sua tribulatione, cum doceantur, eas esse *pro gloria Dei* et sua ipsorum sanctificatione. Quanta, Domine, consolatio in me redundat ex eo, quod per tribulationes meas possim conferre aliquid ad gloriam tuam! Si (de quo dubitare non licet) omnes meae adversitates tibi sacrificium laudis sint, mihi vero media tuum implendi beneplacitum, noli, Domine, mihi parcere: erunt illae mihi pro summis favoribus, quos a bonitate tua recipere possum aut sperare.

Discamus 3. ex afflictione sororum, mortuo fratri illacrimantium, cujus sanationem Christus videbatur earum precibus promisisse, discamus, inquam, duras non raro esse probationes, quibus suos tentat Deus, ut

valeant heroicas virtutes exercere. Ita suum fidelem servum Abraham probavit, imperans, ut sibi unicum immolaret filium, cui tamen innumeram promiserat posteritatem: de quo Apostolus: *Abraham credidit in spem contra spem* (Rom. 4, 18.), persuasissimum habens, media et vias ejus intellectum superantes Deo absque numero suppetere sua adimplendi promissa.

Domine, licet non sim de numero amicorum tibi adeo fidelium, nunquam tamen in animum inducam, quod me velis deserere, in quemcunque calamitatis statum me conjeceris. Meam semper fiduciam in te collocabo, et cum Propheta ingeminabo: *Etsi ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* (Psal. 22, 4.)

PUNCTUM II.

Venit itaque Jesus in Bethaniam, *et invenit* Lazarum *quatuor dies jam in monumento habentem. Martha ergo, ut audivit, quia Jesus venit, occurrit illi, et dixit: Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus. Sed et nunc scio, quia, quaecunque poposceris a Deo, dabit tibi Deus.*

Utique Martha agnovit, Christum posse omnia *per preces* obtinere a Patre: non autem agnovit, quod *ex se* et propria virtute possit quaecunque miracula patrare. Christus ergo eam melius instruit, dicens: *Ego sum resurrectio et vita: qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet: et omnis, qui vivit, et credit in me, non morietur in aeternum. Credis hoc?* Illa ob modicam fidem suam pudore suffusa, errorem mox corrigit, magno fervore respondet: *Utique, Domine, ego credidi, quia tu es Christus, Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.* Ex quo apparet, veros Christi discipulos esse dociles et promptos ad corrigendos errores, nec non ex ipsis infirmitatibus suis aut lapsibus trahere motiva surgendi alacrius, et majori fervore exercendi virtutes.

Magdalena vero de Christi adventu monita, nullam ostendit imperfectionem. *Ut audivit*, relictis omnibus *surgit cito, et venit ad eum; cecidit ad pedes ejus*, contenta dicere: *Domine, si fuisses hic, non esset mortuus*

frater meus: nec aliud adjecit verbulum, relicta Christi omnipotentiae ac bonitati executione miraculi. Atque hoc ejus silentium oratio erat tam potens et efficax, ut Ecclesia canat, quod *Magdalenae precibus exoratus fratrem Lazarum resuscitarit* Christus. Multo tenerius nimirum est cor Jesu, quam ut repudiare possit preces fide, humilitate, fiducia, amore, et resignatione armatas.

Profecto per nos staret, Domine, omnia impetrare a te. Solum opus esset tuis accidere pedibus, suspiriis et lacrimis nostra manifestare desideria. Ut peroremus, nil opus prolixis discursibus: satis est cum humilitate et fiducia cor nostrum aperire: tu ejus nosti teporem, ignaviam, infidelitatem. Ista ante pedes tuos serio deplorare sufficit, ut impetremus veniam, et perfectam devotionis, fervoris, ac fidelitatis renovationem.

PUNCTUM III.

Venit Jesus ad monumentum: erat autem spelunca, et lapis superpositus erat ei. Ait Jesus: Tollite lapidem. Dicit ei Martha: Domine, jam foetet; quatriduanus est enim. Tulerunt ergo lapidem: Jesus autem, postquam prius ploraverat et bis infremuerat spiritu, *elevatis sursum oculis*, ad Patrem fudit preces, *et voce magna clamavit: Lazare, veni foras: et statim prodiit, qui fuerat mortuus.*

En imaginem *inveterati* peccatoris, cujus corruptio alios inficit et mortis foetorem spirat: opprimitur pondere pravarum consuetudinum tamquam lapide, qui tumulum occludit, et inde prohibet sepultum egredi: super hujusmodi hominem suas Jesus fundit lacrimas, suspiria, gemitus, preces insolito fervore, alta voce ipsum inclamat, totam impendit omnipotentiam et patrat miraculum, quod in corde etiam induratissimo tantos valeat excitare motus, quantos excitavit in Judaeis, quorum plures ob Lazari resuscitationem fuere conversi.

Quam formidabilis autem est hic peccatoris status, anima mea, quia eum inde extrahere ipsi Christo care constat: nimirum lacrimis, fremitibus, suspiriis, et misericordiae prodigio ante alia stupendo. Illud autem, quod extraordinaria fit contentione virium, raro fit: ne tu

igitur temeraria es, si adeo singulare a Deo miraculum exspectas.

Imo non exspecto, Domine, non mereor: neque auderem indignissimus illud orando petere a te, nisi tua ageretur gloria, et per simile bonitatis tuae prodigium coeli ad te laudandum, peccatores vero ad conversionem deberent exstimulari. Unica, quam tu fundis, o Jesu, lacrimula integros lacrimarum rivos meis exprimet oculis: unicum, quod tu profers, verbulum emolliet duritiem cordis mei: unica efficax inspiratio de sepulchro peccatorum me suscitabit, meis liberum institis et vinculis passionum: hac ratione si vitae et libertati me restitueris per prodigium, tuo utramque amori et gloriae penitus consecrabo.

Sabbato.

Pharisaei occasione Lazari resuscitati conjurant in Christi necem.

(Joan. 11, 47. sq.)

PUNCTUM I.

Pontifices et pharisaei, audita Lazari prodigiosa resuscitatione, *collegerunt concilium et dicebant: quid facimus, quia hic homo* Christus *multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum: et venient Romani, et tollent nostrum locum et gentem.*

Considera abominabilem invidorum agendi modum. Christus patrat miracula: invidi pontifices et pharisaei propterea in ejus necem conjurant: quid detestabilius? Potestas faciendi prodigia debebat ipsis esse motivum aestimandi ac sequendi Christum: et convertunt in motivum odio habendi et persequendi crudelius. *Omnes credent in eum:* Ergo oportet ei resistere et machinari necem: qualis haec est consequentia? cum potius concludere debuissent legitime: *Omnes credent in eum:* ergo oportet, ut et nos universale gentis nostrae judicium et hunc hominem sequamur, cujus studio et amore coelum et terra dudum ardent. *Venient Romani, et tollent nostrum locum et gentem.* Utique hoc verum est: attamen non quia Deum et Messiam agnoscerent Jesum, sed quia eum impie erant crucifixuri.

En effectus zelotypiae, rancoris, proprii interesse et commodi, invidiae et cujuslibet passionis praedominantis, si quando occupavit hominem. Talis ex medicina trahit venenum, ex bono malum: errat in ipsis ratiocinationibus suis: praepostera adhibet media ac intento fini contraria: malis se ipsum implicat, quae cupiebat effugere. Quam formidanda res igitur est vel unica passio inordinata! quam facile hominem in extremam perniciem praecipitat!

Ah, Domine, a tam fatali malo me praeserva: in cunis et ortu praefoca passiones meas, nec patere, ut meo unquam dominentur cordi. O bone Jesu, magni consilii Angele, noli, quaeso, permittere, ut attentas aures praebeam suggestionibus mundi et carnis; perniciosis hisce Sirenibus, quae auditores suos trahunt in exitium, aures meas occlude: fac, ut semper abhorream a mundi pseudo-prudentia, quae aeternam adducit confusionem. Fixum est, o sapientia increata, tua solum consilia sequi, et tuae me penitus tradere regendum providentiae.

PUNCTUM II.

Unus autem ex ipsis Caiphas nomine, cum esset Pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo.

Attente expendamus verba Caiphae 1. *ut verba hominis*, passionibus suis praeoccupati. 2. *ut oracula S. Spiritus*, per sacrilegum hoc os et instrumentum loquentis: uti Evangelista notavit, dicens: *Hoc autem a semetipso non dixit* Caiphas. Quod primum attinet, Caiphas suam prodit superbiam, reliquos insignis damnans ignorantiae: prodit et caecum furorem suum, asserens, Christum morti esse adjudicandum, ut populus ab irruptione Romanorum sit immunis. Interea non videt excaecatus, ipsam Christi necem injustam fontem et causam fore exitii Judaeorum, qui innocentiae ac virtutis jurati sunt hostes. Quoad alterum admirari oportet sapientissimam Spiritus S. inventionem, qui impiorum subinde lingua utitur ad manifestanda mentis divinae

mysteria, et in praesens usus est ad revelandum hominibus Dei decretum de morte Filii ejus, per quam eos salvare, et per unam fidem et caritatem *in unum congregare* statuerat dispersos.

Adora submississime, anima mea, aeternam Dei sapientiam, qui novit linguis hypocritarum ac veteratorum uti ad promulgandam veritatem, et inimicorum nequitia ad manifestandos amoris sui fines. Ita Deus praesumptioni sapientum mundi illudit: dumque eorum corda excaecat, ex ipsis adeo excaecatorum tenebris veram lucem eruit, ut fideles suos illuminet.

Expedit utique (agnosco, mi Deus) *expedit* summopere, et infinitum nostra refert, *ut unus moriatur homo*, at non purus homo, sed *Deus-Homo*, *homo* per excellentiam, *unus* et singularis absque simili, qui tecum manens ejusdem naturae Deus nostram assumere dignatus est, ut nos homines salvaret. Grates, quantas possum, maximas tibi ob ineffabilem hanc caritatem ago, mi Redemptor: at noli permittere, ut respectu mei sit inefficax: fructus mortis tuae mihi applica: tot applica barbaris, qui eheu! necdum te agnoscunt: congrega filios tuos omnes dispersos: reple Ecclesiam tuam justis, mundum veris Christianis, coelum electis, ut omnes in domo Patris coelestis in unum collecti, eundem tecum glorificemus in saecula saeculorum.

PUNCTUM III.

Ab illo ergo die (postquam omne concilium sententiam Caiphae approbasset) *cogitaverunt, ut interficerent* Jesum. *Jesus ergo jam non in palam ambulabat apud Judaeos, sed abiit in civitatem Ephrem cum discipulis suis.*

Haec erat hujus concilii et hypocritarum, quos ira, furor et invidia excaecavit, una omnium mens et sententia, in qua mirum sibi complacuere, et iniquo praesidi applausere. Nimirum cumulus et summus iniquitatis vertex est eidem applaudere. Noli, anima mea, ex eorum numero esse, qui *laetantur, cum malefecerint, et exultant in rebus pessimis.* (Prov. 2, 14.)

Ista impiorum sententia, licet occultissima, minime latuit Christum, nihil eorum, quae clam in ejus perniciem

moliebantur, ignorantem: nihil tamen vindictae spirabat, sed potius inimicorum furori ad tempus cedere voluit, talem interim se erga illos gerens, ac si eorum consilii et conspirationis neutiquam esset conscius: tunc ergo adimplevit, quod per Jeremiam (2, 18. sq.) praedixerat: *Tu autem, Domine, demonstrasti mihi, et cognovi: tunc ostendisti mihi studia eorum. Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam: et non cognovi, quia cogitaverunt super me consilia, dicentes: Eradamus eum de terra viventium.*

O dulcis Jesu! O mitis agne Dei! O divinum patientiae ac mansuetudinis exemplar: quantum meam confundis impatientiam et spiritum vindictae! Si vel minima injuriae mihi imminentis suspicio oboritur, injustitiam exclamo, injustitiam: in acerbos animi sensus, in querelas prorumpo, diu noctuque vindictam spiro. Vah! quam longe disto a te, Servator amantissime, qui probe gnarus, quod pharisaei decreverint, te in crucem agere, nec minimum irae motum sentis, multo minus ostendis. Imprime, o Deus, alte cordi meo nobile hoc patientiae exemplum imprime, ut caecos irae impetus inhibeat, extinguat sensum.

Dominica IX. post Pentecosten.

Jesus flet super Jerusalem.

(Luc. 19, 41—45.)

Vide meditationem Fer. IV. post Septuages. Part. I. pag. 131.

NB. Cum in hoc tempus plerumque cadat Festum assumptae in coelos Deiparae, meditationes ad istud mysterium spectantes in sequentem hebdomadem sunt translatae, ultra eam rejiciendae, si tardius hoc festum venerit.

Feria II.

De vita Deiparae ab adventu S. Spiritus usque ad mortem.

PUNCTUM I.

Nullam non virtutem perfecto in gradu possedit et in omni occassione exercuit beatissima Virgo. Quantus

ergo meritorum thesaurus in cor ejus confluxit, in quo uno divisae in reliquos sanctos virtutes velut in centro collectae omnes convenere! Fides, amor paupertatis, temperantia, puritas virginalis, obedientia, humilitas, fiducia, orationis assiduitas, zelus animarum, et praecipue caritas, omnium regina virtutum, in ejus corde tamquam in solio plene et perfecte regnabat.

Omnes istae virtutes erant indicia et quasi imago illius absolutissimae pulchritudinis, quae coelum in sui amorem, angelos in stuporem, sponsum coelestem in tantam rapuit admirationem, ut in mentis excessu altum exclamarit: *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.* (Cant. 4, 7.)

Totus exulto, Virgo sanctissima, quod te videam tot repletam gratiis, tot illustratam luminibus, undique circumfusam radiis solis justitiae, totidem coronatam stellis, quot virtutibus. Luna est sub pedibus tuis, quia nec vicissitudini, nec ulli inconstantiae es subjecta, sed a primo conceptionis tuae momento ad mortem usque plena gratiis et omnibus exornata dotibus immensum semper placuisti Deo. Impetra mihi aliquot radios de immenso tuae pulchritudinis splendore, quae omnes Seraphinos rapit in admirationem. Cogita, nos tuos esse filios, atque adeo tibi saltem in aliquibus debere assimilari.

PUNCTUM II.

Praecipue autem considerandum est summum thesauros gratiae, qua a Deo fuit ditata, custodiendi studium atque sedulitas. Nihil, quod timeret, habebat tam ex parte *mundi*, cui ob singularem divinae providentiae protectionem nullus ad Virginem patebat aditus, quam ex parte *carnis*, utpote in ea ita extinctae, nullum ut motum minus ordinatum potuerit excitare: multo minus ex parte *daemonis*, qui non audebat vel e longinquo ad eam accedere; erat enim simul *quasi aurora consurgens, pulchra ut luna et terribilis ut castrorum acies ordinata.* (Cant. 6, 9.) Nihilominus adversus memoratos hostes tot tantasque adhibuit cautelas, ceu in periculo fuisset succumbendi. Omne cum mundo fugi-

tabat commercium, familiarissima angelis, perpetuae amans et custos solitudinis: hanc si quando lex caritatis jussit deserere, in comites et custodes assumpsit raram prorsus modestiam, summam circumspectionem, profundam animi collectionem et *cordis solitudinem*, quam semper retinuit et sic solitudinem corporis supplevit. Praeterea virgineum corpus suum, quod purissimos coeli spiritus puritate anteibat, summopere mortificabat, nullas illi concedens delicias, quietem nullam. Cibus Virginis, teste S. Ambrosio, fere perpetuum erat jejunium, somnus perbrevis, contemplationem neutiquam interpolans, ita ut cum sponsa potuerit dicere: *Ego dormio et cor meum vigilat.* (Cant. 5, 2.)

Quorsum autem, Virgo sanctissima, et quem in finem tanta solitudo tua, orandi studium, fuga mundi, tantusque deliciarum horror? nimirum ut per ejusmodi cautelas, tibi minime necessarias, me doceres illas, quibus ego vel maxime indigeo, at tam parum utor, ut me in statu gratiae conservem.

O speculum hominis christiani! O exemplar religiosi longe perfectissimum! Grates tibi ago immortales, quod exempla tam illustria, doctrinas tam salutares mihi reliqueris. Spero, fore, o mater misericordiae, ut mihi a Filio tuo pariter gratiam impetres, doctrinas fideliter in praxin deducendi, exempla sedulo imitandi.

PUNCTUM III.

Quod cumulum et colophonem addidit meritis Deiparae, fuit modus et ratio, quam tenuit in agendo; etenim indubitatum est, quod non modo, uti Sapiens monet, *praecellens fuerit in omnibus operibus suis* (Eccl. 33, 23.), sed praecellentissima, omnes, quos sine ulla intermissione exercebat, virtutum actus ad supremum perfectionis culmen evehendo. Caritas praesertim, qua perpetuo cor ejus ardebat, nullum habuit limitem, modum ac terminum augmenti; quare *ignis* amoris ejus *nunquam dicebat: Sufficit.* (Prov. 30, 16.) Quid mirum igitur, quod a primo conceptionis suae momento ardentissime Deum amare exorsa et magis quolibet totius vitae instanti magisque hunc amorem perficiens, ad

summum sanctitatis et perfectionis fastigium pertigerit? *Quam pulchri sunt gressus tui, filia principis supremi!* (Cant. 7, 1.) Quocunque progrederis, vestigia virtutum post te relinquis: novo semper fervore procedis, *exultans ut gigas ad currendam viam* (Psal. 18, 6.), quae ad perfectionem consummatam te perducit. Ah! Virgo sanctissima, gratiose tuos respice servos, qui te sequi ardenter cupiunt ac imitari: ast, id ut praestent, sat animi ac virium in se non inveniunt. Nostrum vides teporem, inconstantiam, conatum debilem. Exiguam sentimus pietatem, rarius opere exercemus. Ipsa adeo pietatis opera, quae facimus, prava intentione corrumpimus. Paene eodem, quo Deum amare incipimus, momento remittimus ab amore. Ah! destrue in nobis has animi affectiones, tuis adeo contrarias: *trahe nos post te in odorem* exemplorum tuorum (Cant. 1, 3.): fac nos pari constantia et celeritate viam sanctitatis decurrere, ut tuo adjuti auxilio possimus *ire de virtute in virtutem et tandem videre Deum deorum in Sion.* (Psal. 83, 8.)

Feria III.

De heroica b. Virginis humilitate.

PUNCTUM I.

Ejus humilitas *erga Deum* mire enituit actibus humilitati propriis, qui sunt: 1. *Dona Dei occultare.* Occultavit Deipara prorsus singulares, quas a Deo accepit, gratias ac privilegia. Ne quidem S. Josepho, conjugi licet tenerrime dilecto, revelavit mysterium incarnationis, unde non minor ei accessit honor, quam ex prodigiosa S. Spiritus operatione in ejus utero. 2. *Sua fugere et horrere laudes.* Fugit et horruit Maria sibi necessario debitas ob acceptam gratiarum plenitudinem, et tamen *turbata est in sermone* archangeli, eam salutantis: *Ave gratia plena.* (Luc. 1, 28.) Ex eadem humilitatis virtute laudes et elogia, quae non poterat evitare, in eorum auctorem Deum convertebat. Et hic erat tertius humilitatis actus: hinc Elisabethae, *Domini matrem* appellanti, aliud non reposuit, quam: *Magnificat anima*

mea Dominum: et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo, quia respexit humilitatem ancillae suae. (Luc. 1, 46—48.)

Ita enimvero comparata est et debet esse anima humilis, confusa coram Deo ob gratias, quibus ditatur, tantum abest, ut eas propalet: ut potius cum Isaia (24, 16.) dicat: *Secretum meum mihi: Secretum meum mihi:* haec repetens verba, ut summum indicet studium thesauros gratiae occultandi, ne irrepens superbia aut inanis gloria eos suffuretur. Si autem necessitas aut summa utilitas jubeat illos manifestare, humilis omnem gloriam in auctorem gratiae refert, cum propheta dicens: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* (Psal. 113, 9.)

Virgo praestantissima, jure meritissimo S. Spiritus te appellat *hortum conclusum et fontem signatum* (Cant. 4, 12.), quod enim constanter tenuisti, silentium fuit sigilli instar, ut spirituales, quibus affluebas, thesauros hominibus occultares. Quid ergo timebas, creaturarum humillima? scilicet non erat, quod tibi metueres, sed mihi. Vana et inanis gloria meritum omne bonorum operum mihi dudum abstulisset, nisi *tuo* me *exemplo* docuisses fugere laudes et fideliter in Deum referre omnem gloriam operum, quae sua ille gratia mecum, et in me dignatur efficere: cui soli sit laus, honor et gloria.

PUNCTUM II.

Mariae humilitas erga homines tanto fuit excellentior, quanto magis illos dignitate et meritis infinite transcendebat. Simul ac ex ore Gabrielis intellexit, quod Deus primo post Filium suum loco in coelis eam sit collocaturus, infra omnes se abjecit, vilissimam se profitendo ancillam: *Ecce ancilla Domini.* Pari humilitatis impulsu non solum divinis et humanis legibus obtemperabat, sed et vilissima praestabat obsequia personis se multo inferioribus: v. g. visitando cognatam Elisabeth, eique inserviendo, *ut se omni humanae creaturae subjiceret propter Deum.* (I. Pet. 2, 13.)

Quam excellens est hoc humilitatis exemplar! at quam parum imitamur! Equidem omnia nos urgent, ut

infra omnes nos abjiciamus: nostrum nihilum, nostrae imbecillitates, nostrae erga Deum perfidiae sunt totidem pondera, quae nos deberent deprimere: at nolumus ulli subesse: primos in omnibus honores ac praerogativas ambientes, vix ac ne vix quidem nostrorum mandatis superiorum nos subjicimus.

Oportet sane expugnari meam non posse superbiam, o Jesu, si tuis et matris tuae exemplis humilitatis porro resistere pergat. Evelle, quaeso, Domine: ah! e corde meo maledictam evelle radicem superbiae, eique sanctam substitue humilitatem, quae sola me potest tibi acceptum reddere.

PUNCTUM III.

Humilitas Mariae *erga se ipsam* aeque praestans fuit. Perpetuae nihili sui immersa contemplationi sese omni gratia indignam aestimabat, ob id ipsum contenta *paupertatis et humiliationis* statu, quam Deo ita disponente non raro experta est, in medio opprobriorum, quae tempore passionis Filii sui devorare debuit, semper tranquillissima. Dein duriusculis in speciem verbis a Filio ad probandam ejus patientiam aliquoties excepta majorem doloris sensum praesetulisset, nisi consummata cordis humilitas ei persuasisset, se solis dignam esse humiliationibus.

Superi! quam ipse Deus gratiose respexit, intime amavit, eximiis favoribus et gratiis cumulavit, summe aestimavit, haec ipsa omni se honore reputat indignam, summas humiliationes sortem suam interpretatur: et ego indigne feram, si non ab omnibus aestimer et magnifiam? nec minimam pati velim reprehensionem? in adversis Dei rigorem aut hominum injustitiam querulus incusem? hoc enimvero demonstraret, me caecum esse, et, quid merear, non videre, atque adeo mereri minas, quas animae suorum ignarae vitiorum coelestis sponsus intentavit, dicens: *Si ignoras te, egredere, et abi.* (Cant. 1, 7.)

O sol justitiae, tua me luce illustra, ut me ipsum cognoscens omni, quam hactenus de me fovi, renuntiem aestimationi: hoc ipsum, Domine, exspectas a me, ut uberes gratias mihi possis impertire: quam ante alias peto ardentius, illa est, ut mihi dones cor humile, cor

tuo et matris tuae cordi conforme, cor sanctarum summe appetens humiliationum, cor nil in mundo desiderans, quam contemni pro te.

Feria IV.

De felicissimo Deiparae obitu.

PUNCTUM I.

Ab ascensione Filii sui quotidie mater sanctissima ardenter mortem desideravit, ardentius tamen ultimis vitae suae annis, non quidem ex taedio vitae praesentis aut horrore calamitatum, sed ex ardentissima dilecto suo sese conjungendi cupiditate. Perpetua ad eum suspiria misit, nuntia, quod tota amore languens eum multo vehementius desideret, quam *cervus* longiore cursu defatigatus sitiat, ac *desideret ad fontes aquarum.* (Psal. 41, 2.) Tantus tamen ardor desideriorum perfectissime consentiebat tranquillae in voluntatem divinam resignationi.

Haec nimirum est vera ad bonam mortem praeparatio, vitam praesentem cum patientia tolerare et mortem cum gaudio desiderare. An et tu cupis, anima mea, sine metu mortem excipere praesentem? assuesce saepius desiderare adhuc absentem et remotam. Ut autem verum mortis desiderium concipias, oportet ardenter illum amare, cujus illa possessionem nobis affert.

O mater amabilis, ardentia haec in nobis desideria accende, et, quoniam partus sunt flagrantis erga Deum amoris, sanctum hunc, quo per omnem vitam immensum arsisti, ignem nobis tua intercessione impetra: ubi in corde meo fuerit succensus, omnia, quae terrenis me alligant, vincula absumet, egoque liber nil desiderabo, quam illi in coelo uniri, qui centrum et meta debet esse omnium votorum et cordium.

PUNCTUM II.

Praeservavit quidem Deus Mariam ab originali labe, non item a morte. 1. Ut ostenderet, latam in homines sententiam esse universalem ac irrevocabilem: *Statutum*

est hominibus semel mori. (Hebr. 9, 27.) 2. Ut mater Filio esset conformior, ejusque exemplo mortem moriendo destrueret. 3. Ut non solum eximia virtutum in morte necessariarum exempla nobis in matre relinqueret, sed et potentissimam protectionem in illo terribili *momento, a quo pendet aeternitas.* (S. Aug.)

Quis jam explicet sensa Virginis, dum e coelesti nuntio diem et horam sui obitus intellexit? Quanta animi submissione exceperit hoc nuntium! Quanta devotione auctori et Domino vitae se, sua, vitam sacrificaverit! Quantas pro omnibus, quas accepit, gratiis Deo grates egerit! quanta animi exultatione cum propheta exclamaverit: *Laetata sum in his, quae dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus* (Psal. 121, 1.), ut aeternas ejus misericordias laudemus atque glorificemus!

O quam merito reciperis coelo, Virgo sanctissima, quae in terris vivum et animatum Verbi incarnati fueras sanctuarium! An autem ego quoque locum in coelesti paradiso sperare possim, nisi virtutes mihi obtineas, quae illo te dignam reddidere? Tua igitur intercessione mihi impetra, ut perpetuo vivam in perfecta obedientia, mei resignatione, fiducia et amore Dei, utpote necessariis in mortis articulo virtutibus. Ante omnia dignare tunc mea esse advocata: hac mente ac spe tibi quotidie cum Ecclesia dico: *Sancta Maria, mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc, et in hora mortis nostrae. Amen.*

PUNCTUM III.

Appropinquante tandem mortis hora Christus e coelo descendit, innumeris stipatus angelorum choris, ut suae obitum reginae condecorarent. *Veni,* ingeminabat Christus, *veni, surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea: veni de Libano* (Cant. 2, 10; 4, 8.), qui mons altissimarum typus est tuarum virtutum: *jam hiems* dolorum *transiit: imber* laborum *abiit. Veni, propera, et coronaberis* a me corona justitiae.

O quam *pretiosa in conspectu Domini fuerit,* necesse est, *mors* reginae coelorum, cum tam *pretiosa sit in conspectu Domini mors sanctorum ejus* (Psal. 115, 6.), servorum inquam! Utique pretiosissima fuit, et secundum

omnes circumstantias infinite honorata; etenim non vehementia dolorum aut vis cujusdam morbi, sed solus amoris divini aestus vires corporis consumpsit, et inflicta cordi plaga lethali ad perpetuam cum dilecto suo unionem denique viam animae aperuit.

O prudentissima virginum, cujus lampas veniente sponso plena erat excellentissimo caritatis oleo! digna est mors tua, quam sancte invideam desideremque: *Utinam moriatur anima mea morte*, morti tuae simillima, *et fiant novissima mea tuis similia* (Num. 23, 10.)! Ut autem fructuum mortis tuae particeps fiam, fac me participem sanctitatis vitae tuae. Constantem virtutum tuarum imitationem a Filio tuo mihi impetra. Non peto mori expers dolorum, non; meis enim peccatis merui vivere et mori in cruciatibus: id unum ab ipso per tuam intercessionem peto, ut vivam et moriar in ejus amore.

Feria V.

Assumptio Deiparae in coelum quoad animam.

PUNCTUM I.

Statim atque anima Deiparae corporeis fuit soluta vinculis, non angelicis, ut anima Lazari, manibus in sinum Abrahae, sed in Dei sinum fuit deportata manibus Filii sui Jesu Christi, hac ratione ei obsequia compensantis, quae adhuc infanti exhibuerat mater, suis eum brachiis frequenter gestando. Hoc ipsum spiritus angelicos stupore replevit invicem interrogantes: *Quae est ista, quae ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* (Cant. 8, 5.)

Quis mente assequatur excessum laetitiae, qua cor Mariae perfundebatur, videntis, se in coelum portari inter effusos totius curiae coelestis applausus, clementissime excipi a SS. Trinitate, iterum suo conjungi Filio, unico amoris sui objecto? Quanto amoris excessu dixerit: *Inveni, quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam!* (Cant. 3, 4.)

Gaude et laetare, mater gloriosissima: gaude, ac aeternum laetare in illius gloria, quem millies in vita

humili ac passione sua es amplexa: particeps olim ejus dolorum, fruere jam ejusdem gaudiis et beatitudine. Consumma in coelo arctissimam, qua in terris ei fueras conjuncta, unionem. Denique ut mea pariter anima, corpore egrediens, nullum suae cum eodem unionis inveniat impedimentum, gratiam mihi impetra, omnia, quae terrenis affixum me tenent, rumpendi vincula: fac, ut nihil amem praeter Jesum.

PUNCTUM II.

Ut cognoscas, quanta sit Deiparae *gloria essentialis*, opus foret prius cognoscere, quanta extiterint ejus merita, quanta Dei liberalitas erga illam, utraque infinita. Sicuti illa nullum posuit modum et finem suo erga Deum amori aut obsequiis eidem praestitis, ita Deus sine modo et fine gratus utraque compensavit. *Intellectus* Mariae admirandum in modum repletur clarissima Dei unius et trini visione, totus lumine gloriae et sapientiae increatae penetratus. *Voluntas* ejus tota ardet beatifico Dei amore prorsus sublimissimo atque purissimo: *tota* ejus *anima* perfectissime satiatur plena boni infiniti possessione, comprobans illud vatis: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* (Psal. 16, 15.)

O immensum gloriae, gaudii ac voluptatis oceanum, cui anima Deiparae innatat! Admiremur ejus altitudinem, anima mea, et discamus simul, quod unicum eadem gloria et beatitudine fruendi medium sit Deum in hac vita diligere ex toto corde, Deum infinite amabilem, Deum fidelem, qui singulos cordis nostri erga se motus accurate numerat et remuneratur, effundens *quasi fluvium pacis, et quasi inundantem torrentem gloriam* (Isa. 66, 12.) super corda illorum, qui nihil non egerunt unice propter Deum, nec aliam in mundo voluptatem captarunt quam in quaerendo ubique beneplacito Dei.

Felicem hunc statum, o Deus, unice suspiro. Durum mihi et amarum est vivere, quia non semper tibi vivo, et propter te. Sentio me innumera creaturarum multitudine obsideri, quae vel nolentem occupant, meam ad se trahunt attentionem, arci cordis mei insidias struunt, ut ejus dominium et amorem injuste auferant, tibi soli debitum. Ah! iniquam hanc rei alienae usurpationem

ne tolera, Domine. Tu solus esto supremus rex animae meae, qui ejusdem supremus es Dominus: tu solus totam posside nunc in tempore, ut illa te possideat totum in aeternitate.

PUNCTUM III.

Consideremus, quam sublimi gloriae in throno collocata et quanto pompae apparatu coronata fuerit Deipara. Uti Christus dicitur sedere ad dexteram Patris, quia omnes coeli incolas gloria et majestate supereminet: ita cum proportione merito dicimus, Mariam sedere ad dexteram Filii sui, quia illi proxima super omnes sanctorum et angelorum choros eminentiorem gloriae thronum possidet, et illud Davidis implet: *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate* (Psal. 44, 10.) diversarum, quibus in vita emicuerat, virtutum.

Quam volupe, o magna princeps, tuis est famulis, te super omnes angelorum choros evectam intueri! Verum enimvero quae gloria in comparationem venire possit cum illa, qua refulsisti primo coronationis tuae momento, quando tota Trinitas tergeminam capiti tuo coronam imposuit, Pater coronam *potestatis*, Filius coronam *sapientiae*, Spiritus S. coronam *caritatis?* atque toti curiae coelesti tot stellis coronata fulsisti, quot virtutibus ornata micabas in terris?

Exurge igitur, anima mea, et oculis fidei contemplare veri meliorisque Salomonis matrem in gloria et *diademate, quo* suus eam Filius *coronavit* in die triumphi ejus, *et in die laetitiae cordis ejus.* (Cant. 3, 11.) Tuos junge applausus et homagia totius coeli plausibus: dumque omnes beati suas ad Virginis pedes coronas deponunt, nostra iisdem corda adsternamus, supplices, ut suo illa affigat throno, ut ejus exemplo perennibus amoris purissimi et ardentissimi flammis semper flagrent.

Feria VI.

Assumptio Deiparae in coelum quoad corpus.

PUNCTUM I.

Corpus Deiparae aliquamdiu jacuit in sepulchro, cui ab Apostolis fuerat illatum: at permansit integrum

et incorruptum, quale erat ante separationem animae. Decebat sane 1. ut, quae a corruptela omnis peccati, etiam originalis, extitit immunis, pariter praeservaretur a corruptione corporis, tamquam *poena peccati.* Meruit hoc privilegium virginalis ejus puritas. 2. Ut vermes nec tangerent corpus, quod erat vivum incarnati Verbi templum. 3. Ut caro, quae fuit eadem cum Christi carne, non minus atque caro Christi maneret incorrupta, sicque impleretur vatis oraculum: *Non dabis*, Domine, *sanctum tuum videre corruptionem.* (Psal. 15, 10.)

Nec ausim ego, nec possim a te, Domine Deus, mei incorruptionem *corporis* petere, utpote praerogativam, ad quam peccatori, qualis ego sum, aspirare fas non est. Solam a te peto puritatem, innocentiam ac integritatem *animae* meae. Jam in baptismo per tuam gratiam tuo fuit insignita charactere, toties sanctificata per usum sacramentorum, toties carne Filii tui nutrita, in templum S. Spiritus tui consecrata: tua ergo interest et tua exigit gloria, ut nunquam peccato profanetur.

PUNCTUM II.

Vix bene per triduum in sepulchro jacuerat corpus Deiparae, mox redivivum atque gloriosum surrexit per virtutem et omnipotentiam Filii ejus, qui in matris gratiam praevenit tempus universalis, quae sub mundi finem erit, resurrectionis, ut etiam quoad hoc prorsus singulare privilegium mater similis esset Filio. 2. Acceleravit Christus gloriosam corporis et animae conjunctionem, ut, quam in terris coeperunt in glorificando Deo concordiam, in coelis ocius continuarent. 3. In nostram utilitatem voluit Christum matrem suam cum corpore et anima esse in coelo, ut plene officio nostrae ibidem matris fungi suaque ostendendo ubera, quae suxit, iram Filii placare possit, sicut ipse iram Patris placat sua monstrando vulnera.

O quam immensum de tam eximia et singulari praerogativa Virgo sanctissima fuerit gavisa! Quanta animi alacritate suum denuo ingeminaverit canticum: *Magnificat anima mea Dominum: et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo, quia fecit mihi magna, qui*

potens est, dum corpus simul et animam ita glorificat! Quanta etiam nostra consolatio est, tam potentem in coelo habere advocatam!

Grates tibi immortales, o aeternum Patris Verbum, quod innumeris matri collatis favoribus novum istud et prorsus singulare privilegium adjeceris. Tibi vero, o Virgo singularis, tantam prae omnibus sanctis excellentiam omnes animae meae facultates gratulantur. At in solio gloriae tuae memento, quod tu mater nostra sis, et Omnipotens tuus sit Filius. Monstra, te nostram apud ipsum mediatricem esse: tua, quae suxit, ubera ei tamdiu ostende, donec ad nos in hac vita adjuvandos suam large impertiatur gratiam, ut in altera aeternae, qua cum ipso frueris, beatitudinis reddamur participes.

PUNCTUM III.

Redivivum Deiparae corpus, sole splendidius, a Cherubinis ac Seraphinis in coelum pompa solemni deportatum, tamquam arca novi foederis, *in locum suum, in sanctum sanctorum fuit illatum*, h. e. in altissimum coelestis Jerusalem thronum.

O quanto clarius totum refulsit coelum per novum hoc lumen! Quantis angeli laetitiis exultarunt visa in coeli empyrei throno regina sua! Quam hilares reliqui fuere coelites ob spem firmiter conceptam, vacuas coelorum sedes certo certius repletum iri animabus et peccatoribus conversis, quibus haec mater misericordiae per efficacissimam intercessionem suam portas coeli esset reseratura!

Mihi quoque, mater clementissima, tuae efficacitatem intercessionis monstra: trahe me post te, quia par est, ut, ubi mater est, ibi et filii sint. Quis mihi dabit pennas ad volandum usque in coelos, ut ibi corporis tui gloriam contempler? Hae pennae, mi Deus, tuae sunt gratiae, gratiae efficaces, quarum ope, quandocunque tibi placet, corda, utut crassissima, in altum, in coelum de terra elevas. Easdem per deprecationem matris tuae supplex a te peto. Si obtinuero, ne ego propediem ero perpetuus triumphi Mariani, et immensae erga matrem liberalitatis tuae testis.

Sabbato.

De devotione erga Deiparam.

PUNCTUM I.

Inter omnia Deiparam colendi ac amandi motiva primum et princeps illud est, quod SS. Trinitas solam aestimet magis ac amet, quam omnes simul sanctos, ob ejus eminentem super hos omnes sanctitatem. Singulae SS. Trinitatis personae erga b. Virginem peculiares habent relationes et titulos. Pater eam singulariter aestimat *ut filiam*, Filius honorat *ut matrem*, Spiritus S. amat *ut sponsam*. Pater dignam judicavit, quae Verbum incarnatum suo gestaret utero; Filius novem mensibus eum incolere dedignatus non est; S. Spiritus eam obumbrando ineffabile mysterium incarnationis in illa operatus est.

Deum immortalem! quanta Virginis merita, quantam fuisse sanctitatem oportet, quod cor et amores Dei rapuerit, seque tam arctae cum illo cognationis dignam reddiderit! Dum autem eam tantis apud creatorem in honoribus conspicamur, tantisque illi in amoribus esse, cujus amor regula est omnis justi, prudentis et sancti amoris, quis timere possit, ne in ejus cultu et amore modum unquam excedat! Quanto insuper nobis honori est et gloriae, posse nostrum de regina coeli et terrae judicium, propensionem et zelum conformare judicio, propensioni et zelo ipsius sanctissimae Trinitatis.

O ter digni Patris filia! O gloriosissima Filii mater! o incomparabilis Spiritus S. sponsa! quid paupercula, qualis ego sum, creatura ad te, ab ipso Conditore ita honoratam, amplius honorandam posset conferre, nisi ut tuas tibi gratuletur excellentias, insignes collaudet virtutes tuas, tibique supplicet humillime, ut, quae tibi profundissima cum reverentia ac devotissimo corde offero, homagia et obsequia acceptare digneris?

PUNCTUM II.

Alterum Deiparam quam devotissime colendi incitamentum est exemplum universalis Ecclesiae, quippe quae

ex divino Spiritus S. afflatu cultum *hyperduliae*, h. e. revera multo minorem, quam Deo congruat, at simul longe majorem, quam reliquis sanctis Mariae Virgini exhibet, cum illi solummodo sint servi et aulici Numinis, Maria autem sit mater Conditoris, adeoque angelorum regina et hominum. Inde est, quod sub ejus nomine et invocatione tot augusta Deo initientur templa; tot festa, ordines religiosi, confraternitates in ejus honorem instituantur; quot hebdomadis dies una (Sabbatum) singulariter ejus honori dedicetur. Taceo innumera alia pietatis Marianae monumenta, quibus universalis Ecclesia suis clare demonstrat filiis, sine ulla comparatione b. Virginem prae omnibus puris creaturis communi omnium cultu, veneratione, obsequiis esse longe dignissimam.

Sequamur ergo, anima mea, spiritum ac judicium Ecclesiae, memores, quod cum primis fidei nostrae principiis lac devotionis erga Deiparam nobis instillarit, nec aliud post obligationes erga Deum magis inculcet, quam Deiparae cultum. Faciamus igitur exemplo tot virorum doctrina et virtute illustrium, et solemni sacramento nos profiteamur *servos Mariae.*

Ita est, o Deus, tuus sum per essentiam titulo supremi dominii, et totus a te per naturam in omnibus dependeo: at quia tuus sum, necessario et illius sum, quam elegisti in matrem Filii tui, et in Reginam totius universi. Ita est: *Ecce ego servus tuus, et filius ancillae tuae.* (Psal. 115, 7). Hanc sibi proprietatem et titulum eodem, quo matrem Dei efficere dignatus es, momento illa assumpsit: ego pariter ejus volo servus esse, et quidem humillimus omnium et devotissimus servorum.

PUNCTUM III.

In quo tandem perfectam collocabimus fiduciam, nisi in illa, cui potestas nos juvandi inest velut infinita, bonitas immensa? talis est Maria. Omnia potest *qua mater Dei*, qui matris intercessioni nequit repulsam dare: *qua mater nostra* sane nostri amantissima est, nostris maximopere compatiens necessitatibus: et possit nos intueri a daemonibus oppugnatos, ab internis aeque

ac externis hostibus undique obsessos, mille damnationis aeternae periculis objectos: nos, inquam, in hoc rerum articulo constitutos intueri possit, quin maternam porrigat manum filiis suis, cum fiducia ad se confugientibus? Aut num Jesus, omnipotens Mariae Filius, quem tenerrime semper amavit, matri suas pro nobis fundenti preces repulsam dare poterit?

Utique non, o mater sanctissima, non, id fieri non poterit. Nihil nobis deerit, si fiducia erga te non defuerit. Si in sinum tuum nostras conjiciamus imbecillitates, curas, dolores ac terrores, necessarias ibi vires, auxilium, consolationem et securitatem reperiemus. In te, o *mater misericordiae*, *vita*, *dulcedo*, *et spes nostra*, in te post Deum omnem spem nostram reponimus, nosque tibi totos cum corpore et anima plene tradimus. Tu vicissim *illos tuos misericordes oculos ad nos converte*: ipso opere *monstra te esse matrem* nostram: tua nos protectione dignare in exilio, et impetra nobis a Filio tuo gratiam eundem videndi aeternum in patria, *o clemens*, *o pia*, *o dulcis Virgo Maria.*

Dominica X. post Pentecosten.

De oratione pharisaei et publicani.

(Luc. 18, 10. sq.)

PUNCTUM I.

Duo homines ascenderunt in templum, ut orarent, unus pharisaeus, et alter publicanus. Pharisaeus stans haec apud se orabat: Deus, gratias ago tibi, quia non sum, sicut ceteri hominum, raptores, injusti, adulteri, velut etiam hic publicanus. Jejuno bis in sabbato etc.

Videamus, quot modis suam pharisaeus prodat superbiam: et an non eodem laboremus morbo, ut eum possimus curare.

1. Adeo perfectum se existimat, ut nihil postulet a Deo, ceu nulla re indigeret. 2. Sub specie gratiarum actionis se ipsum laudat, suaque cum fastu opera bona jactat. 3. Inflatus imaginatione concepta animo perfectionis

omnibus caeteris se praefert, contemnit, pro peccatoribus habet, praecique publicanum, quem judicat temere.

En signa et notas fastus pharisaici, qui hominem Deo reddit execrandum. Fac, quantum volueris bonorum operum: esto immunis a majoribus mundi vitiis et sceleribus: si superbia elätus es, sola omnes corrumpit virtutes, et ex justo apparente verum efficit peccatorem, eo amplius deplorandum, quo magis beatum te credis, et spiritualibus affluentem thesauris. Miser iste pharisaei status vivis coloribus depingitur in illo ejusdem farinae episcopo, qui dicebat de se: *Dives sum, et locupletatus, et nullius egeo. Et nescis* (interpellat Christus) *quia tu es miser, et miserabilis et pauper, et caecus, et nudus.* (Apoc. 3, 17.)

O detestabilem superbiam! o execrabilem fastum! numquid, dum actu cogito, quod toto ex corde te velim aversari ac fugere, actu mea stabularis in anima, et pauculas, quibus exercendis hucusque studui, virtutes corrumpis in me destruisque? Eheu! occulta, quam foveo, mei ipsius aestimatio, et sensim sine sensu gliscens in me aliorum contemptus justam mihi causam praebent non abs re timendi, ne fatale hoc germen altas in me radices jam egerit. Suffoca illud, Deus, in semine. Noli oculos mihi concedere, nisi ut meos ipsius videam defectus, aliorum virtutes, et hac ratione memet spernens, aestimans alios, insolenti huic pharisaeo nunquam assimiler.

PUNCTUM II.

Publicanus autem a longe stans nolebat nec oculos ad coelum levare, sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori.

Diversos humilitatis actus in publicano observa et imitare. 1. Indignum se reputat, qui ad Deum, imo ad pharisaeum accedat. 2. Non audet oculos ad coelum tollere. 3. Pectus tundit in signum doloris interni ob peccata sua concepti. 4. Veniam peccatorum et misericordiam a Deo *sibi* petit *soli*, ceu solus ipse foret in mundo peccator. 5. Manifesto sui contemptu, quem pharisaeus ostendit, non offenditur, judicans se nil nisi contemptum et confusionem mereri.

O humilitas! o virtus incomparabilis, quae momento potes peccatorem mutare in sanctum! O virtutum magistra omnium! tu sola doces Deum timere, revereri, amare, nobis reconciliare. Tu cordis, quod possides, regis motus, corrigis inordinationes, abstergis peccata intromittendo caritatem. At nemo sibi blandiatur, quod te habeat, nisi proximum maximi faciat, se ipsum minimi. Haeccine in me est caritas? an saltem acquirere vere ac ardenter desidero?

O Deus virtutum! hanc a te, quia solus dare potes, humilitatem quam ardentissime peto: ideo non ausus ad coelum levare oculos cum humili publicano tuis advolvor pedibus, et millies ingemino: *Deus, propitius esto mihi peccatori: Deus, propitius esto mihi peccatori.* Si me vel oculo dignaris, me non minus, ac illum in verum mutabis poenitentem, tuis pergratum oculis.

PUNCTUM III.

Dico vobis, ait Christus: *Descendit hic* (publicanus) *justificatus in domum suam ab illo*, seu prae pharisaeo.

Quam alia sunt judicia Dei et hominum! Quis pharisaeum conspiciens in sanctuario, immunem a vitiis toti mundo familiaribus, bis jejunantem in hebdomade, decimas bonorum omnium dantem Deo, quis, inquam, hunc pharisaeum non judicasset justum? Contra videns publicanum stantem in templi limine, pectus percutientem, Deo supplicem, quis non judicasset reum et peccatorem? Et tamen de fide est, hunc fuisse justum, illum vero reprobum. Nimirum homines judicant secundum externa, Deus autem cor inspicit. Is in corde pharisaei intolerabilem vidit superbiam et detestatus est, in corde autem publicani humilem poenitentiam; et dedit veniam.

Nosse cupis, anima mea, an amore vel odio Dei sis digna? discute non externa opera, quia sunt signa tantum aequivoca, ambigua, errori obnoxia; sed discute interna, secretas affectiones tuas, intentiones occultas: discute, qui te habeas in arcana aestimatione aut contemptu tui aliorumque. Si tibi magnus videris, praesertim cum jactura caritatis proximo debitae, minimus, imo nihil es in oculis Dei, apud quem nemo est magnus,

nisi quantum sibimet quis viluerit, seque humiliaverit; ita Christus: *Omnis, qui se exaltat, humiliabitur: et qui se humiliat, exaltabitur.*

Non peto, Domine, in hac vita exaltari; quia forsan mihi funestum esset, meque in exitium ageret praecipitem. Malo millies in domo tua abjectus, humilis et parvus esse, quam magnifica habere officia, illustres honorum titulos ac praerogativas, gratiam et aestimationem principum. Meum mihi nihilum meaque peccata continuo ante oculos pone: instilla verum mei ipsius contemptum: fac me humiliationum Filii tui participem, ut certius ejusdem promissionibus efficiar dignus: *Exaltabitur.*

NB. Sequuntur Christi parabolae selectiores et s. matri Ecclesiae magis familiares.

Feria II.

Sapiens et stultus diversimode aedificantes.

(Matth. 7, 24. sq.)

PUNCTUM I.

Sapiens et stultus suam uterque domum aedificarunt expositam furori ventorum, procellis imbrium, fluminum inundationi. Scriptura vitam Christianorum comparat aedificio, Apostolus autem vocat *domum* spiritualem, *non manufactam.* (II. Cor. 5, 1.) Ubicunque vero aut quomodocunque hanc aedificaverimus domum, tempestatibus erit obnoxia. Felix ergo sapiens, qui eam aedificat *supra petram:* infelix autem stultus, qui eam *arenae* et fundamento ruinam minitanti inaedificat!

Porro differentia utriusque aedificii non in eo sita est, quod unum a ventis ac undis sit immune, non item alterum; utrumque enim habet, quas edomet passiones, vincat tentationes, ferat adversitates: sed hoc utriusque discrimen est, quod anima sapientis firmiter in principiis fidei et rationis stabilita supervenientibus non concutiatur assultibus; anima vero stulti illis destituta fundamentis facile labefactetur aut prosternatur, vel levissimis insultibus sustinendis impar.

Contremisco totus, Domine, legens in s. Scriptura, quod *stultorum infinitus sit numerus.* (Eccl. 1, 15.) Heu

me! dum meam vivendi rationem perlustro, possumne prudenter mihi persuadere, quod ex eorum numero non sim? Tui me Filii discipulum profiteor: at contentus doctrinas ejus dumtaxat credere, in opus haud deduco. At quo jure, qua de causa credo sancte et christiane, vivo autem profane et gentilium more? Certus sum, praevaricatoribus legis tuae paratum esse infernum: et libere eam violo, sperno, conculco, ceu fabula esset infernus aut nihil: Deum adoro humilem et cruci affixum: et superbia turgeo, immortificatus lascivio. Ah! libera me, o Jesu, a tam periculosa stultitia: et quoniam me inter tuos fideles servos censere dignaris, da gratiam, ut amem ac opere exequar, quae doces et praecipis.

PUNCTUM II.

Et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum stulti: *et cecidit, et fuit ruina illius magna;* fundata enim *erat super arenam:* h. e. super fidem vanam, mere speculativam et otiosam sine omni firmo animi proposito exequendi, quod creditur, aut debili solum ac elumbi id exequendi proposito instructam. Similis arena est *velleitas*, non voluntas seria operandi bene; est devotio genio ac naturali conveniens inclinationi; est bonum desiderium terrenis commixtum affectibus; est amor proprii judicii et voluntatis; est conscientia nimium confidens in talentis naturalibus, quae absque gratia Dei non valent perfectionis nostrae aedificium sustentare. Ejusmodi hominibus idem accidit, quod statuae Nabuchodonosoris contigit, exiguo *comminutae* lapillo, quia *fictilibus* insistebat pedibus seu fundamentis.

Bene ergo dispice, anima mea, cui tu fundamento velis inaedificare. Tu nihil minus intendis, quam domum aedificare, quam Deus virtutum velit incolere: id efficere est opus et molimen hominis vere christiani aut religiosi, qui re ipsa debet esse templum Dei. Ergo diligenter attende, cui fundamento velis inaedificare. *Ne innitaris prudentiae tuae* (Prov. 3, 5.), nec dotibus naturae, nec fervori temporario ac instabili, nec vacillanti ac semimortuae fidei: secus brevi corrueret domus tua, primae

succumberes tentationi, simul una gratiam Dei, dona Spiritus Sancti, et omnes, quae caritatem comitantur, virtutes misera amitteres.

Ita sane, o Deus, dudum praesagiisti his verbis: *Erit ruina domus magna*, quae *super terram et sine fundamento fuit aedificata.* (Luc. 6, 48.) Veritatem hujus oraculi affatim nobis experientia demonstrat. Quot Christiani sanctis Evangelii tui doctrinis parum stabiliti exiguam, quae in cordibus eorum residebat, fidem penitus amiserunt? quot religiosi sanctam vocationem? Quanto eheu! fragore et scandalo istae domus corruerunt? Domine, qui gratiam mihi largiris, funestos ejusmodi casus et lapsus timendi, adeo firmiter in te tuoque Filio me stabilias, precor, ut inter tempestates, quas ad me dejiciendum mundus, caro et infernus assidue suscitant, semper inconcussus persistam.

PUNCTUM III.

Domus autem sapientis non cadit, sed firma stat, *fundata enim est super petram:* h. e. super fidem vivam et caritate animatam, quae est vinculum omnium virtutum et perfectionis. Quid autem agit sapiens, ut sit adeo firmus? Nimirum non cessat continuo rimari et fodere 1. per profundam defectuum suorum meditationem, donec pertingat ad veram nihili sui cognitionem, in qua persistit immobilis. 2. Per continuam sui mortificationem, quia ipse cor suum ab omni arena inconstantiae evacuat, Deus autem suo illud amore vicissim replet.

Tunc omnes intendis nervos, anima mea, ut quotidie in tui cognitione et contemptu proficias? hoc enim initium ac fundamentum debet esse tui spiritualis aedificii. Quo profundius jeceris fundamentum, eo solidius stabit aedificium: et quo minus aestimationis ac amoris proprii retinueris, eo magis cresces in contemplatione ac amore perfectionum divinarum: hoc modo tuis diffidens viribus, et in solo omnigenae sanctitatis lapide fundamentali Jesu Christo stabilita fidenter cum Apostolo dices: *Quis nos separabit a caritate Christi? tribulatio? an angustia? an persecutio? Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque alia creatura poterit nos separare a*

caritate Dei, quae est in Christo Jesu Domino nostro radicata et fundata. (Rom. 8, 35. 38.)

Funda igitur, o Jesu, aedificium perfectionis meae super temetipsum et super imitationem virtutum tuarum, ut neque venti tentationum neque exundatio passionum, neque adversa, quae seu immittes, seu permittes, neque perversitas totius mundi, neque furor et portae inferi firmitatem meam possint unquam labefactare.

Feria III.

Parabola de seminante.

(Luc. 8, 5. sq.)

Vide meditationem Dom. Sexagesimae. Part. I. pag. 140.

Feria IV.

Parabola de zizaniis in agro.

(Matth. 13, 24. sq.)

Vide meditationem Dom. V. post Epiphaniam. Part. I. pag. 83.

Feria V.

Parabola de grano sinapis.

(Matth. 13, 31. 32.)

Vide meditationem Dom. VI. post Epiph. Part. I. pag. 104.

Feria VI.

Parabola de negotiatore, bonas margaritas quaerente.

(Matth. 13, 45. 46.)

PUNCTUM I.

Simile est regnum coelorum homini negotiatori quaerenti bonas margaritas.

Idem est hujus negotiatoris et cujuslibet hominis negotium. Omnes, quod bonum *videtur* ac pretiosum, quaerunt: at pauci, quod *revera bonum.* Aliqui temporalibus inhiant bonis, quae non raro verae ac aeternae felicitatis sunt obstacula: alii humanas sectantur scientias, quae *inflant*, non sanctificant. Non pauci morales solum et politicas affectant virtutes, ut *videantur* et habeantur

sapientes probique: neque tamen ob id sancti sunt. Soli verique Christiani amant veritatem, et virtutes quaerunt supernaturales, quae solae merentur appellari *bonae ac pretiosae*, quia solae nos possunt bonos et in conspectu Domini pretiosos reddere.

Laborasne, anima mea, de genuinis hisce unionibus thesauros tibi colligere? Semperne occuparis meditando aeternas veritates, quas docuit Christus? An cor tuum amore Jesu Christi ardet? studesne ejus virtutes imitari? Num omnes intendis nervos, ut crescas in caritate, obedientia, humilitate, et evadas tandem in virum multae orationis ac mortificationis? in virum a terrenis avulsum, et unice bonis coelestibus inhiantem? Eheu! quae tua fuit occupatio ex eo tempore, quo in mundo esse coepisti? Ah! infantiam consecrasti crepundiis, juventutem voluptatibus. Et cui modo aetatem jamjam adultiorem consecras? acquirendis nimirum inanibus scientiis, corradendis temporalibus bonis, aucupandae futili gloriae, simulandis veris virtutibus, non possidendis. Anima mea, si in isto rerum statu mors te opprimeret, quam funestus foret error tuus et hallucinatio! nam pro thesauro meritorum sola tibi paupertas ac nuditas tua restaret.

At modo fixum est, Domine, ratumque, nihil praeter te imposterum quaerere; in te enim solo veras reperiam divitias. Tu, tu ipse es ista incomparabilis *margarita*, quae roris instar de coelo in virgineum matris purissimae uterum descendit, ut esset humanae ornamentum naturae, nostrae pretium redemptionis, verus noster thesaurus. Da, ut omnia mundi bona contemnam; atque adeo praeter te aestimem nihil amemque.

PUNCTUM II.

Qua autem ratione vult Deus quaeri a nobis et inveniri uniones evangelicos? Utrumque fit ac fieri debet meditando, et per meditationem scrutando veritates fidei, nec non magnam de virtutibus christianis aestimationem concipiendo per ardentia desideria, ferventemque orationem, quae nihil non obtinet teste Christo: *Petite, et dabitur vobis: quaerite, et invenietis: pulsate, et aperietur vobis.* (Matth. 7, 7.)

Serione evangelicas hasce margaritas invenire cupis, anima mea? ad inveniendum satis est eas desiderare ac petere a Deo. Satis est sincero eas animo quaerere in exercitiis pietatis, in lectione spirituali, in frequentatione sacramentorum, praesertim Eucharistiae, ubi tamquam in concha continetur haec margaritarum longe pretiosissima.

Quam facile, o Deus, et in expedito tibi servientibus positum est ditescere! tu promptior es ad largienda nobis tua dona, quam nos ad acceptanda. Ut iis repleamur, satis est os aperire et dicere, quod ea desideremus: *Os meum aperui, et attraxi spiritum.* (Psal. 118, 131.) In nostra situm est potestate, fere pro nihilo a te veras mercari margaritas, h. e. gratias ac virtutes: tu paratus es prodige illas in nos profundere. Vae nobis, si, dum tantillis possumus ditescere impensis, tanta negligamus lucra! Ah! fac, Domine, ut tanta saltem diligentia et studio aeternos conquiram thesauros, quanta mercatores quaerunt perituros.

PUNCTUM III.

Negotiator, *inventa una pretiosa margarita abiit, vendidit omnia, quae habuit, et emit eam.*

Unica haec et pretiosissima margarita est *perfectio evangelica*, in se omnes complectens virtutes, praesertim caritatem, quae est *vinculum perfectionis* (Coloss. 3, 14.): eam qui clare agnoscit, sine mora ejus capitur amore, fascinatur pulchritudine, et ad emendam, quantocunque constet pretio, rapitur; etenim, ut sponsa inquit, *si dederit homo omnem substantiam domus suae pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* (Cant. 8, 7.) Ita comparatae sunt animae Spiritu Sancto repletae. Omnes mundi thesauros arbitrantur ut stercora in comparatione evangelicae hujus margaritae: hanc ut sibi comparent religiosi, toti mundo renuntiant, nimis quam opulentos se esse rati, si omnimoda paupertate illam possint emere, ac possidere.

O coelestis perfectio! o caritas pretiosissima! o margarita inaestimabilis! quam felix, quam dives, quam contentus vivit, qui te invenit! Utinam te nossent homines! ad unum omnes te desiderarent, amarent, totius mundi pretio emerent. Felicem me, qui eam cognovi et pretium ejus!

O misericordissime Deus, qui dixisti: *Invenerunt me, qui non quaesierunt* (Isa. 65, 1.); quia tuis eos praeveniens inspirationibus ultro te ipsum eis ostendisti, clare eorum oculis nitorem hujus margaritae proposuisti, tot aliis occultatum: illis pariter, qui ad vitam religiosam apti sunt, emolumenta et valorem ejus clare demonstra, ut eam cum gaudio amplectantur: clarius adhuc illis, qui eam amplexi jam sunt: fac, ut ob id beatos se existiment; tibi, qui eos vocasti, aeternum gratos se sistant; viva felicissimae conditionis suae memoria incitati nullis parcant laboribus ac impensis, ut pertingant ad amoris tui perfectionem, h. e. ad finem sanctae vocationis suae.

Sabbato.

Parabola de filio prodigo.

(Luc. 15, 11. sq.)

PUNCTUM I.

Homo quidam habuit duos filios: et dixit adolescentior ex illis patri: Pater, da mihi portionem substantiae, quae me contingit. Et divisit illis substantiam. Et non post multos dies congregatis omnibus adolescentior filius peregre profectus est in regionem longinquam, et ibi dissipavit substantiam suam vivendo luxuriose. Et postquam omnia consummasset, facta est fames valida in regione illa, et ipse coepit egere. Et abiit, et adhaesit uni civium regionis illius: et misit illum in villam suam, ut pasceret porcos.

Tota adolescentis hujus infelicitas nata est ex immodica libidine paternam deserendi domum, suis fruendi bonis, genio et voluptatibus absque omni freno indulgendi. Haec scilicet omnium sunt initia scelerum, amor libertatis et libido non aliam quam voluntatis propriae ac sensuum gubernationem sequendi. Hac autem passione victi eo caecitatis prolabuntur homines, ut Deum suum deserant, ejus jugum excutiant, et omni voluptatum coeno sese immergant. Pro! in quos excessus et scelera non provolvuntur, qui a Deo recedunt, divinae expertes protectionis! at in quam simul miseriarum abyssum non

protruduntur! Incipiunt *egere* omni cibo spirituali et solatio animae: ex filiis Dei fiunt mancipia diaboli: solis pascuntur spurcitiis et *siliquis porcorum.*

Quae autem major posset excogitari miseria? qui tamquam filii Dei in domo Patris possent omni honorum et rerum abundantia affluere, procul a Deo abeunt, ut quaerant omnium jacturam bonorum spiritualium, indigentiam temporalium, nominis infamiam? qui sunt funesti libertatis partus et domestici libertinorum carnifices; nemo enim sceleratus non infelix.

Jam nos ipsos in prodigo hoc filio velut in speculo consideremus, et, cujus caecitatem nimis quam frequenter imitati sumus, imitemur poenitentiam, toto contriti pectoris affectu dicentes:

O Pater! o coelestis Pater! en alter ante pedes tuos prostratus jacet filius prodigus, qui, postquam infinita a te bona et dona accepit, profugus e tua domo impie tuo se conspectui et brachiis subduxit, ut genio suo ac effraenatae sensuum libidini posset litare. Infelix e tuo discessit conspectu, et omnia, quae ei liberalissime contulisti, *bona dissipavit*, brutorum in morem *vivendo luxuriose.* O mi Deus! quamdiu et quanta me patientia sustinuisti, plane infinita! Non contentus me in aetate juvenili ac dissoluta sustinere, ferociores ejusdem impetus cohibuisti, meque paulatim revocasti ad te, etiam cum a te quam longissime recessi. *Misericordias tuas in aeternum cantabo.* (Psal. 88, 2.)

PUNCTUM II.

In se autem reversus, dixit: Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus: ego autem hic fame pereo! Surgam, et ibo ad patrem meum, et dicam ei: Pater, peccavi in coelum, et coram te: jam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut unum de mercenariis tuis. Et surgens venit ad patrem suum.

Considera, quot et quibus veluti passibus ad Deum peccator redeat. 1. Ab excitante gratia Dei praeventus *redit* ad se, *ad cor*, et suam considerat miseriam. 2. Praesentem miseriae statum comparat cum praeterito, dicens: *Vadam, et revertar ad* statum *meum priorem,*

quia bene mihi erat tunc magis, quam nunc. (Ose. 2, 7.) 3. Suam quoque miseriam comparat cum felici statu justorum vere Deo servientium. 4. Ardenter desiderat ad Patrem suum coelestem reverti, seque in sinum misericordiae ejus conjicere. Hos motus Deus in homine suscitat, quem ad se et in viam justitiae cupit reducere: his utitur mediis ad eum finem consequendum; adversis, inquam, et calamitatibus, ut hominem cogat earum causas agnoscere, fontes obstruere, et ad eum, qui iis liberare possit, confugere.

Numquid et mecum pari ratione egit hic amantissimus Pater? Cum status mei et obedientiae Deo debitae oblitus me gubernationi ejus subtraxi, mearum passionum ultro factus mancipium, intolerabilem horum dominorum tyrannidem mihi clare ante oculos posuit, et suave Christi jugum denuo suspirare coëgit. Si nunquam miser fuissem, semper peccator permansissem: at mendax fuisset felicitas meque excaecasset: fausta mihi accidit calamitas, quae mentis oculos mihi aperuit, eosque ad salutis meae auctorem docuit tollere.

Tuae solum effectus misericordiae est, o Deus, quod voluptatibus meis et gaudiis amaritudinem, quae nauseam pariebat, insperseris, et in ipsis adeo peccatis materiam et causas ea detestandi mihi subministraveris. Paterna, quae vel errantem me nunquam deseruit, providentia tua noverat e malo elicere bonum, et affligendo peccatorem efficere poenitentem. Haec ipsa incomprehensibilis bonitas, qua indignus sum, non minus, ac mea, quae admisi, peccata, me confundit. Ita est: corde contrito palam profiteor: *non sum dignus vocari filius tuus:* adeo gloriosum ac illustre *filii* nomen non jam convenit misero et infami, qui non solum ad pascendos porcorum greges, sed usque ad serviendum diabolo sese abjecit. *Peccavi in coelum*, abutens ejus lumine ac influentiis ad te offendendum. *Peccavi coram te*, tuam deserens domum meamque voluntatem tuae praeferens. Non jam peto favores et delicias, quales tuis exhibes filiis. Sola, quam supplex peto, gratia est, ut me saltem in domum tuam et turbam servorum recipere, et inter hos infimum reputare digneris.

PUNCTUM III.

Cum autem adhuc longe esset filius, *vidit illum pater ipsius, et misericordia motus est, et accurrens cecidit super collum ejus, et osculatus est eum:* vixque dato veniam petendi spatio interpellavit deprecari volentem, et ad suos conversus famulos jussit illi *cito afferri stolam primam, annulum in manum dari*, convivium instrui, etc.

Hic admirari oportet infinitam Patris nostri coelestis caritatem, in hac parabola ad vivum expressam. Amabilissimus hic Pater peccatorem oculis misericordiae respicit, cum adhuc *longe est*, et necdum perfecte conversus. Festinans *accurrit* et occurrit, ut suis eum inspirationibus juvet poenitentiam perficere: additurus animos sua benignitate se illi conjungit, amplexum et *pacis osculum* impertitur in signum redintegratae penitus amicitiae: in hujus rei confirmationem, suam converso largitur gratiam, restituit amissa Spiritus Sancti dona habitusque virtutum supernaturales: in manum dat *annulum*, signum unionis secum innovatae: utque nihil desit solemnitati, magnificum ei parat *convivium*, scilicet *eucharisticum*.

O si peccatores infinitam Dei nostri bonitatem nossent! o si nossent, quam immensum propendeat ad eos in sinum suum recipiendos! ullumne reperire foret, qui non propediem rediret ad eum? qui non filiali cum fiducia in sinum misericordiae ejus convolaret? Aequissimum est, ut se tanto Patre indignos palam profiteantur. At vix os aperirent ad implorandam ejus clementiam, ne ille ocius paterna ipsis aperiet viscera, ut copiosos gratiae thesauros inde hauriant.

O Pater misericordiarum! apparet enimvero, te Patrem esse, et plus quam Patrem, omnibus longe meliorem patribus. Nec multitudinis, nec gravitatis scelerum rationem habes: satis tibi est, quod tui simus filii. Quantumcunque ingrati, rebelles, scelerati fuerimus, modo haec et plura confiteamur crimina, absque mora eorum oblivisceris, ut solum paternarum reminiscaris miserationum. Nulli parcis labori, nullis favoribus et blanditiis, tantaque ob conversionem nostram laetitiae

signa edis, ut justi quoque cum natu majore filii prodigi fratre invidiam possent ac aemulationem concipere, nisi pariter illis diceres: *Fili, tu semper mecum es, et omnia mea tua sunt.* O Pater, o amantissime Pater, majorne gratia et favor exoptari possit? quae *stola*, quod *convivium*, quis *annulus* queat pluris aestimari, quam ista felicitas: *semper tecum esse*, et nunquam separari a te nec in vita, nec in morte, nec in omni aeternitate?

Dominica XI. post Pentecosten.

Christus surdum et mutum sanat.

(Marc. 7, 32. sq.)

Vide Part. I. medit. Dominic. III. Quadrag. pag. 209.

Feria II.

De servo, qui domino suo debebat decem milia talenta.

(Matth. 18, 23. sq.)

PUNCTUM I.

Assimilatum est regnum coelorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis. Et oblatus est ei unus, qui debebat ei decem milia talenta. Cum autem non haberet, unde redderet, jussit eum dominus ejus venumdari, et uxorem ejus, et filios, et omnia, quae habebat, et reddi. Procidens autem servus ille, orabat eum, dicens: Patentiam habe in me, et omnia reddam tibi. Misertus autem dominus servi illius, dimisit eum, et debitum dimisit ei.

Servus iste, qui decies mille talenta debet, *homo* est, innumeris onustus peccatis, ceu totidem debitis adeo enormibus, ut ex se ipso pro illis satisfacere haud possit, ne quidem pro uno mortali, aeternis Orci flammis dignissimo. Unicum impetrandi veniam remedium superest sincere debitum confiteri, se profunde coram Deo humiliare, ejus implorare misericordiam, petere spatium divinae satisfaciendi justitiae, idque Deo juvante praestandi firmum ac efficax concipere animi propositum. Ita

comparatum Deus nunquam rejicit: imo plus, quam petat, ei largitur, dum mera ex gratia revocat damnationis sententiam contra eum minando prolatam, et liberaliter ei omne debitum remittit.

O quid non debemus tantae bonitatis Deo! quam nullius negotii res est placare iram ejus ac divinae satisfacere Nemesi! Ad extorquendum irati manibus fulmen, ad reddendam peccatori amicitiam ejus sufficit lacrimula, gemitus, et cordis contriti suspirium. Quis ergo justorum formidet eum accedere cum peccatis, ex fragilitate et inconsiderantia commissis? Solum opus est humili cum fiducia ad ejus misericordiam confugere: eadem, qua filius prodigus, humanitate, clementia, liberalitate ab amantissimo Servatore, cujus iram timent, excipientur.

Quam felix essem, Domine, si me, ut innocentes ejusmodi animas, solae premerent *infirmitates humanae!* At enim *iniquitatibus* scateo, quarum numerus et gravitas adaequant formidabile debitum servi, qui decem milia talentorum suo debebat domino. Agnosco, fateor, non minori ac ille dolore et confusione plenus. Tota veniae spes et consolatio mea inde fluit, o rex clementissime, quod tu plus habeas misericordiae, quam ego malitiae, et quod Deo infinitae majestatis, qualis tu es, dignum sit miserrimo, qualis ego sum, peccatori infinitam exhibere misericordiam.

PUNCTUM II.

Oblitus gratiae, a domino sibi collatae, *servus ille invenit unum de conservis suis, qui ei debebat centum denarios; et tenens suffocabat eum, dicens: Redde, quod debes.* Cum non haberet, unde solveret, supplex patientiam et inducias petiit: incassum. *Noluit ille*, crudelis, *eumque misit in carcerem:* quibus auditis *iratus dominus eum* pariter *tradidit tortoribus, quoadusque redderet universum debitum.*

Anima mea, vide et considera in isthoc servi crudelis et ingrati facto indolem tot Christianorum, qui, licet Patris coelestis clementiam in danda peccatorum, numero et gravitate enormium, venia sint experti, erga suos tamen fratres, et ejusdem Patris aeterni filios ob leves

injurias, verbis aut operibus sibi illatas, inexorabili cum severitate barbaros sese exhibent. Ast cogita simul, quo justitiae rigore iratus paterfamilias adeo injustam et ferocem agendi rationem vindicet. Gemitus, vel uni filio crudeliter oppresso eliciti, plenae sunt voces, quae coelos penetrant, iram divini Patris accendunt, fulmina provocant, ut eos feriat, qui fratrem suum conculcant. Tam pio et benigno corde Pater coelestis erga suos est filios! Quantumcunque ab iis offensus, miseretur. Ut lapsos sua erigat manu, aliud non requirirt, quam ut vere contriti cum poenitente David ei dicamus: *Tibi soli peccavi.* (Psal. 50, 6.) Si vero tantae obliti clementiae erga proximum simus crudeles, tum vero aliud nobis expectandum nihil, quam indignatio de ejus corde, sententia damnationis de ore, fulmina de manibus.

Quantam, o Deus, in hoc ipso rigore bonitatem agnosco! Protegis, defendis, vindicas oppressos: causam eorum suscipis, et tuae clipeo justitiae eos tegis. Cupis insuper, ut paternam hanc bonitatem imitemur omnes, et, licet paratissimus sis ad dandam nobis peccatorum veniam, tamen implacabilis es erga nos, si duri et surdi simus erga eos, qui nostrum implorant auxilium.

PUNCTUM III.

Sic (verba sunt Christi, parabolam concludentis) *sic et Pater meus coelestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.*

His verbis nos Christus docet, non modo externa reconciliationis verba illis dare, qui nos offenderunt, verum etiam *ex corde* ipsis ignoscere. 1. Quia fratres sumus, ejusdem in coelo Patris filii, atque adeo perfecta animarum unione conjungendi. 2. Quia eodem modo nobiscum agit Deus, nil amaritudinis et inimicitiae retinens in corde, postquam nos a peccatis absolvit. 3. Quia ipse absolutus est Dominus, et qua talis nos jubet omnem acerbam acceptae injuriae memoriam deponere, idque *ex intimo corde*, ideoque sincera, non simulata et apparente solum venia ignoscere; secus eadem nobis mensura remetiendum comminatur, qua servus erga conservum crudelis fuit mulctatus.

Si nos injuriam accepimus, eamne perfecta delevimus oblivione? an nulla ejus memoria superest in intellectu, vindictae spiritus in corde? Si ita est, num eam saltem hodie detestamur penitus? id certe petit ac imperat coelestis Pater: id lex amoris praecipit, quam tulit, ut filios suos vinculo amoris inter se uniat. Deponamus ergo ex reverentia et amore illius omnes inordinatos irae motus: divinam placabimus, si supprimamus nostram: Dei merebimur misericordiam, si aliis exhibuerimus nostram.

Ita est, Pater misericordissime, ita est. Ex toto corde omnibus ignosco, qui mihi injuriam intulerunt: omne illis debitum remitto, idque non solum, ut tuo morem geram mandato, sed et ut tuam imiter clementiam. Et vero (qui tuae excessus bonitatis est) in hac ipsa imitatione fontem gratiae solidaeque consolationis reperio; certus enim sum, tuam mihi timendam haud esse justitiam, si proximo exhibuerim misericordiam; et omnia, quae contraxi, debita et peccata deletum iri e tuo debitorum libro, si omnes injurias, ab inimicis et persecutoribus illatas delevero e memoria.

Feria III.

De villico, bona domini dilapidante.

(Luc. 16, 1. sq.)

Vide Part. II. medit. Dom. VIII. post Pent. pag. 46.

Feria IV.

De operariis in vineam missis.

(Matth. 20, 1. sq.)

Vide Part. I. medit. Dom. Septuages. pag. 122.

Feria V.

Parabola de vinea.

(Matth. 21, 33. sq.)

PUNCTUM I.

Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam, et sepem circumdedit ei, et fodit in ea torcular, et aedificavit turrim, et locavit eam agricolis; et peregre profectus est.

Vinea, ut jam notavimus praecedenti meditatione, est Ecclesia Jesu Christi. Sedulitas ac providentia, qua eam curat, in tribus praecipue elucet, per *sepem*, *torcular et turrim* significatis. Per *sepem* denotatur protectio angelorum ipsiusque Dei, fideles suos velut scutum inexpugnabile defendens contra mille pericula.

Torcular typus est sacramentorum, in quibus Jesu Christi sanguis trabe crucis expressus colligitur, cujus virtute venia peccatorum et *purum caritatis vinum* nobis communicatur. Inter illa autem primas vices tenet sacrosanctum Eucharistiae sacramentum, ubi Christus ipsum corpus ac sanguinem suum nobis offert. *Turris* singularem Dei providentiam designat, qua in bonum Ecclesiae et singulorum, ex quibus conflatur, fidelium futura a longe prospicit.

Quid ultra, quid utilius tibi facere poterat paterfamilias coelestis, o anima mea? poteratne fortiorem tibi *sepem* circumdare, quam sepem omnipotentis suae protectionis et custodiae angelorum? Aut num potuisses ipsamet jucundiorem desiderare *potum*, quam pretiosissimum Jesu Christi sanguinem? An forte altior atque securior queat esse *turris*, quam ipsamet Dei providentia, tuae semper intenta saluti? Numquid autem Deus, qui totum se, ut te protegat, ita impendit, jure meritissimo fructus a te expectat suo dignos labore et cura?

Enimvero aequius erat nihil, o Deus, quam ut tot beneficiis in me congestis per abundantiam bonorum operum responderem. At eheu! terra ego ingrata et sterilis nil nisi tribulos et labruscas protuli: cogitationes, inquam, frivolas et inutiles, affectus mere naturales, opera tuis displicentia oculis. Ah! Domine, qui tot me gratiis cumulasti, noli earum fluxum sistere. Si aliquamdiu in poenam tepiditatis meae *peregre* abiisti a me, iterum appropinqua mihi, ut praesentia et gratia tua meam vincant ingratitudinem ac sterilitatem: ex animo utramque detestor, et fore spero, ut imposterum abundantes in tuam gloriam fructus producam.

PUNCTUM II.

Cum autem tempus fructuum appropinquasset, paterfamilias *servos suos*, denique *et filium ad agricolas*

misit, ut fructus colligerent. At, qui colendo vineam quaestum domini sui tenebantur curare, neglecta hac obligatione et omni humanitate et servos et filium contrucidarunt.

En injustitiam et crudelitatem hominum! Post occisos tot prophetas, quos coelestis paterfamilias illis miserat hortatores, ut suam operarentur salutem, ne Filium quidem ipsius habuerunt mitius, sed eum noluerunt audire, de propria ejecerunt vinea, gentilibus traditum cruci affixerunt.

An non ego quoque aures praeclusi monitis concionatorum, quos Deus misit, ut me ad poenitentiam excitarent? Numquid *Spiritum extinxi* ad cor meum loquentem? Nonne peccatis meis ipsam Filii divini passionem renovavi et mortem? toties nimirum, quoties sanctissimam ejus legem proculcavi. O saevitiam! o detestandam ingratitudinem!

Si autem eo proterviae non sim progressus, at quoties saltem gratias reddidi inutiles? Quem hausi fructum ex usu sacramentorum? quem ex tot internis motibus? ex tot disertis adhortationibus? ex tot favoribus et blanditiis, quibus, o Deus, me ad sublimem vocabas et trahebas perfectionem? O Pater coelestis, quid, obsecro, reperiebas in me, quod tam singulares merebatur favores ac praerogativas? O divinissime Fili, cur ingratam hanc vineam adeo diligis, ut tuo eam irriges sanguine? Ah! tantum a me malum averte, ut illum pedibus conculcem. Hoc enimvero scelus foret omni crudelitate atrocius. Fac potius, ut in me non sit infructuosus, sed ut cor meum irriget, et foecundum reddat ad proferendos omnium virtutum fructus.

PUNCTUM III.

Absoluta hac parabola dixit Christus ad pharisaeos: *Cum ergo venerit dominus vineae, quid faciet agricolis illis? Ajunt illi: Malos male perdet, et vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddent ei fructum temporibus suis. Dicit illis Jesus: Ideo dico vobis, quia auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus.*

Suo se responso condemnant Judaei. Filius Dei, qui ipsa aequitas est et veritas, eos adigit ad profe-

rendam contra se ipsos sententiam reprobationis, antequam ipse declaret, *regnum Dei*, quo se indignos reddebant, *auferendum ab ipsis* esse et dandum gentibus, eo melius usuris. Et vero ademit Judaeis sacramenta, sacrificia, templa, leges sanctas, et cum vero Dei cultu veram Religionem, et haec omnia ad gentes, ex quibus suam constituit Ecclesiam, transtulit.

Disce, anima mea, ex terribili hujus reprobatae gentis supplicio simile exitium devitare, probe memor, quod Deus illos, a quibus deseritur, deserat, et fidem ab uno regno in aliud, ab indignis transferat in digniores. *Tene, quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* (Apoc. 3, 11.)

Imo tuum est, Domine, qui tuos cognoscis servos in misericordiae tuae thesauris, illam conservare coronam justitiae. A te uno dependet structura sanctae civitatis Jerusalem, quam in corde nostro aedificas architectus simul et lapis fundamentalis: frustra diu noctuque vigilat, qui custodit eam, nisi tua illam custodias providentia. Omnes intendam nervos, ne fidem, caritatem, et ardentia, quae mihi inspirasti, perfectionis desideria amittam. Sed enim post debiles hos conatus omnia haec dona et thesauros mihi auferent inimici, ni tua ipsemet custodias et conserves dona.

Feria VI.

Parabola de decem virginibus.

(Matth. 25, 1. sq.)

PUNCTUM I.

Simile erit regnum coelorum decem virginibus, quae accipientes lampades suas exierunt obviam sponso et sponsae. Quinque autem ex iis erant fatuae et quinque prudentes: sed quinque fatuae acceptis lampadibus non sumpserunt oleum secum: prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus.

Regnum Jesu Christi est *Ecclesia* seu coetus fidelium, adventum ejus expectantium, ut judicet mundum, suasque cum sponsa sua, triumphante scilicet Ecclesia, nuptias

celebret. Ad sponsum excipiendum omnes sese praeparant, hoc tamen discrimine, quod *prudentes omnia* parent excipiendo digne sponso necessaria: *fatui* autem dumtaxat partem eorum. Hi similes sunt fatuis virginibus, quae *parum* olei habent in suis lampadibus, *nihil* autem in vasis: lumen habent veritatum, sed deest illis unctio et oleum virtutum: lampades habent externis splendentes operibus, at internis vacuas pietatis affectibus. Virginitatem habent et integritatem corporis: ast carent puritate spiritus. Statum perfectionis profitentur, pleni imperfectionibus. Quanta fatuitas ita se praeparare ad sponsum excipiendum!

Prudentes vero, qui sub figura virginum prudentum adumbrantur, non contenti lumine fidei ac veritatum ingentem ad eas opere exercendas fervorem exerunt: fidei jungunt caritatem, bonis operibus pietatem, animae puritatem puritati corporis, morum sanctitatem sanctitati status.

O prudentiam nunquam satis obstupescendam, omni imitatione dignissimam et veris propriam Christianis, qui faciunt, quod credunt, et ita se praeparant, ut, quod in futurum sperant, mereantur recipere! Sumne autem ego ex hac beata prudentum turba? an potius ex infausto fatuorum grege, qui amore temporalium bona negligunt aeterna?

O Deus animae meae, da mihi veram hanc prudentiam, ut in corde meo, velut in lampade semper ardente, et lumen veritatum aeternarum, et sanctum virtutum christianarum oleum habeam, h. e. omnia ad id necessaria, ut te digne possim excipere, et ad nuptias agni venire.

PUNCTUM II.

Moram autem faciente sponso dormitaverunt omnes et dormierunt. Media autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obviam ei. Tunc surrexerunt omnes. . . Et quae paratae erant cum lampadibus, *intraverunt cum eo ad nuptias.*

Sponsus moras facere omnibus videtur, quia omnes longam sibi vitam promittunt; hinc etiam boni *dormitant* quandoque, et in levia peccata prolabuntur: mali autem

profundo *dormiunt* peccati mortalis somno, verius lethargo. Interim *media nocte*, h. e. nil tale cogitantibus quoddam accidens, casus aut morbus supervenit, et Christi, sponsi simul ac judicis, adventum nuntiat, qui ut blandus et amans sponsus venit ad justos, ut severus judex ad peccatores.

O quanta justorum, qui per virgines prudentes designantur, est felicitas, si omnibus ad sponsum rite excipiendum necessariis in vita sunt instructi et parati, ut cum sponso ad nuptias in coelo solemniter celebrandas admittantur! O quantis tunc exultabunt laetitiis, eo quod in tempore ad illud festum se praeparaverint! Quanta erit jucunditas videntium, se suo conjunctos dilecto, eum possidere sine metu amittendi unquam, cum angelis aeterna ipsius Dei beatitudine frui!

O mi Deus! quam splendens erit illarum lampas lumine gloriae illustrata! quam ardens puro ac perenni caritatis igne, quem tu fovebis aeternum! quam suave illis erit oleum divinae consolationis tuae! quantis illos gaudiis inundabit securitas, quod perpetuo secuturi sint agnum, quocunque ierit! O felices mortalium labores, quos tam dulcis quies excipit! Et hic, Domine, meae fons et causa est admirationis; at simul meae scopus est spei, imo erit aeternae beatitudinis meae, si, quam supplex peto, gratiam mihi largiaris continuo conservandi in meo intellectu lumen tuarum veritatum, in corde amorem infinitae pulchritudinis tuae.

PUNCTUM III.

Virgines fatuae, postquam expergefactae oleum nec suis in lampadibus repererunt, nec precibus impetrarunt a prudentibus, ad vendentes abierunt, empturae oleum. At reduces venerunt sero, et sponso ad nuptias jam ingresso frustra clamitarunt: *Domine, Domine, aperi nobis*, ille enim clausa janua respondit: *Amen dico vobis: Nescio vos.*

En! hic est finis stultitiae tot animarum, quae gravi peccatorum somno jacent sepultae. In morte videntes, suas extingui lampades, quia necessarium ad fovendam caritatis flammam oleum devotionis non sumpserunt

secum, ad justos confugiunt, supplices, ut secum communicent oleum: sed frustra; merita enim sunt operantis personae, et alteri non possunt communicari: non alienum, sed suum quilibet lumen et ignem caritatis secum gerit in lampade: nec tunc erit emendi tempus. Instat summa dies et hora: mors urget: porta coeli clauditur, nunquam amplius reseranda.

Anima mea, ne simili involvaris malo, ad sponsi adventum mature te praepara, et, cum nescias, quandonam sit venturus, semper esto parata. Cura, ut abunde tibi prospicias de hoc oleo ita necessario, quodque sponsus ipse gratuita liberalitate tibi offert, aut levi, aut prope nullo emendum pretio. Suam sponte offert gratiam: suis te praevenit inspirationibus. Per te solam stat, ut christianas virtutes obtineas. Neque desunt tibi nunc patroni ac deprecatores, quorum suffragiis gratiam, caritatem et omnia Spiritus Sancti dona possis impetrare. Ah! noli, quaeso, tam pretiosum tempus perdere; maxime autem tempus mortis observa, ut rite et sancte ad eam te pares.

Hanc mihi gratiam, Domine, omnibus sanguinis tui guttis promeruisti: grandi hoc pretio eam emisti. Per haec ipsa pretiosissimi sanguinis tui merita eandem a te gratiam supplex precor: sanctas nimirum *amoris et puritatis* dispositiones, quas sponsus in animabus requirit. En Domine: totum tibi hodie cor meum aperio: intra cum omni bonitate, ut vicissim digneris aliquando aperire mihi portas coeli, ubi vivis et regnas in saecula saeculorum.

Sabbato.

Parabola de talentis.

(Matth. 25, 14.)

PUNCTUM I.

Homo peregre proficiscens vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua; et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum, unicuique secundum propriam virtutem.

Per *talentum* certa intelligitur summa ad id necessaria, ut cum Deo negotiari, nostraque apud ipsum lucra

spiritualia possimus augere. Jam vero haec summa consistit in bonis animi et corporis. 1. In bonis *naturae:* qualia sunt vires corporis, sensuum et ingenii vivacitas, etc. et praecipue naturale lumen rationis. 2. In bonis *fortunae* aut *industriae:* qualia sunt opes, honores, scientiae, artes, etc. 3. In bonis *gratiae:* puta in virtutibus supernaturalibus fidei, spei, etc. Item in ipsamet gratia, caritate, virtutibus et donis illam comitantibus, nostramque negotiationem, merita et gloriam augentibus. Deus, qui haec bona tamquam media salutis et perfectionis ex mera liberalitate in singulos homines dispensat, ex aequali sapientia illis distribuit *inaequaliter* sine ullius injuria. Nostrum est illud, quod et quantum nobis donat, grato recipere animo et eo bene uti.

Num ita usa es, anima mea? Quaecunque possides talenta, a Deo sunt donata: an propterea quotidianas dicis grates? tradidit ea tibi, ut fructum et usuras ferant: tuleruntne hactenus? Quomodo impendisti nobilitatem stemmatis, suavitatem indolis, propendentem ad omne bonum voluntatem, intellectum scientiis, eruditione, et mentis perspicacia illustratum? Qui usa es gratiis supernaturalibus, queis te Pater misericordiarum praevenit? Cogitasne, anima mea, quod severam de omnibus rationem a te sit exacturus?

O Domine, terribilem illum diem, tremendum illud mortis momentum, quo severam de usu talentorum rationem exiges, meae continuo menti objice, ut ejus consideratio me reddat semper vigilantem, impellatque summa mihi tradita bene uti, negotiari, foenerari. Ad hoc tuam mihi largire gratiam; sicut enim sine te carerem talentis, ita sine te fructum et quaestum non ferrent. Meum est totis viribus contendere, ut tuis, quibus me praevenisti, respondeam gratiis: at tuum est, eas reddere efficaces, et tam copiose meis laboribus benedicere, ut dignus sim, qui inter electos in regno tuo collocer.

PUNCTUM II.

Abiit, qui quinque talenta acceperat, et operatus est in eis, et lucratus est alia quinque: similiter et qui duo talenta acceperat, lucratus est alia duo, ita, ut

dominus, domum reversus, utrumque laudaverit his verbis: *Euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui.*

Uti nemo potest jure de talentis suis gloriari, quia Dei sunt dona, ita verum hominis meritum et spiritualem profectum non abundantiâ aut magnitudo talentorum facit, sed bonus eorum usus. Aeque laudari a Christo meretur et *in gaudium Domini sui intrare*, qui duobus, quam alius, qui talentis quinque bene usus est. Nec minorum ille, qui unum dumtaxat accepit, laudem praemiumve tulisset pro suis meritis, si aliud lucrari allaborasset *secundum virtutem suam* et capacitatem.

Profunde cordi nostro consolatoriam hanc veritatem imprimamus. Ut Deo placeam et faciam satis, pluribus non est opus, quam ut de talentis traditis quaestum faciam. Qui minus accepit, minorem debet rationem reddere. Contentus mecum est Deus, si reddo, quod possum. Si unum dumtaxat accepi talentum, dummodo aliud adhuc in manibus meis reperiat, hoc exiguum, quod fecero bonum, probabit, quia feci juxta mensuram gratiae ab eo communicatae.

O quam bonus es, Domine! quam liberalis erga servos tuos, approbans, laudans, remunerans minima, quae tibi praestant, obsequia! Non multitudinem, non magnitudinem externorum postulas operum, cor petis: bonam voluntatem, fervorem petis: haec tuam merentur approbationem, beneplacitum, illamque laudem: *Euge serve bone, et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui.* Quam laetus moritur, qui verba haec ex ore tuo percipit, o Jesu! O gaudium immensum! o deliciae aeternae! o felix labor, qui nobis promissum a te gaudium comparabit: *Gaudium* plenum, quod *nemo tollet a nobis.* (Joan. 16, 22.)

PUNCTUM III.

Accedens autem et qui unum talentum acceperat, ait: Domine! scio, quia homo durus es, metis, ubi non seminasti, et congregas, ubi non sparsisti: et timens

abii, et abscondi talentum tuum in terra! ecce habes quod tuum est. Respondens autem dominus ejus dixit ei: Serve male, et piger, sciebas, quia meto, ubi non semino: oportuit ergo te committere pecuniam meam numulariis, et veniens ego recepissem utique, quod meum est, cum usura. Tollite itaque ab eo talentum, et date ei, qui habet decem talenta.

Piger iste servus figura et typus est complurium, qui, nescio quas, sibi imaginantur aut fingunt difficultates, ut suam, qua vere torpent, pigritiam tegant. Sentiunt quidam, vi interna ad orandum se trahi: at hoc orationis talentum otiose sepeliunt, ne, ut ajunt, illusionibus daemonis se exponant. Alii sunt praediti talento concionandi animasque convertendi: at in terra, otio et solitudine sua illud tumulant, causantes periculum, ne, dum servant alios, se ipsos perdant. Verum hi tandem eo infelicitatis prolabuntur, ut divinas denique et evangelicas leges servare detrectent, fingentes sibi in iis servandis difficultates non superabiles.

O execrandam caecitatem volentium suam justificare pigritiam, Deum infinite bonum accusando asperitatis immodicae! cum tamen nihil a suis exigat creaturis, cujus praestandi facultatem ac talentum non prius elargitur, adeo remotus a colligendo, quod non seminavit, ut etiam frequenter et large seminet in terra prorsus ingrata, quam praevidet exiguos fructus reddituram.

Non, Servator amantissime, utique non imperas nobis, nisi quae possimus exequi, et quidem facili per gratiam tuam labore; *jugum* enim *tuum suave est, et onus tuum leve.* (Matth. 11, 30.) Quo diutius portatur, eo minus sentitur onus: imo tantundem vires augeri sentimus, quantum eas intendimus. Nil tuis in mandatis est timendum, nisi solus timor laboris. Securi sumus, nec minimam in bono talentorum usu sollertiam lucro, foenore, ac aeterna mercede carituram. O Deus misericordiarum! ignosce, quaeso, quod talenta mihi concessa hactenus occultaverim: tua mihi gratia assiste, ut saltem imposterum iis ad vota tua bene utar, ne cum servo nequam iis privatus ejiciar in tenebras exteriores.

Dominica XII. post Pentecosten.

De eo, qui incidit in latrones.

(Luc. 10, 30. sq.)

PUNCTUM I.

Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum, et plagis impositis abierunt, semivivo relicto.

Hic homo omnes refert homines Adami filios, qui exemplo protoparentis sui, cum aliquando in gratia et amicitia Dei fuerint, adeoque designati supernae Jerusalem haeredes, per fatalem inconstantiam, cujus *Jericho*, (*mutabilitatem* enim *lunae* significat) typus est, felici sorte sua excidunt, et incidunt in manus latronum seu daemonum, qui omni gratiae ornatu eos despoliant, omnes animae potentias perturbant, semivivos relinquunt impositis gravibus plagis, dum eorum obfuscarunt intellectum, liberum afflixerunt arbitrium, innatam ad bonum appetitionem corruperunt, et tantum non extinxerunt imperfectam, quae sola remanet, fidem et tenue rationis lumen, tristes vitae semiextinctae reliquias, et certos aeternae mortis prodromos.

En tristem et nimis quam veram tui ipsius imaginem, anima mea! Quia male usa es gratiis in baptismo acceptis, in manus latronum incidisti, daemonum inquam, hostium tibi infensissimorum, aut verius eorum manibus te ipsam ultro tradidisti; si enim vel obiter restitisses, omnes in fugam conjecisses, Dei et angeli custodis ope, modo invocasses, affatim tuta. Nunc autem miseram te, quod gratiam amiseris, omniumque coeli donorum jacturam passa sis! Eheu! quot lethiferas infelix accepisti plagas! *a planta pedis usque ad verticem non est in te sanitas:* (Isa. 1, 6.)

Aeterne hominum creator Deus, qui nostrum protoparentem in statu originalis gratiae condidisti, et, postquam hanc venustatem amiserat, me ipsum gratia sanctificante in baptismo exornasti; nostine me adhuc ab illo tempore, quo candidissimam gratiae stolam, qua in baptismo tua me bonitas condecoravit, peccando ob-

fuscavi, tot plagis turpiter deformatum, quot peccatorum contra divinam majestatem tuam commissorum reum?

Tuae oculos misericordiae conjice in me, o Jesu! miserere mei, hominis infelicissimi. Quod superest vitae, tua mihi bonitate conserva, secus eam peccata mea adiment, nisi tua illam protrahas et corrobores gratia.

PUNCTUM II.

Accidit autem, ut sacerdos quidam descenderet eadem via: et viso illo praeterivit. Similiter et Levita, cum esset secus locum, et videret eum, pertransiit: Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum, et videns eum, misericordia motus est.

Omnes legis antiquae sacerdotes cum omni sua potestate non poterant nostra animarum vulnera curare, sed hoc reservabatur summo legis novae sacerdoti Christo Jesu, qui verus est Samaritanus, *pertransiit benefaciendo, et sanando omnes.* (Act. 10, 38.) Hic nostrae tactus misericordia calamitatis, a coelesti Jerusalem in terras descendit, et inter homines more hominum familiariter vixit, propterea habitus peccator et *Samaritanus*, h. e. homo, ut Judaei opinabantur, detestabilis.

Inde solum, anima mea, opportunum peccatis nostris poterat venire remedium. Deo opus erat humiliato, qui nostram curaret superbiam; opus erat exinanitione Verbi incarnati, quae nos e miseriarum barathro, in quod nos protoparentis nostri inobedientia praecipitavit, extraheret. Moyses *pertransiit* cum omnibus prophetis, sacerdotibus et Levitis antiquae legis, et quoniam ipsimet graviter sauciati curatione indigebant, nostrae infirmitati non poterant mederi.

Nimirum curatio haec, o coelestis *Samaritane, custos*, et protector afflictorum, non poterat alterius, quam omnipotentis tuae caritatis effectus esse. Tu solus nos potuisti e manibus hostium eripere, inflicta ab his vulnera alligare, nosque in eum felicitatis statum elevare, ut quodammodo haud poeniteat per Adamum excidisse statu innocentiae. Grates tibi immortales pro tanto amore ac misericordia nobis exhibita, remedium afferendo

malis nostris, quae omnino permansissent sine remedio, nisi infinita bonitas tua venisset auxilio.

PUNCTUM III.

Et appropians ad sauciatum Samaritanus, *alligavit vulnera ejus, infundens oleum et vinum: et imponens illum in jumentum suum, duxit illum in stabulum, et curam ejus egit.* Coactus autem die altera proficisci, rogavit stabularium, ut curam illius haberet, nihilque ad recuperandam sanitatem opportunum omitteret. Transeamus modo a figura ad figuratum seu rem ipsam.

Jesus, amantissimus noster Samaritanus, animam accedit peccatis suis graviter sauciatam, quae ne quidem cogitaret te quaerere, o Servator, nisi tua eam praevenires gratia. Primam ipse vulneribus adhibes medicinam: et quis alius id posset, nisi tu, qui solus potes nostrarum cohibere torrentem passionum, et vulnera alligare funibus, qui tempore passionis manus tuas ligarunt? Oleum autem et vinum, vulneribus nostris infusum, quid sunt aliud, quam sacrum pretiosissimi sanguinis tui balsamum, per sacramenta in animas nostras defluens, ut leniat malum, curetque? Ulterius tua progreditur caritas. Nostros in te morbos et peccata transfers. E via, ubi a latronibus sauciati fueramus, nos abducis. Occasiones nobis, nosque occasionibus subtrahis nova admittendi peccata, nova accipiendi vulnera. Denique nos in hospitium seu domum ducis tutam et convenientem, h. e. in gremium Ecclesiae tuae, ubi omnia suppetunt ad integram sanationem nostram necessaria.

O infinita Jesu mei caritas! O supreme animarum archiater! Qui dignas ego grates tibi possim reddere pro tantis, quibus me obruis, favoribus? Laudent te propterea omnes creaturae, et anima mea in tuis laudibus colliquefiat; etenim solatiis affluens, majore valens robore, hostium insidiis liber, per gratiam tuam non modo in Ecclesia, ubi nullum mihi deest salutis medium, sed in tua domo, in domo religiosa dego, ubi opportunis abundo mediis ad sublimem eluctandi perfectionem.

NB. Ut in meditatione nostra exardescat ignis caritatis erga Deum, sequuntur selectae ad id quaedam meditationes de essentia, perfectionibus ac beneficiis Dei.

Feria II.

De existentia Dei.

PUNCTUM I.

Datur Deus, h. e. Spiritus quidam supremus, aeternus et inaspectabilis, finis principiumque rerum omnium, quas sua creavit omnipotentia, gubernat sapientia, et ad se ipsum, qui omnium fuit principium, dirigit tamquam ad finem ultimum. Mundus est grandis ille liber, cujus singula folia hanc veritatem *datur Deus* nos docent. Coeli docent cum stellis, aër cum avibus, mare cum piscibus, terra cum animantibus, plantis, et omnibus mixtis: verbo: creaturae ad unam omnes eandem nobis veritatem inculcant, uno ore clamantes: *Ipse fecit nos, et non ipsi nos* (Psal. 99, 3.); ordo enim adeo concinnus, harmonia inter eas adeo constans non possunt a casu fortuito provenire, sed effectus sunt supremi cujusdam intellectus, qui solus omnia omnium nationum obsequia, cultum, latriam meretur.

Utique *datur Deus*, anima mea, qui totum hunc aspectabilem mundum creavit, conservat, gubernat. Atque haec prima est summique momenti veritas, quam fronti suae insculptam quaevis creatura velut digito nobis demonstrat, suaque enuntiat lingua: ut de eadem veritate penitus convincamur, solum opus est aperire oculos: et non poterimus non exclamare cum propheta: *Quis ignorat, quod omnia haec manus Domini fecerit.* (Job 12, 9.)

Nemo id ignorat, Domine! nemo potest ignorare, te auctorem esse omnium, quae in mundo videmus bona, pulchra, grandia, magnifica. Maximopere gaudeo, quod tua ubique vestigia conspiciam, omnibus creaturis impressa. Totus exulto, quod aestimare nihil possim, nihil amare, quod me non ducat ad te tamquam omnis amabilitatis fontem, doceatque te infinite aestimandum magis et amandum esse: ita docent me omnes, quibus undique cingor, creaturae: omnes mihi loquuntur de te, tuas praedicant perfectiones, mihique non minus quam coeli *tuam enarrant gloriam.* (Psal. 18, 2.) *Benedicite*

ergo, *benedicite omnia opera Domini Domino: laudate, et superexaltate eum in saecula.* (Dan. 3, 57.) Ego quoque in id unum posthac incumbam, ut vobiscum laudem et glorificem illud *esse supremum*, quod solum mea meretur obsequia, amorem, cultum.

PUNCTUM II.

Datur Deus. Etsi ex utero matris fuissem caecus, omni carens facultate legendi evidentia, quibus coelum et terra, dies et nox existentiam Dei enuntiant, testimonia, ad demonstrandam tamen eam veritatem abunde sufficeret me ipsum consulere, ac penitius intueri; *lumen* enim naturae, quod Deus velut radium et splendorem vultus sui signavit super nos, docet me, quod *bonum* est, simulque ducit in cognitionem *boni* cujusdam *supremi*, ex quo bonum omne promanat. 2. Structura mei corporis, quod sane meretur nomen *microcosmi*, h. e. parvi mundi, magnum loquitur *architectum*, et supremum quendam intellectum, cujus sum opus. 3. Spiritus, qui me animat, digito alium demonstrat et supponit *Spiritum*, toto diffusum mundo, et a nemine dependentem; neque enim considerare possum meae excellentiam animae, potentiarum nobilitatem, et stupendam operandi vim, ita ut anima, quotiescunque voluerit, momento citius possit coelum et terram cogitando permeare: haec, inquam, considerare non possum, quin ocius cognoscam, diligam et admirer auctorem eorum et *artificem*, qui has animae perfectiones in gradu infinite perfectiori debet possidere.

O dignam hominis occupationem et studium! frequenter se ipsum ingredi, in imo cordis sui adyto tacite contemplari relucentia in se conditoris vestigia, et cum propheta eidem fateri: Domine, *mirabilis facta est scientia tua ex me.* (Psal. 138, 6.)

Ita est, Domine: si enim in corpore tam vili et de terra formato spiritum adeo nobilem, animam nimirum, quae corpori dat esse et vivere, tamque stupendas operationes producit, inclusisti, mirumne videatur mihi, aut minus necessarium, quod tu sis in medio hujus mundi ceu Spiritus, qui illum gubernat: per quem, et

in quo vivimus, et movemur, et sumus? (Act. 17, 28.) Tu nostrarum anima es animarum: in eo solo exultamus, quod te habeamus Deum nostrum: quod te cognoscamus, laudemus, diligamus. *Benedic* igitur, *anima mea Dominò, et omnia, quae intra me sunt, nomini sancto ejus.* (Psal. 102, 1.) Nullum sit corporis membrum, quod tibi laudes non dicat. *Omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi?* (Psal. 34, 10.)

PUNCTUM III.

Datur Deus. Haec veritas, nisi vehementer fallar, non modo per pulchritudinem, admirabilem concordiam et ordinem rerum omnium, quae in magno et parvo sunt mundo, sed et per omnes, quae in universo accidunt, ordinis inversiones, naturae perturbationes, et hominum calamitates ac mala clare innotescit. Si coelum tonat, si tremit terra, si ruunt fulmina, si mare intumescit, si aër ventorum mugitu reboat, si bella, fames, morbi, aut alia ingruunt mala et pericula, naturali instinctu ocius ad coelum tollimus oculos, et a superiore quadam potestate, quae miseris possit opitulari, remedium petimus, natura duce protestantes, *dari Deum*, in quo solo spem nostram collocamus, et cum pio rege Josaphat fatemur: *Hoc solum habemus residui*, o Deus, *ut oculos nostros dirigamus ad te, cum ignoramus, quid agere debeamus.* (II. Paralip. 20, 12.)

Ipsa adeo peccata, quae scelerati committimus, injuriae et persecutiones, quas justi patimur, alta voce clamant, *dari Deum*, omnium *vindicem* malorum et *remuneratorem* bonorum, quandoquidem hominum justitia non raro sine supplicio relinquit scelera, sine mercede virtutes.

Quid, quod ipsa, quam intra nos experiamur, pugna et rebellio carnis adversus spiritum velut arrepta manu nos ducat in cognitionem alicujus Dei, cujus virtute in tanto conflictu possimus victores evadere, quod propria non valemus.

Oculos in altum tolle, omnemque versa in partem, anima mea: vide, quidquid ubique boni est aut mali, et ausculta, quid dicant. Dicunt nimirum, *dari Deum*,

qui largitur prospera, et amolitur adversa. Atque salutarem hanc doctrinam memori animo reconde; assidua enim hujus veritatis recordatio calcar et mater omnium est virtutum: oblivio, fons et parens omnium vitiorum.

Ego pariter suffragor, Domine! universali omnium creaturarum testimonio de hac viritate: *datur Deus*; eam toto corde ac ore profiteor, paratus omnibus sanguinis mei guttis confirmare: profunde eam meae, o Deus, imprime memoriae, ne unquam ejus obliviscatur: intellectui, ut de ea assidue cogitet: voluntati, ut nihil desideret aut amet praeter te.

Feria III.

De esse seu essentia Dei.

PUNCTUM I.

Moysi Deum interroganti, quod esset proprium ipsius nomen, respondit Deus: *Ego sum, qui sum* (Exod. 3, 14.), quo dicit essentia mea est *esse semper, et nunquam desinere*: hoc meum est nomen et characteristica.

O ter magnum et admirabilem, cui servimus, Deum! Idem sunt ejus *essentia et existentia*, adeo, ut tam parum possit non esse aut aliquando desinere, quam parum homo possit non esse rationalis. *Esse Dei* est aeternum, et sicut initio caruit, ita carebit et fine. Praeterea in sua aeternitate est immutabilis: *Ego Dominus*, ait de se ipso, *et non mutor* (Malach. 3, 6.), semper sanctus, semper bonus, semper omnipotens, semper idem, *qui est*, *apud quem non est transmutatio*, *nec vicissitudinis obumbratio.* (Jac. 1, 17.)

O ens supremum, per se et in se ipso subsistens, aeternum, immutabile! O mi Deus, qui semper idem fuisti, es, et eris! Totus exulto, quod existentia tua possit tam parum unquam desinere, quam parum tua essentia, basis et fundamentum existentiae tuae inconcussum. Tibi soli *adhaerere bonum est.* (Psal. 72, 28.) Nemo securus et firmus, nisi qui confidit in te. Omne aliud fulcrum est labile, et pro dolor! propria didici experientia, neminem in fide et auxilio creaturarum ac-

quiescere sine periculo aut vicissitudinem aut exitium incurrendi.

PUNCTUM II.

Deus se nominat esse, *qui est*, non solum, quia ab aeterno *est*, sed etiam, quia ab aeterno *est*, *qui est*, a se ipso, seu *ens a se*, quod a semetipso habet, non ab alio accepit *esse* seu essentiam, et perfectiones suas, bonitatem, et potentiam; omnibus autem aliis entibus communicavit *esse* seu essentiam, et quidquid habent boni et perfectionis.

Atque haec veritas est praecipuum vitae spiritualis fundamentum, cui tota perfectio christiana debet inniti. Solus Deus a se ipso *est*, *qui est;* magnus a se ipso, bonus a se ipso, omnipotens a se ipso, cui soli omnis debetur honor, cultus, gloria, adoratio. Creatura vero nihil habet a se ipsa: totum, quod habet esse, meritum, et bonitatem a Deo accepit. Si Deus vel momento omnipotentem subtraheret manum suam, *et auferret spiritum ejus*, *deficerent omnia*, *et in pulverem suum*, imo in nihilum suum *reverterentur*. (Psal. 103, 29.) Quam ergo gloriam poterunt creaturae sibi arrogare? quam ego aestimationem mei ipsius concipere? quo illa niteretur fundamento? a me ipso nihil habeo praeter nihilum, et ipse limus terrae, de quo formatus sum, non est a me.

Magne Deus, qui essentialiter omnem *in essendo* perfectionem possides: ex quo omnes creaturarum perfectiones ceu stillae ex vastissimo mari promanarunt, accipe, quam solus mereris, gloriam velut tributum, quod omnes creaturae ex sua essentia tibi debent: illumina oculos mentis meae: *noverim te, noverim me*, ut in hac gemina cognitione, velut in duplici polo, vertatur cardo vitae meae, te solum honorando, me autem semper contemnendo.

PUNCTUM III.

Denique Deus *est*, *qui est*, quia ejus *esse* infinite simplex ac indivisibile complectitur in gradu eminentissimo universas non modo omnium creaturarum perfectiones, sed et omnes, quas mente possumus assequi aut fingere, quin infinite plures in infinitum.

Nihil magnum est in universo, anima mea, nihil praeter Deum aestimabile. Quidquid bonum videtur, pulchrum, grande oculis tuis, respectu Dei vix atomus est, omnesque *gentes quasi stilla situlae*, sitim explere non valens, *et quasi momentum staterae*, quod facile in utramque partem inclinari potest, *reputatae sunt* coram Deo. (Isa. 40, 15.) Quantam ista consideratio debet nobis reverentiam ingerere erga Creatoris majestatem, coram quo etiam nobilissimae creaturarum sunt, quasi nunquam fuissent!

Ita sane cum ingente animi laetitia profiteor, mi Deus! *Tu es, qui es.* O quanta in sublimissimo hoc nomine latent magnalia et perfectiones! Illud quod solus merearis, laetitiis omnibus incedo: at simul confundor, quod sublimi ideae, quam nomen illud de ineffabilibus tuis perfectionibus mihi imprimit, tam parum mea respondeant sensa et opera. Meam erubesco stultitiam, quod aliud praeter te aestimaverim, imo creata, quae in comparatione tui oportebat *arbitrari ut stercora*, ut vanitatem, ut merum nihil, tibi stulte praehabuerim. At fixum modo est ratumque: nil posthac aestimabo, nil amabo praeter te solum, Deus meus et omnia.

Feria IV.

De infinitate et incomprehensibilitate Dei.

PUNCTUM I.

Adeo magnus est Deus, ut ignorari haud possit: at simul ita magnus, ut nequeat comprehendi. Deus nihil est eorum, quae cadunt sub sensus. Equidem magnus est, sed longe alia magnitudine, quam quae oculis percipitur. Formosus est, at alia pulchritudine, quam quae in creaturis oculos et cor nostrum rapit. Dulcis est et jucundus, at dulcedine et jucunditate, creatam infinitis parasangis antecellente. Lux est, at *inaccessibilis*, nil commune habens cum luce solis et stellarum. Gravem Deo, enti supremo, injuriam infert, qui cum materialibus, vanis et perituris ejusmodi rebus eum comparat. Quantamcunque possideant nobilitatem, gratiam, nitorem

et amabilitatem, si cum Deo veniant in comparationem, vilia sunt, contemptibilia, nihil sunt. Nihilominus quot earum non solum aequamus Deo, sed anteferimus? hinc amarissime conqueritur: *Cui assimilastis me, et adaequastis?* (Is. 46, 5.) me, qui infinite supero omnia, quae vobis videntur grandia?

O Sancte sanctorum, conversa in linguas *omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi!* (Psal. 34, 10.) Fide teneo firmissima, nihil esse in creaturis, quod tecum possit in comparationem venire. Immensum propterea gaudeo teque glorifico. Erit quoque unicum posthac gaudium meum creaturas omnes tuis substernere pedibus, palam fatendo, nihil esse in creatis, quod tecum possit comparari. Pereant, o Deus, omnia pereant idola, quibus profani et impii mortales cor, amorem, cultum consecrant: tu solus esto rex et Deus cordium.

PUNCTUM II.

Deus non solum nihil est eorum, quae sub sensus cadunt, sed nec eorum, quae imaginatione aut intellectu, seu angelico seu humano possunt comprehendi, quia uterque finitae ac limitatae virtutis est: finiti autem ad infinitum nulla est proportio. Non, inquam, non est Deus tale ens, substantia, aut spiritus, qualem nobis imaginamur, sed est res infinite perfectior omni spiritu, omni substantia, omni ente, ita quidem, ut longe sit facilius dicere, quid non sit, quam dicere, quid sit Deus, cum ejus natura sit mysterium, infinite transcendens omnes mentis nostrae conceptus et sensa.

Cum Moyse igitur *accedamus ad caliginem, in qua est Deus*, prostratique ante thronum, ubi habitat in nube et *medio nebulae*, cum profundissima animi demissione adorantes dicamus illi, omnia, quibus eum celebrare possumus, elogia plus non esse, quam humilem sinceramque contestationem, quod elogiis omnibus sit major, sicut omnem vincit scientiam nostram. *Lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest* comprehendendo, quid sit. (I. Tim. 6, 16.) In hac adeo sapiente ignorantia et clara caligine tuam, anima mea, requiem debes quaerere concipiendo infinitam

de Deo aestimationem, admirando incomprehensibilem ejus majestatem, supplendo cognitionis tuae defectum excessu amoris, ardentique desiderio eum aliquando facie ad faciem in gloria videndi.

O Deus mihi ignote ac invisibilis, quando te videbo non per nubem, non *per speculum et in aenigmate*, sed clare *facie ad faciem, ut cognoscam te, sicut et cognitus sum a te?* Ad promerendam hanc incomparabilem gratiam jubes, ut hic ambulem in caligine fidei. Ita jubes, Domine! et hoc mihi sufficit: in illa igitur, dum vivam, ambulabo praelucente verbi tui splendore; qui, licet obscurus sit, affatim tamen perfectionum et amabilitatum in te mihi revelabit, quibus ceu totidem ardentibus prunis cor meum amore tui inflammetur totum.

PUNCTUM III.

Non solum *esse* seu essentia Dei, sed omnes et singulae ejus perfectiones aequaliter sunt infinitae. *Magnus Dominus*, ajunt prophetae, *et magnitudinis ejus non est finis.* Bonus est Deus: et bonitas ejus est infinita: justus est, potens, misericors, pulcher, amabilis: et justitia ejus, potentia, misericordia, pulchritudo et amabilitas aeque sunt infinitae, ac ejus esse seu essentia *incomprehensibilis cogitatu.* (Jerem. 32, 19.) Equidem coelites revelata facie Deum vident, admirantur: at comprehendere nequeunt.

Oculos demitte, anima mea, tuamque imbecillitatem ultro fatere coram hac suprema majestate, quam summi Seraphinorum non nisi velata alis suis facie adorant, ut significent, quod nec splendorem infinitae lucis sustinere, nec perfectiones Dei possint comprehendere. *Ecce Deus magnus, vincens scientiam nostram!* (Job 36, 26.) Gaudeamus ergo, quod tam magnum habeamus Dominum, cujus magnitudinem nullus creaturae intellectus possit comprehendere; simulque aeternas ei grates agamus, quod unigenitum nobis miserit Filium, qui in tanta mysteriorum fidei obscuritate dux et magister facem nobis praeferret.

Et vero pares tibi grates ago, o Deus, quod et occultaveris et revelaveris mihi tuas perfectiones et

magnalia. Occultas illa, ut meam exerceas fidem: revelas, ut animes spem: utrumque ad tui amorem me vehementer incitat, vehementius tamen incarnatio Filii tui, quem nobis magistrum dedisti, et per eum arcana sapientiae tuae et stupendas misericordiae tuae inventiones manifestasti. Ah! satis superque ista novimus, Domine: at non satis diligimus te; nisi ergo tantum amoris infundas cordi nostro, quantum luminis intellectui infundis, ad quid tuae nobis proderunt illustrationes, nisi ad majorem nostram confusionem ac damnationem?

Feria V.

De Deo uno et trino.

Vide medit. Festo SS. Trinitatis. Part. I. pag. 387.

Feria VI.

Deus est infinite perfectus.

PUNCTUM I.

Deus est infinite perfectus, quia complectitur in se omnes omnino perfectiones non solum absque ulla imperfectione et defectu, sed et in gradu, qui possibilis est, excellentissimo absque ulla limitatione, mensura, fine; nam *magnitudinis ejus non est finis.* (Psal. 144, 3.)

Anima mea, quid, obsecro, quaeris extra Deum, in quo solo reperis, quidquid tua possit explere desideria? Quid enim quaeris? perfectionem? in Deo est sine omni defectu. Pulchritudinem desideras? in Deo residet sine macula. Bonitatem amas? in Deo tamquam in fonte est sine omni malitia. Magna esse cupis? Deus est origo, centrum et decempeda verae magnitudinis, quae tanto major est, quanto propius ad Deum accedit.

O immensam omnium prorsus perfectionum abyssum et oceanum! O mi Deus, in quo continentur bona omnia, quae animo assequi aut fingere possumus! Tibi ergo soli, quia solus mereris, cor, amorem, meque totum devoveo; in te enim solo omnes meas invenio divitias, dignitates, delicias, extra te vero indigentiam, miseriam,

confusionem: atque haec solummodo inveni, quoties aliud quam te quaesivi. Verum propria jam cautior experientia, omnibus modo creaturis, et quidquid ab ipsis sperare possum, renuntio, ut omnem spem meam et felicitatem in te solo collocem, o *Deus meus et omnia*.

PUNCTUM II.

Omnes, quae creaturis tam corporeis, quam spiritualibus insunt, perfectiones etiam in Deo sunt, at modo infinite eminentiori, quam illae sint in se ipsis, quia in omnibus creatis sunt limitatae, in solo autem Creatore sunt infinitae. Quidquid in ejus operibus videtur pulchrum, sapiens, magnum et perfectum, non nisi umbra et rudis imago est ipsius Dei, aut verius nihil, si cum Deo comparetur. Nulla creaturis perfectio inest, non splendor coelis, non lumen astris, nec floribus pulchritudo, nec robur leonibus, nec mansuetudo agnis, nec volatus in sublime aquilis, nec homini aut angelo virtus intelligendi, nec ulla toti universo inest magnitudo, si cum magnitudine Creatoris conferatur.

I modo, et (per me licet) obstupesce, anima mea, coelum cum stellis, terram cum auro et argento: admirare totum, qua late patet, terrarum orbem, et mirabilem omnium ejus partium connexionem: ast cogita, utrum opus, an artifex operis majori jure tuam sibi vindicet admirationem? Unica pulchritudinis creatae mica amores et cor tuum rapit: et illum non amabis, qui est ipsa pulchritudo, cui comparata omnis alia pulchritudo deformitas est? Quidquid in ente spirituali vides, prodigia tibi videntur: et tamen atomus solum est, si cum Deo comparetur, cum Spiritu infinito, universali, immenso, qui omnes vivificat spiritus, omnia movet corpora, et integram mundi machinam sua sustentat omnipotentia.

O mi Deus! o ens infinite perfectum! o Deus cordis mei! Quid est in coelo et in terra, quod meos jure rapiat oculos et amores? Omnia arbitror ut umbras et stercora, si tecum comparo: omnia mihi vilescunt et sordent, si te aspicio. Tu solus mihi es magnus, pulcher, amabilis: tibi ergo soli omnes intellectus cogita-

tiones, omnes voluntatis affectus quam devotissime consecro.

PUNCTUM III.

Licet autem perfectiones, quas Deo attribuimus, videantur innumerae, quatenus ut dispersae in creaturas considerantur, in Deo tamen sunt unica perfectio simplicissima, omnes alias in se complectens. In Deo omnipotentia est sapientia, sapientia est bonitas: bonitas, sapientia, et omnipotentia sunt realiter una eademque res cum ejusdem essentia: hinc Sapiens (7, 22. 23.) dixit, quod *Dei spiritus sit unicus, et multiplex, qui capiat omnes spiritus.* Veritas haec rite perpensa latum aperit campum admirandi ac laudandi Deum: praeterea debet ardens in nobis accendere desiderium divinam hanc simplicitatem imitandi per simplicissimam intentionem in nostris actionibus, quarum scopus et finis unicus debet esse studium unice placendi Deo tam magno, tam admirabili ob infinitas perfectiones. De sublimi ista intentione dixit Jesus: *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.* (Matth. 6, 22.)

O Deus infinitae perfectionis! Illumina oculos mentis meae, ut in creaturis contempler Creatorem eumque diligam, utpote auctorem omnis, qua refulgent, bonitatis. Purifica oculos affectus ac intentionis meae,. ut in spiritu simplicitatis ac justitiae te solum quaeram in omnibus; tu enim es ultimus finis meus, et omnes meae actiones ad gloriam nominis tui sunt dirigendae.

Sabbato.

Repete praecedentem meditationem.

Dominica XIII. post Pentecosten.

Christus decem leprosos sanat.

(Luc. 17, 12. sq.)

Vide medit. Fer. IV. post Dom. VII. post Pentec. Part. II. pag. 4

Feria II.

De bonitate et sanctitate Dei.

PUNCTUM I.

Deus non solum bonus est bonitate *essentiali* et divinae naturae debita, sed et *morali* virtutum seu *sanctitate*, quae in Deo est infinite perfectior, quam in perfectissimis sive hominibus sive angelis. Hoc sensu accipienda est Christi sententia: *Unus est bonus, Deus.* (Matth. 19, 17.) Eodem sensu mater Samuelis dixit: *Non est sanctus, ut est Dominus: nec est alius extra te* (I. Reg. 2, 2.): quo dixit non est sanctitas, quae cum sanctitate Dei possit in comparationem venire.

Et hoc est fundamentum perpetuae confusionis et profundissimae humilitatis, quam sanctissimi quique in conspectu Dei praeseferunt. Coram eo se considerant ut veros peccatores, et omnis eorum justitia cum Dei sanctitate comparata non solum in ipsorummet oculis evanescit, sed etiam ingentem imperfectionum vim ad eorum confusionem ipsis ante oculos ponit. Aliud non vident in se, nisi defectus et imperfectiones, labem originis, miserias corporis, ignorantiam intellectus, corruptionem, levitatem et inconstantiam voluntatis perpetuam.

O sanctissime Deus! qui antonomastice et per excellentiam nuncuparis *Sanctus sanctorum*, utpote fons, exemplar et finis totius sanctitatis! totus exulto, quod sis infinite sanctus, et quidem per temetipsum idque sine ullo amittendae unquam sanctitatis periculo. Confiteor, Domine, quod sanctitatem nullam, nisi tu dederis, possim habere: nec in ea diu perseverare, nisi tu conservaveris, et, licet maximam dederis mihi, tota nihilominus, si tuae comparetur, exigua, imo prorsus nulla erit, ita, ut tu solus in aeternum dignus sis coelesti Seraphinorum cantico: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum.* (Isa. 6, 3.)

PUNCTUM II.

Illud autem Dei sanctitatem infinite super omnem creaturarum sanctitatem extollit, quod infinito cum

excessu omnes hominum angelorumque virtutes possideat, et quidem sine mensura, sine omni imperfectione: ea de causa se ipsum in Scripturis passim *Deum et Dominum virtutum* appellat. Est nimirum vastissimi instar oceani, ex quo tamquam rivuli omnes promanant virtutes, quas in sanctis admiramur: qui tamen praecise in tantum sunt sancti, quantum sanctitatem Dei participant et divino sanctitatis exemplari assimilantur.

Quantus hominis de limo terrae formati honor est participare sanctitatem Dei! Quanta haec gloria, quod homo mortalis et imbecillis creatura possit Sancto sanctorum similis fieri! Ita est: sancta quadam ambitione debemus aemulari sanctitatem Patris nostri coelestis; post spiritualem enim regenerationem in baptismo adoptati sumus in Dei filios, qui non tantum possunt, sed tenentur ad perfectam cum sanctitate Patris divini similitudinem aspirare, cum Christus dicat: *Estote perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est.* (Matth. 5, 48.)

O dulcissime Jesu, divine magister et perfectissima sanctitatis paternae imago! Qua homo supremam virtutum perfectionem assecutus es, ac summam, quae per illas obtineri potest, similitudinem cum Deo, totius perfectionis auctore. Da mihi gratiam humiles et obscuras, quas in sacra humanitate tua exercuisti, virtutes tam fideliter imitandi, ut illas quoque studeam aemulari, quae in tua divinitate relucent. Laudo et glorifico te, o *rex virtutum*, et cum angelis te non minus ac Patrem, sine fine collaudantibus exclamo: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.* (Isa. 6, 3.)

PUNCTUM III.

Vera sanctitas seu justitia duas partes complectitur: videlicet *declina a malo, et fac bonum.* Sicut ergo Deus est infinite sanctus per omnium virtutum possessionem, ita pariter infinite sanctus est per essentialem recessum, necessariamque ab omni peccato aversionem. Odium, quo Deus peccatum persequitur, tantum est, quantus est amor, quo prosequitur virtutem: et sicut videre non potest justum, quin amet, ita nec peccatorem, quin oderit; *mundi enim sunt oculi ejus, ne videant malum,*

et respicere ad iniquitatem non poterit (Habac. 1, 13.), nisi cum horrore ac indignatione.

Hos ipsos animi sensus et effectus producere in nobis debet sanctitas Dei. Si eam imitari nobis animus est, nihil in mundo aestimare, nihil quaerere oportet praeter sanctitatem, quae sola nos Deo gratos et amicos novit reddere: e contrario nil spernere, nil abhorrere oportet, nisi peccatum, quod solum nos Deo exosos potest efficere detestabilesque. *Odium* et *amor* periculosae sunt passiones: at sanctae evadent, si solum in vitia et virtutes tenant, has amando, aversando illa. Hac ratione divinam adimplebimus voluntatem, per illa verba nobis indicatam: *Perfectus eris, et absque macula cum Domino Deo tuo.* (Deut. 18, 13.) Item: *Sancti estote, quia ego sanctus sum Dominus Deus vester.* (Levit. 19, 2.)

Domine Deus, qui sola bonitate tua *elegisti nos, ut simus sancti et immaculati in conspectu tuo* (Eph. 1, 4.), da nobis gratias ad implendum hunc finem necessarias: summum, inquam, non peccati modo, sed et minimae imperfectionis horrorem: id supplex rogo per puritatem *tui esse*, et per essentialem tuum sanctitatis amorem: purga animam meam ab omni labe, nec non omni virtutum genere exorna, praesertim ardentissima caritate, ut pura et sancta in conspectu tuo possit comparere.

Feria III.

Quantum Deus propendeat ad se communicandum creaturis.

PUNCTUM I.

Bonum, teste S. Dionysio, ex natura sua est *sui diffusivum*, et ad se communicandum aliis propensum. Cum ergo Deus *infinitum* sit *bonum*, ex sua essentia infinite propendet ad se communicandum creaturis. *Quibus* autem sese communicat, anima mea, et *quomodo?* Vilibus nimirum creaturis, hominibus imperfectis, ingratis, vel minimo Dei favore indignis se communicat, et quidem ratione Deo digna, quia communicat se 1. sine ulla obligatione praevia, *libere* ex solo beneplaciti sui impulsu.

2. *Sine ullo* suo *interesse* ac emolumento, cum Dei felicitas sit infinite ab omnibus creaturis independens. 3. *Sine ulla limitatione*, nullum liberalitati suae et beneficiis ponens modum ac finem, nisi quem ipsimet ponimus nostra tepiditate ac socordia, qua recipimus illa: vel exigua fidelitate, qua acceptis respondemus.

O fons inexhauste omnium bonorum, qui summe appetis tuos aliis communicare thesauros! Immortales tibi grates ago, quod tanta eos liberalitate in me, licet immeritum, profundas. Quid tantae ego munificentiae possim rependere? *Deus meus es tu, bonorum meorum non eges.* (Psal. 15, 2.) Ipsa, quam a me exigis, gratitudo mihi quaestuosa est; meis enim lucris, meritis et felicitati meae ingens fit accessio, si laudo te ac redamo: si servio tibi ac obedio non coactus aut ex timore, sed lubens et ex amore: non ob proprium interesse ac emolumentum, sed ob tuam solummodo gloriam: non animo parco et tenaci, sed generoso ac liberali, ut hac ratione totum me tibi donem, sicut tu mihi te donasti totum.

PUNCTUM II.

Quidquid perfectionum Deus in diversissimas totius mundi creaturas divisit, id omne uno in homine collegit dando illi. 1. *Esse corporeum*, ut coelis, elementis, et omnibus mixtis. 2. *Vitam vegetativam*, ut arboribus et plantis. 3. *Vitam sensitivam*, ut animalibus. 4. *Vitam spiritualem et intellectualem*, ut angelis, adeo ut homo non immerito *parvus* appelletur *mundus*, et ab ipso Servatore vocatus sit *omnis creatura*, dum *Evangelium praedicari* jussit *omni creaturae*, id est, homini, ut explicat S. Gregorius.

Consideremus jam quatuor hos perfectionis gradus ceu quatuor flumina ex Dei sinu egredientia, quatuor fluminibus e fonte paradisi terrestris olim profectis similia, et imaginemur nobis, quod illa quatuor flumina, postquam totum irrigavere mundum, in hominem se recipiant, ut eum in deliciarum ac voluptatis paradisum convertant, omnigeni floris et fructus feracem: ex quo ferventes admirationis, gaudii, gratitudinis, et amoris affectus

eliciamus, Deo ita munifico dicentes ex intimo cordis nostri:

O bonitas incomprehensibilis! Quas tibi grates reddam, quod tantam perfectionum varietatem, quas sparsim innumeris divisisti creaturis, in tam vili, qualis homo est, creatura collegeris? Quam merito jubes te diligi ab eo *ex toto corde suo*, *et ex tota anima sua*, *et ex omnibus viribus suis*, *et ex omni mente sua* (Luc. 10, 27.); quid enim aequius, quam ut omnia, quae a tua bonitate accepimus, ad solvendum tibi amoris debiti tributum conspirent? Diligam ergo te *ex toto corde*, quia esse corporeum mihi dedisti: diligam *ex tota anima*, quia per illam mihi vivere dedisti: diligam *ex omnibus viribus*, quia sensus et omnes animae facultates a te accepi: diligam *ex tota mente*, quam cum intellectu mihi ore tuo inspirasti. Ita, Domine! et non aliter omnibus corporis et animae facultatibus imposterum utar: ita propono cum tua gratia firmiter, spondeo sanctissime.

PUNCTUM III.

Porro communicationem omnium *naturae* bonorum infinite sua excellentia superat communicatio bonorum *supernaturalium*. Hoc modo autem se nobis communicat 1. *per gratiam*, qua *divinae consortes naturae efficimur*. (II. Pet. 1, 4.) 2. *Per gratiam*, qua in aeternum *similes Deo erimus*. (I. Joan. 3, 2.) 3. *Per unionem hypostaticam*, qua divinum ac personale suum esse communicavit naturae humanae, ita, ut ex utraque natura fieret unus Homo-Deus. 4. *Per sacramentum Eucharistiae*, ubi Filius Dei modo quodam ineffabili se cuilibet volenti intime unit et communicat.

Hic enimvero in laudis et gratitudinis affectus oportet erumpere, dum singularem Dei erga nos bonitatem videmus, praeferentis nos angelicis spiritibus, utpote quibus datum non est seu *hypostatice* quoad personam, seu *sacramentaliter* quoad substantiam Deo uniri: adeo eximium favorem et honorem solis hominibus concessum voluit Deus, ut unus eorem fieret ipsi aequalis, unus cum ipso Deus, Filius ejus, et figura substantiae ejus.

O bonitas infinita! O Deus cordis mei! Si tibi infinite sumus obstricti ob *naturalia*, quae in nobis conjunxisti, beneficia, quanto amplius et infinite magis tibi sumus devincti ob *supernaturales*, quibus nos cumulasti, gratias? Quid autem hoc sibi vult, mi Deus! quod supremam majestatem tuam demittas usque ad intimam cum natura humana unionem, et vilem hanc naturam exaltes usque ad communionem divinitatis tuae? per hoc scilicet perspicue nobis demonstras, quod ad nobis benefaciendum infinite propensus sis, quodque *deliciae tuae sint esse cum filiis hominum.* (Prov. 8, 31.) O si nos pari erga te propensione traheremur! O si pari ardore cuperemus nos ex asse tuis consecrare obsequiis, assidua tecum familiaritate frui, et mille modos excogitare nostrum tibi comprobandi amorem!

Feria IV.

De summa Dei amabilitate.

PUNCTUM I.

Deus est infinite amabilis *propter se ipsum*, quia possidet omnia, quae sunt apta ad excitandum ardentissimi amoris incendium; quanto enim res aliqua pulchrior est perfectiorque, tanto magis amari meretur: cum ergo Dei pulchritudo, bonitas, et perfectio sit infinita, digne amari non potest, nisi amore infinito ametur: proinde cum a nobis, quantum amari meretur, amari non possit, amore scilicet infinito, id saltem sequitur, quod eum plus quam nos ipsos debeamus amare, plus quam quidquid in mundo amabile est, et amare omni modo possibili.

Ah cor meum! utinam satis capax esses, et amplum satis ad Deum infinite amandum, cujus amabilitas est infinita! O si immenso divini amoris igne consumereris! Utinam arderes saltem ut sponsa, quae cum coelestem hunc sponsum non valuit amare, quantum voluit ac desideravit, his ei verbis immensa cordis incendia prodidit: *Amore langueo!* Cum autem infiniti, quem Deus meretur, amoris capaces haud simus, nostram solemur impotentiam

cogitando, quod *se ipsum* amet infinite, et amor, quo suam prosequitur bonitatem, totam infinitae hujus perfectionis amplitudinem et mensuram impleat.

Novi utique, o Deus! quod te ipsum ames, quantum amabilis es, et quod tota beatitudo tua consistat in tui cognitione ac amore infinito. Ex animo tibi congaudeo et exulto quam plurimum, quod Pater, Filius, et Spiritus Sanctus se mutuo ament amore infinito. O bonitas suprema, quandoquidem te, ut mereris, digne amare non valemus, id saltem concede, ut te *ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ex omnibus viribus* amemus. Amorem nobis largire, quo angeli et sancti omnes te prosequuntur, neque ullum in terris hominem tolera, qui non amet te. In nihilum suum redige, quae te non amant, corda: aut potius in corda amore tuo exaestuantia converte.

PUNCTUM II.

Quamvis Deus nil boni praestitisset mihi, non tamen desineret esse infinite amabilis *propter se ipsum*, seu propter infinitam bonitatem suam. Imo si non propter se ipsum, certe *ob innumera*, quibus me cumulavit, *beneficia* infinite amabilis esset.

Creaturae omnes, ab ipso productae, uno ore et voce mille nomina et obligationes nobis inculcant illum amandi, qui illas creavit propter me: *Domine, omnia clamant, ut amem te.* (S. Aug.) Quascunque video, audio, tango, creaturas, ejus bonitatem continuo praedicant, nihil tamen efficacius, quam *bona gratiae*, quae confert: et *bona gloriae*, quae promittit: et praecique summum incarnationis beneficium, in quo *divitias sui erga nos amoris velut effudit.* (Conc. Trident.)

O Deus bonitatis infinitae, qui tantum amas nos, quantum amabilis es, tuine possim meminisse, quin amem te? aut vivere, quin moriar prae amore, si ex una parte cogitem, quantum amare te debeam mille titulis: ex altera, quam parum te amem? Si ad te amandum tibique serviendum obstringor, eo quod naturalia et peritura mihi largitus sis bona, quanto magis obligor ad id ob tot et tanta, quae in dies et horas accipio, dona

gratiae? ob dona gloriae mihi praeparatae? Si te satis amare nequeo ob collata, quae sunt *extra te*, bona et dona, qui, obsecro, dignum tibi reddam amorem, postquam *te ipsum* totum dedisti? O si mihi cor novum daretur! Sed quid *cor* dico? O si millies mille corda haberem, sed eodem cum Seraphinis igne amoris ardentia, quo te solus amem tanto fervore, quanto omnes simul angeli et homines te amant.

PUNCTUM III.

Praeterea Deus est infinite amabilis, quia est fons perennis ac inexhaustus omnis laetitiae et jucunditatis. Hac intra se ipsum fruitur infinite ob gaudium et voluptatem infinitam, qua repletur ob plenissimam omnium perfectionum possessionem. Ex eodem fonte non modo integri deliciarum torrentes in sanctos, qui beatifica Dei visione jam fruuntur, large profluunt, sed etiam guttae, quas in corda hominum, fideliter sibi servientium, distillat, tanta eos voluptate complent, ut omnium vitae miseriarum oblivionem inducant.

Tune metuis, anima mea, ne tetricam et tristem vitam trahere cogaris, si Domino servis tam bono? Si id metuis, ne tu ejus suavitatem ignoras, et parum delicias ejus gustati. Qui novit Deum amare, nescit tristis aut infelix esse. Agedum, experire: utere familiari ejus consuetudine: *non habet amaritudinem conversatio ipsius*, *nec taedium convictus illius*, *sed laetitiam et gaudium*. (Sap. 8, 16.)

Toto igitur animi affectu nuntium remitto omnibus mundi voluptatibus et deliciis, o Deus: caducae sunt, mendaces sunt, veneno infectae sunt: in te solo sanctae, verae, aeternae reperiuntur. Sola, quae in te amando latet, voluptas et oblectatio abunde compensat omnes, quas tibi mundum deserens sacrificavi, delicias; unica orationis hora, quae contemplando pulchritudinem tuam exigitur, adeo dulcis est, ut, licet aliam a te mercedem petere non possem, omnia naturae oblectamenta tibi immolasse haud poeniteret.

Feria V.

De infinita Dei caritatc.

NB. *Amor* est complacentia quaedam in bono. Tres habet actus: 1.*Benevolentiae*, qua amato bene volumus, vel complacendo nobis in bono, quod jam habet, vel optando, ut illud acquirat. 2. *Concupiscentiae* in bonum, quod amato vel nobis cupimus. 3. *Amicitiae* inter plures ob bonum, quod possident: istud si supernaturale sit, *caritas* vocatur haec amicitia. Ex his tribus oritur actus exterior amoris, seu *beneficentia* erga amatum.

PUNCTUM I.

Deus *amore benevolentiae* se ipsum amat infinite, quia est infinite amabilis: uti vidimus praecedenti meditatione. Hic idem sui ipsius amor Deo motivum est suas amandi creaturas, utpote in quibus suam videt relucere potentiam, bonitatem, sapientiam, aliasque perfectiones divinas. Non ita se habet noster erga nos ipsos amor, vulgo *amor proprius:* hic totum cor nostrum occupat, omnem alium excludens amorem. E contrario Deus nos amat, quia se ipsum amat: nos vero non amamus alios, quia nos ipsos amamus inordinate.

Anima mea, corrigamus amorem nostrum ad amussim divini amoris: hic aequissimus est, sanctissimus, non modo ordinatissimus, verum etiam regula et exemplar omnis veri amoris. Etsi, proprie loquendo, nihil amabile sit praeter Deum, hic tamen ea, quae sunt *extra ipsum*, non cessat amare, et totum beneficiis replere mundum. Discamus a coelesti magistro nos ipsos, sicut ipse amat se, amare eum amando propter se ipsum, et proximos in ipso, et propter ipsum.

Destrue igitur in me, o Deus, inordinatum mei ipsius amorem, utpote omnium originem vitiorum: suffice amorem tuo conformem: esto solum amoris mei principium, motivum et finis. Hanc ego gratiam a te eo firmius spero, quo certius reliquae omnes gratiae sine illa forent inutiles; quamdiu enim amor proprius dominabitur cordi meo, tuum in eo regnum stabiliri non potest, nec adimpleri maximum caritatis praeceptum, imperantis, ut te amem plus quam me et omnes creaturas possibiles;

neque illas aut me ipsum amem, nisi in te solo, et propter te solum.

PUNCTUM II.

Noster amor ut plurimum differt a Dei amore; ille enim in suo objecto praesupponit, quod *existat et habeat perfectiones*, quae illud reddant amabile. Contra Dei amor est causa totius bonitatis, quam in objecto suo amat, et per quam redditur amore dignum. Atque ita in Deo conjuncti simul sunt duo amoris actus, *benevolentia et beneficentia*, velle bene, et bene facere. Inde est, quod Deus aliquibus creaturis, quas amore speciali et efficace prae aliis inter possibiles amavit, *praeter esse* proprias et convenientes dederit *perfectiones*. O amorem mirabiliter efficacem! O amorem longe diversum a meo, qui semper sterilis nil operatur pro te, o Deus!

Interea singulares et gravissimae rationes me urgent, ut meum Deo amorem ipso opere comprobem, quia, infinite licet magnus, me amare dedignatus non est, et quidem *amore amicitiae*, amore peculiari, quem aliis denegavit creaturis: amore perfecto, quem tot argumentis manifestavit, cum me ad imaginem et similitudinem suam condiderit; animam, quae ipsum cognoscere posset et amare, dederit; me per gratiam baptismi eo usque exaltaverit, ut *divinae factus sim consors naturae.* (2. Pet. 1, 4.) Superi! quantam tantus Dei amor debet in me excitare admirationem, gratitudinem, amorem!

Quam jure merito cum propheta exclamo; O mi Deus! *Quid est homo, quod memor es ejus: aut filius hominis, quoniam visitas eum? Gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subjecisti sub pedibus ejus. Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!* (Psal. 8, 5—10.) Quam *admirabile*, inquam! at non minus *amabile!* tot enim tantaque prodigia, quae bono hominis produxisti, o Deus, certa sunt ac manifesta tui erga eum amoris argumenta et effectus. Ingratissimus mortalium sit oportet, qui tantae bonitati non respondeat, omnes facultates suas absolute devovendo gloriae et amori sanctissimi nominis tui.

PUNCTUM III.

Altius adhuc inaestimabile perscrutemur beneficium, quod Deus homini confert veram cum eodem *amicitiam* ineundo, cujus proprietates sunt 1. ut sit inter aequales aut fere aequales. 2. Ut bona omnia inter amicos faciat communia. 3. Ut cor unum efficiat et animam unam. Quis hominum, nisi fides doceret, potuisset sibi unquam persuadere, quod Deus adeo viles creaturas, quales nos sumus, tanto amoris excessu potuerit diligere, nimirum *amore amicitiae?*

Potuit, anima mea: dilexit ita, ut in mysterio incarnationis se nobis, in baptismo nos sibi reddiderit similes, dum *suae* nos *consortes naturae* filiosque fecit adoptivos, et divinae similitudinis imaginem modo prorsus stupendo in nobis perfecit. Aut quid amplius possidet in se; quod nos pariter non habemus? Post communicatos nobis omnes *naturae* thesauros et perfectiones nonne maxima et pretiosa *gratiae* dona adjecit? Porro, ne quid ac perfectam cordis nostri cum ejus corde unionem desideretur, quovis momento paratissimus est ita nos in se transformare, ut unus idemque spiritus cum ipso simus.

Agnosco tandem, mi Deus, et manifeste impleri video illud Christi ad Apostolos: *Jam non dicam vos servos, quia servus nescit, quid faciat dominus ejus: vos autem dixi amicos*, et amicorum loco habui, *quia omnia, quaecunque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* (Joan. 15, 15.) Liceat mihi, Domine, in novo amoris et gratitudinis excessu te denuo interrogare: *Quid est homo*, aut quid in homine est, *quia* sic *magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum?* (Job 7, 17.) Tuone dignum amore objectum est? O dilecte mi, permitte, obsecro, ut cor meum tuo inseratur cordi, et si fieri possit, ex duobus fiat unum. Da, ut in hac amoris plena unione excessum tui erga me amoris experiar, te amem, sicut tu me amas, et amicitia inter nos ex parte mea fiat quodammodo perfecta, uti ex tua parte est absolute quam perfectissima.

Feria VI.

De quatuor excellentiis divinae erga nos caritatis.

Apostolus vult, ut conemur *comprehendere, quae sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum* caritatis Dei erga nos. (Ephes. 3, 18.)

PUNCTUM I.

Longitudo ejus consistit in hoc, quod sit *aeterna. In caritate perpetua dilexi te* (Jerem. 31, 3), ait ipse Deus, quo dicit: ex quo fui, qui sum, dilexi te: atque adeo meus erga te amor aeque est aeternus, ac ego ipse. Ama igitur, anima mea, Deum, ama adeo amabilem, quia semper et ab aeterno amavit te. *In hoc* autem, ait S. Joannes (I. ep. 4, 9. 10.), maximopere *apparuit caritas Dei in nobis, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos.* Et sicut iste Dei erga nos amor caruit principio, ita et fine carebit, dummodo per peccata nos eo amore indignos haud reddamus. Porro cumulum tantae bonitati suae Deus per hoc addit, quod, licet ingratissimi amicitiam ejus contemnamus, ille tamen semper promptus sit ad illam restaurandam, nosque sibi reconciliandos, modo nos vere poeniteat eam dissolvisse.

Ama igitur, anima mea, *ama amorem ab aeterno te amantem:* neque per momentum differ amorem tuum: tamen nimis sero amabis; ille enim prior amavit te ab aeterno. Saltem *dilige Deum, quia ipse prior dilexit te:* amori responde, ita te praevenienti: ea responde constantia, qua Deus te diligit. Quodsi eo infelicitatis et proterviae prolapsa esses, ut tot immemor beneficiorum impie peccando filum amicitiae ruperis et iram Dei incurreris, filiali cum fiducia ad eum confuge: suam mox ponet iram, tuam obliviscetur perfidiam, primam tecum redintegrabit amicitiam.

Immortales tibi grates ago, Domine, quod me ab aeterno amaveris. Utinam saltem ab illo tempore, quo te primum cognovi, te amassem! Maledictum tempus, quo te non amavi! millies autem maledicta sint momenta

singula, quibus te offendi, ego monstrum ingrati hominis! At infaustum illud tempus, dum vivam, amaris deplorabo lacrimis, et pro virili satagam ingratitudinem meam fidelitate perenni resarcire. Serio jam me totum consecro amori tuo, o Deus cordis mei. Tua fretus gratia creaturas omnes ad seriam hanc voluntatem infringendam provocare ausim, et cum Apostolo exclamare: *Quis nos separabit a caritate Christi? tribulatio? an angustia? an gladius?* ... Imo *neque mors* ... *neque alia creatura poterit nos separare a caritate Dei, quae est in Christo Jesu Domino nostro.* (Rom. 8, 35—39.)

PUNCTUM II.

Latitudo caritatis Dei consistit in multitudine eorum, quos sinu suo complectitur, omnes nimirum omnino homines, cujuscunque sint status et conditionis, modo ipsimet terga non vertant Deo. Verum quidem est, quod prae reprobis *speciali amore* diligat praedestinatos; attamen nec illos absolute cessat amare, sed *omnes* sine ulla exceptione *homines vult salvos fieri* (I. Tim. 2, 4.), ex parte sua nihil omittens eorum, quae necessaria sunt, ut eos ad sui amorem et amicitiam pertrahat. Quodque cordi divino peculiare est, toti patet mundo, et quemlibet tam singulariter complectitur, ceu solus esset.

Si Deus caritatis cor meum incoleret, ejus spatia dilataret, ut totum in se posset complecti mundum, ejus exemplo bonos et malos, amicos diligerem et inimicos: tantum abest, ut male inimicis facerem, ut etiam gauderem bonum pro malo reddere, *carbones ignis congerens super capita eorum, ut in bono malum* et ignem odii *vincerem* igne caritatis. (Rom. 12, 20. 21.)

Ita millies, o Deus amoris, tunc egisti mecum, quando tuus eram inimicus: tuis me beneficiis compulisti non solum arma ponere, tuisque una mecum substernere pedibus, sed et perpetuam jurare fidelitatem. Si ergo caritas tua ad me, omnium facile indignissimum, extendere se potuit, quis amabo eandem gratiam a te sperare non poterit?

Magne Deus, cujus caritas est infinita, omnes omnino homines intra tuum caritatis sinum recipe: portas inferni

occlude, aperi portas coeli, ut omnes coelo recipiantur, et perenne laudis ac amoris tributum tibi persolvant in saecula saeculorum. Amen.

PUNCTUM III.

Sublimitas et *profundum* caritatis divinae consistit partim in rebus *magnis* et *sublimibus*, quas ex caritate Deus fecit pro nobis: partim in rebus *abjectis* et profundis *humiliationibus*, quas amore nostri ultro subiit. *Videte*, exclamat Apostolus, *qualem caritatem dedit nobis Pater*, *ut filii Dei nominemur*, *et simus*. (I. Joan. 3, 1.) Quid majus? quid sublimius? illud nimirum, quod *proprium Filium suum pro nobis omnibus tradiderit* et *cum illo omnia nobis donarit.* (Rom. 8, 32.) Porro quantum illud amoris erga nos prodigium est, quod hic ipse Dei Filius, Patri per omnia aequalis Deus, amore nostri *exinaniverit semetipsum*, *formam servi accipiens*, et *humiliaverit semetipsum*, *factus obediens usque ad mortem*, *mortem autem crucis*, ut nos redimeret! (Philip. 2, 7. 8.)

O altitudo et profunditas divinae caritatis! quam incomprehensibilia sunt opera tua, et investigabiles viae tuae! O immensam abyssum, in qua omnis hominum mens et intellectus absorbetur! O saxeum cor hominis, tanto amoris excessui tam male respondens! Et vero quid Deo tam tenere et ad prodigia usque amanti rependimus? ubi, quaeso, nostrae erga Deum, amore nostri exinaniti, gratitudinis testes?

O amor divine, qui nihil non egisti, nihil non pertulisti, ut perfectam nobiscum amicitiam tuam comprobares: quid adeo immensae caritati possum in signum grati animi rependere aliud, quam ut vicissim me tibi offeram ad agendum et patiendum omnia pro te? Ita est, Domine, (nil excipio) en totum me tuae trado voluntati; juxta tuum beneplacitum dispone de corpore et anima mea: aliud desidero nihil, quam te amare et glorificare: et, si vivere ac mori possim victima tui amoris et gloriae, mire contentus vivam ac moriar.

Sabbato.

Repete praecedentes duas meditationes.

Dominica XIV. post Pentecosten.

De providentia Dei circa victum, vestitum etc.

(Matth. 6, 25. sq.)

PUNCTUM I.

Dixit Jesus discipulis suis: *Ne solliciti sitis animae vestrae, quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini.*

His verbis non vetat Christus *moderatam* rerum ad vitae sustentationem necessariarum *curam*, sed solum damnat immoderatam anxietatem et *nimiam sollicitudinem*, quae et pacem animi et debitam Deo fiduciam tollit.

Et sane, nonne palmarem divino Patri injuriam infert, qui credit, eum posse aut velle suis denegare filiis, quod animalibus et agri floribus concedit? Qui volucres coeli pascit et lilia campi adeo superbe vestit, *ut nec Salomon in omni gloria sua coopertus fuerit, sicut unum ex istis*, victu et vestitu necessario nos destituet? Nos, ajo, quorum Patrem se toties appellat in Scriptura? Quis haec sine enormi divinae bonitatis injuria vel cogitare queat? *Jacta* igitur, anima mea, *super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet* (Psal. 54, 23.), nec permittet, ut perpetuis de necessario victu et vestitu curarum fluctibus agiteris: ejus providentia, quae instar matris est, de illis tempore opportuno tibi prospiciet.

Ita est: *oculi omnium in te sperant, Domine, et tu das escam illorum in tempore opportuno: aperis tu manum tuam: et imples omne animal benedictione.* (Psal. 144, 15. 16.) Fierine possit, o Deus, ut beneficam manum mihi claudas soli in necessitatibus meis? Tune majorem erga vile animal et herbae frustulum geras curam ac amorem, quam erga me? nequaquam: infinite majorem mei curam habes et amorem, quam hujusmodi

creaturarum, quae te cognoscere et amare non possunt. Certe infidelis et omnium ingratissimus forem, si ea de re dubitarem.

PUNCTUM II.

Nolite solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? haec enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis.

Duo Christus argumenta adducit sane efficacia ad eliminandam omnem superfluam de necessario victu sollicitudinem. 1. Quia immoderata isthaec sollicitudo propria est gentilium, divinam negantium providentiam. 2. Quia Patrem habemus Deum, qui *ut sapiens* nostras necessitates habet optime perspectas, *ut omnipotens* potest succurrere, *ut Pater* vult auxilium ferre.

En firmissimum inconcussae spei meae fundamentum! Patrem habeo Deum: Patrem coelestem, cujus sapientiam nulla necessitatum mearum fugit: Patrem optimum, quem ipsa bonitas ad subveniendum impellit: Patrem, cujus omnipotentia, nec bonitate, nec sapientia minor, efficacissima subministrat juvandi media. Has veritates si credo, quid timendum mihi? si non credo, numquid ethnicus sum omni fide destitutus?

Grates immensas tibi ago, clementissime Deus, pro divino orthodoxae fidei lumine: sum fidelis. Credo firmiter, nullam esse necessitatum mearum, quae non clarissime tibi pateat. Imo omnes meae necessitates, mala, imbecillitates, infortunia infinite melius tibi sunt cognita, quam mihimet ipsi. Cor tibi est plus quam paternum, ad commiserationem te movens, nec aliquid tuae bonitati potest obicem ponere. Et hoc, Pater amantissime, sufficit mihi, ut tranquille et sine cura tibi serviam; etenim, quamdiu fidem cum spe retinuero, certus sum, nihil unquam mihi defuturum.

PUNCTUM III.

Quaerite ergo primum regnum Dei, et justitiam ejus, et haec omnia adjicientur vobis.

Haec Servatoris conclusio modum nos docet nostra ordinandi desideria, ut mereamur Deo curae esse. *Primum*

et ante omnia *quaerere* oportet *regnum Dei:* haec unica sit nostrorum meta et scopus votorum, ita ut nihil tanti aestimemus, ac regnum coeleste. Hoc ut mereamur, opus est, ut continuo quaeramus *justitiam* seu sanctitatem, probe gnari, quod sine hac illud nunquam simus consecuturi. Si solliciti sumus, ut Deus in nobis regnet per sanctitatem, nos autem in illo per gloriam, adeo copiosam Dei benedictionem impetrabimus, ut nullum unquam bonum, seu spirituale, seu temporale, dummodo hoc illi non obsistat, nobis sit defuturum.

Ex adductis Christi verbis quanta in justos securitas promanat, quanta consolatio, si cogitent: Nos sumus Dei, et Deus est noster! Solum opus est, ut ejus honor mihi sit curae: et salus mea ipsi erit curae et cordi; dummodo sincere ipsi serviam, nihil mihi deerit; Domino enim servio, qui suorum nunquam obliviscitur servorum, et omnia large remuneratur obsequia.

En igitur totum me tibi consecro, Dominus meus et rex meus! Omnis imposterum sollicitudo mea in eo vertetur, ut fideliter tuam procurem gloriam, et, qua possum, in omnium corde tuum stabiliam regnum. Tuae me totum voluntati permitto: in manibus tuis sunt vita et sortes meae. Tuae penitus me committo providentiae: nihil bonorum in terris a te peto, nisi quantum sunt necessaria, ut acquiram coelestia: imo nec aeterna aliter peto a te, quam ut tu aeternum glorificeris in me.

Feria II.

De infinita Dei misericordia.

PUNCTUM I.

Quamvis divinae perfectiones, qua in Deo sunt, omnes sint aequales, in ordine tamen ad effectus, qui in eis resplendent, altera alteri praeeminet. Ita S. Jacobus (2, 13.): *Misericordia*, ait, *superexaltat judicium*, seu justitiam supereminet. Deus ipse in Scriptura magis gloriatur de misericordiae operibus, quam justitiae. Ex sua essentia magis inclinatur ad clementiam, nec punit, nisi invitus, et per peccata nostra prope coactus. Quamquam et castigans misericordiae non obliviscatur, utpote quae peccatorem

praevenit excitando ad poenitentiam, ut effugiat poenam: et *comitatur* justitiam, ut hujus mitiget rigorem, et reddat salutarem. Hunc in sensum dixit propheta: Domine, *cum iratus fueris, misericordiae recordaberis.* (Habac. 3, 2.)

O mi Deus, quantum haec verba solatium inspirant nobis plane infirmis et ad peccandum proclivibus! Jure quidem Dei toties a nobis offensi justitiam formidamus: at numquid misericordiam Patris amantissimi magis sperare possumus et debemus? Sicut in Deo misericordia superexaltat judicium, ita spes in nobis debet misericordiam exaltare super timorem, et, quando Deus nobis vehementer irascitur, a tribunali justitiae fas est nobis appellare ad tribunal misericordiae, et adire *cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* (Hebr. 4, 16.)

Ad hunc gratiae thronum confugio, o Deus justissime simul et misericordissime, humilique plenus fiducia audeo in conspectu tuo comparere, demississime supplex, ut tuae potius clementiae, quam meorum clamorem scelerum audias. Gravissima (fateor) merui supplicia, et subire paratus sum; at novi pariter, te Patrem esse misericordiarum, meque in paternum clementiae tuae conjicio sinum velut asylum, quod me adversus iram tuam defendit: inde non repelles invitum, sed supplici sua condonabis peccata: ibi semper me proteges in tempore, et ego misericordias tuas cantabo in aeternitate.

PUNCTUM II.

Consideremus magnitudinem et latitudinem misericordiae Dei. Teste Psalmista *misericordia Domini plena est terra* (Psal. 32, 5.), quia nullam in terris creaturam reperire est, quae non quibusdam miseriis obnoxia, atque adeo divinae sit objectum misericordiae. Sicut autem miseriarum omnium maxima est peccatum, ita Dei misericordia praecipue ad peccatores extenditur prorsus nemine excepto. Exspectat omnes cum patientia, quaerit cum diligentia, invitat cum suavitate, veniam donat sine mora et difficultate, in gratiam recipit sine peccatorum exprobratione, imo et recordatione.

Testem hujus rei habemus Scripturam: *Domine*, ait, *misereris omnium, quia omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter poenitentiam; diligis enim omnia, quae sunt: parcis autem omnibus, quoniam tuae sunt, Domine, qui amas animas.* (Sap. 11, 24. sq.)

En, anima mea: hoc ipsum debet arcere desperationem, immodicum temperare timorem, animare fiduciam, emollire et lucrari corda sceleratissimorum. Ita prorsus est: quantumcunque vel imbecilles sumus, vel scelesti, infinite major imbecillitatibus nostris Dei omnipotentia, infinite major est sceleribus nostris misericordia, utraque aequaliter infinita: et sicut cor Dei malis nostris immensum tangitur, ita brachium ejus infinita pollet virtute illis medendi. Memor igitur esto, anima mea, prolati ad solatium tuum illius oraculi: *Semel locutus est Deus, duo haec audivi* (quae sunt solidissima spei nostrae fundamenta) *quia potestas Dei est, et tibi, Domine, misericordia.* (Psal. 61, 12. 13.)

O Deus animae meae, duo haec, obsecro, intra cor meum loquere efficaciter, et mirabilem misericordiae tuae cum omnipotentia conjunctionem in me demonstra, ut fretus utraque miserationibus tuis nunquam diffidam. O coelestis animarum sponse, qui meam amas, licet tanto favore indignissimam, *miserere ejus secundum magnam misericordiam tuam, et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem ejus* (Psal. 50, 3.): laetitiam illi redde et amicitiam tuam, ita, ut eam imposterum perdat nunquam.

PUNCTUM III.

Si misericordia Dei plena est terra, coelum, ubi regnant electi, longe magnificentius miserationum ejus theatrum est. Ibi in amicos, postquam eos a miseriis humanis liberavit, et gloriosos hostium suorum victores effecit, suae divitias gloriae pleno alveo effundit.

Speremus firmiter, anima mea, nos ex eorum fore numero, in quibus gloriari Deus ab aeterno decrevit. Ita sperans in miserationibus ejus *benedic, anima mea, Domino, et omnia, quae intra me sunt, nomini sancto ejus: benedic, anima mea, Domino, qui propitiatur*

omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas: qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in misericordia et miserationibus. (Psal. 102, 1. 3. 4.) Enimvero misericordia Dei proprie tua est corona, quia vires et gratiam tibi dedit vincendi hostes tuos in hac vita, et suae coronam gloriae dabit in altera. Grato recolamus animo, quae Deus amoris ait per prophetam: *In caritate perpetua dilexi te; ideo attraxi te miserans* (Jerem. 31, 3.): ut tantae Dei bonitati respondeamus, cum vate regio dicamus ei: *Domine, custodiam legem tuam semper, in saeculum et in saeculum saeculi* (Psal. 118, 44.), ut, ubi eam implevero, tu in me vicissim grande opus aeternae praedestinationis meae adimpleas.

O fons aeterne omnis boni! o Deus meus! o gloria mea! Quid aliud in grati animi signum tibi pro infinitis miserationibus tuis possum reddere, quam laudem et gloriam? illas, dum vita supererit, coram coelo et terra praedicabo, celebraturus, quae fecisti animae meae. Creasti eam, dum erat nihil: protexisti, ubi esse coepit: tuo eam praevenisti lumine, postquam operari potuit: adjuvisti facientem bona, quae ei inspirasti: neve aberraret a via justitiae, tua eam duxisti manu et duces assidue, donec eam ad finem beatum perducas, ubi coronando merita servi tui, tua simul coronabis dona et beneficia.

Feria III.

De infinita Dei liberalitate erga homines.

PUNCTUM I.

Infinita Dei liberalitas in omnibus seu naturae, seu gratiae donis resplendet, dum nobis omnia, quae habuit, pretiosissima, et denique se ipsum dedit. Quod autem summe illam commendat, illud est, quod thesauros suos conferat omnibus sine ulla personarum acceptione, bonis et malis, etsi nulli hominum quidquam debeat, nec proprium ipse quaerat emolumentum. Quin ipsa, quam a nobis omni jure exigit, obedientia et gratitudo effectus divinae sunt benevolentiae, cum solum ideo exigat, ut majora semper beneficia et praemia nobis possit conferre.

Fructus, quem ex hac meditatione oportet haurire, est ardens desiderium par pari, qua licebit per imbecillitatem nostram, Deo referendi: nimirum omnia, quae exspectat et petit a nobis; exactam videlicet non praeceptorum modo, sed et consiliorum observantiam. Ante omnia oportet, quantum fieri poterit, summam Dei liberalitatem aemulari, eique cor nostrum offerre, quod singulariter a nobis postulat ceu rem sibi omnium carissimam, dum continuo clamat: *Praebe, mi fili, cor tuum mihi.* (Prov. 23, 26.)

O Deus infinite liberalis! Quid, obsecro, petis a me, dum cor meum petis in tesseram grati animi pro innumeris, quibus me quotidie cumulas, beneficiis? cor tot nominibus tibi debitum, quot a te gratiis repletum? cor, quod uno solum gradu distat a nihilo, in quod momento quovis recideret, nisi omnipotens manus tua illud conservaret? Lubens cor illud tibi consecro: recipe ergo, et jam nunc cum illo omnia simul desideria, affectiones et obsequia posside, quae per gratiam tuam valet praestare.

PUNCTUM II.

Deus quidem liberalis est erga omnes, multo tamen liberalior erga illos, qui se quoque erga illum liberales exhibent; etenim 1. horum preces semper paratus est propediem exaudire. 2. Ipse prior eos urget ac sollicitat, ut petant, quod volunt. Imo Sanctum eis mittit Spiritum, *qui postulat pro ipsis gemitibus inenarrabilibus.* (Rom. 8, 26.) 3. Preces eorum ac desideria praevertit, et non praestolans, donec verbis se explicent, *exaudit* illos, *antequam clament.* (Isa. 65, 24.) 4. Paterna pro ipsis vigilat providentia. 5. Eos divinis replet consolationibus, ita ut jam nunc aeternae felicitatis delicias praegustent, verificantes Christi promissum: *Date, et dabitur vobis, mensuram bonam et confertam, et coagitatam, et supereffluentem.* (Luc. 6, 38.)

Laetare, anima, quod Domino servias non minus liberali quam opulento. Si solum opulentus esset, non autem liberalis, nemini prodessent opes ejus, praeterquam ipsimet soli. Quod si liberalis esset, non tamen

opulentus, liberalitas ejus sine effectu et emolumento foret. At vero Deus infinitae simul liberalitatis ac opulentiae quid non sperare jubet boni? Noli igitur parce cum Deo erga te adeo liberali agere. Manu aperta et larga ei offer exiguum, quod habes: et ille aperiet suam, ut impleat te omni benedictione.

Utinam integra possiderem regna, o Deus, ut tibi sceptra et coronas possem consecrare! Nihil habeo, aut prope nihil: at exiguum hoc, quod habeo, ex asse tuum est: id toto cordis affectu tibi devoveo restituoque. Si autem diuturniorem ejus usum mihi liberaliter concedas, coelum et terram voco in testes, quod illud aliter non sim consideraturus, quam ut bonum mihi traditum, ut tuis illud obsequiis impendam.

PUNCTUM III.

Comparemus modo parca et ingrata erga Deum corda hominum cum amplissimo et liberali corde, quod Deus gerit erga illos. Licet maximis a Deo cumulati beneficiis, minima ei, quae petit, denegant, et gratitudinis loco, qua ad eum referre deberent omnia, vix cogitant de gratiarum actione. Quid? quod sint, qui per enormem malitiam suis benefactorem summum offendant beneficiis.

Oculos jam in nos ipsos reflectamus, anima mea, et coram Deo videamus, an non et nos ex illorum numero simus. Quid Deo ita benefico rependimus? Qui gratiis ejus usi sumus? An non suis eum armis, beneficiis inquam, oppugnavimus? Quod si eo proterviae ac feritatis delapsi non sumus, quaenam grati animi signa dedimus? qua fidelitate ejus praecepta, consilia, inspirationes observavimus? quo fervore ei hucusque servivimus?

Heu! quanto me pudore suffundunt hae reflexiones! Cur ergo miror, o Deus, quod preces meas et desideria non exaudias: quod absque S. Spiritus unctione cor meum relinquas aridum? utique non quia abbreviata est manus tua, sed quia ingratitudo mea tuam sufflaminat liberalitatem tuamque justitiam ad me puniendum quodammodo cogit. Exosculor punientem manum tuam,

amantissime Pater, et humillima animi submissione venerabundus castigationem suscipio, spe fretus, quod per misericordiam tuam salutaris mihi sit futura, ut inexhaustus liberalitatis tuae fons iterum incipiat consuetas benedictiones et gratias in me effundere.

Feria IV.

De immensitate Dei.

PUNCTUM I.

Deus est immensus: ergo est ubique locorum. Nullus in coelo, terra, et mari, nullus in toto universo datur angulus loci, quem Deus non occupet, impleat, intime penetret. *Numquid non coelum et terram ego impleo?* (Jerem. 23, 24.) ait ipsemet. Et Salomon Deo loquens: *Coeli coelorum*, ait, *te capere non possunt.* (III. Reg. 8, 27.)

Persuasissimum nobis esse debet de hac maximi sane momenti veritate et articulo fidei; est enim fundamentum vitae interioris, nostrae cum Deo unionis, et puritatis cordium, quam sectari oportet; nam si verum est, nullum dari locum adeo reconditum, ubi Deus nos praesens non videat, numquid et nos debemus ubique praesentem intueri, ubique praesentis meminisse, nihil uspiam agere, quod tantae majestati possit displicere? Haec sola cogitatio: *Deus ubique est praesens*, quantum attentionis in oratione, quantum spei et fiduciae in necessitatibus, quantum consolationis debet excitare in adversis!

O Deus immense, cujus *sedes coelum est*, *terra autem scabellum pedum* (Isa. 66, 1.), qui vastissimo totius universi spatio includi non potes, *excelsior coelo, profundior inferno* (Job 11, 8.), de tua gaudeo immensitate: exulto de felici mea necessitate tibi ubivis locorum occurrendi. Ita credo firmissime: *Si ascendero in coelum, tu illic es: si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, et habitavero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua.* (Psal. 138, 8—10.) Non est igitur, cur salutis et perfectionis meae inimicos formidem, quia ab

eorum rabie tutus in paterno sinu tuo, mihi semper et ubivis patente: in isto omne auxilium, et necessarium reperio praesidium.

PUNCTUM II.

Est autem Deus vere et realiter in omnibus locis et rebus triplici modo: scilicet per *essentiam*, *praesentiam*, *potentiam*. 1. Per simplicem suam ac indivisibilem *essentiam* est ubique totus cum omnibus attributis et perfectionibus suis, atque adeo, ubicunque sim, invenio totam Trinitatem: Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum. 2. Est ubique per suam *praesentiam*, omnia cognoscens ac videns etiam occultissima. 3. Per *potentiam*, non solum testis omnium, quae fiunt, sed ut auctor et causa omnium, dando omnibus esse, vivere, operari. Ita clare Apostolus ait: *Non est longe ab unoquoque nostrum; in ipso enim vivimus, et movemur, et sumus.* (Act. 17, 27. 28.)

Anima mea, si vivam haberes fidem, ne tibi abundans suppeteret materia te sancte occupandi, sive intra, sive extra cubiculum et solitudinem tuam. Licet ultimam terrae eremum incoleres, sola non fores, sed Patrem, Filium, et S. Spiritum haberes tecum: de maximo salutis et perfectionis tuae negotio cum invisibili hac Trinitate ibi posses agere. Totus tibi mundus fieret paradisus, et, licet necessarium cum creaturis commercium soleat mentem distrahere, nihilominus, si Creatorem in iis considerares, sufficiens medium haberes continuam in vita publica aeque ac privata collectionem mentis retinendi.

Firmissima teneo fide, o Deus, quod me, ubiubi existentem, tua magis ambiat penetretque essentia, quam aqua spongiam in medio oceani. Credo, quod tuis ubique pateam oculis: quod, si vivam, per te et in te vivam: quod, si pedem moveam, tu motum prior imprimas. Fac igitur, ut oculis fidei te ubique intuear, ubique laudem et diligam tota animi contentione.

PUNCTUM III.

Quamvis Deus sit in omnibus locis et rebus, est tamen *speciali quadam ratione* in aliquibus: videlicet

1. *In coelo*, ubi perfecte suam ostentat magnificentiam, et reducto, quod nostris eum oculis in terra subducit, sipario clare et aperte totum se manifestat. 2. *In terra*, seu certis in locis ejus honori dedicatis, ubi singularia praesentiae suae indicia, et peculiares gratias illis exhibet, qui illuc veniunt in spiritu et veritate Deum adoraturi. 3. *In justis*, qui in Deo vivunt, sicut ipse in iis vivit *per gratiam* juxta effatum Apostoli: *Qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo.* (I. Joan. 4, 16.)

Quam jucundum, quam volupe est animabus justorum in coelum usque, ubi Deus virtutum regnat, animo et spiritu ascendere, ejus praesentia jam frui in templis! Sed quid dico *in templis?* quanta consolatio est ipsis, esse viva inhabitantis divinae majestatis templa, possidere Deum, ejus frui praesentia, uti consuetudine, et familiaribus colloquiis, ejus blanditias et omnia verae amicitiae signa experiri! Quam jucundum, quam volupe id est!

Haec nimirum, Domine, singularis praerogativa est ante alios tibi carissimorum, qui spretis mundi voluptatibus alias non quaerunt delicias, quam tui amorem et possessionem. Tuo eos spiritu vivificas: fiducia, pace et gaudio reples: aeternas paradisi delicias jam nunc praegustandas illis propinas, dum ope superni luminis se tua immensitate velut absorptos, te vero, utut immensum, suo inclusum cordi vident. Adeo singulares obstupesco gratias: at iis simul me agnosco indignissimum, contentus, te in vita possidere per caritatem cum firma spe te revelata facie intuendi in aeternitate.

Feria V.

De infinita sapientia et scientia Dei.

PUNCTUM I.

Considera, in quo sapientia et scientia Dei omnem scientiam et sapientiam angelorum hominumque transcendat. 1. Solus Deus se ipsum cognoscit et comprehendit perfectissime. 2. Sua in essentia, velut in speculo omnia clarissime videt: praeterita, praesentia, et futura.

3. Distincte inter se discernit *solum possibilia* ab iis, quae jam produxit aut vult producere. 4. Infinitam hanc suarum perfectionum omniumque creatorum cognitionem non aliunde accepit, quam a se ipso, idque per essentiam suam. 5. Contra angeli omnes cum hominibus omnem ab eo accepere scientiam et sapientiam. Ea de causa mater Samuelis eum appellat *scientiarum Dominum*, utpote earum auctorem et principium.

Ingredere modo, anima mea, humili cum reverentia immensum sapientiae Dei pelagus ac abyssum: adora ejus profunditatem, et in ejus comparatione non solum humanam, sed et angelicam scientiam velut aquae guttam respectu maris considerans, humili cum affectu exclama:

O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viae ejus! (Rom. 11, 33.) Domine, scientia tua est summe admirabilis, et cognitiones tuae multo sublimiores, quam ego cogitatione possim assequi: igitur humili eas veneratione adoro, et, quae sola est gloria mea, palam profiteor, te, sicut *nemo bonus, nisi tu solus*, ita solum esse sapientem, humanam autem scientiam non nisi tenuem esse radium, quem a te, omnis lucis fonte, hausimus.

PUNCTUM II.

Considera stupendos divinae sapientiae *effectus* tam in operibus *naturae,* quorum pulchritudo, varietas, et ordo sunt totidem clara divinae sapientiae vestigia: quam in operibus *gratiae*, e quibus illa multo clarius elucescit: ut patet in hypostatica Verbi divini unione cum natura humana, ubi amore nostri mirabiliter justitiam cum misericordia conjunxit. Patet item in selectu mediorum, quibus providentia Dei utitur, ut maximum praedestinationis sanctorum opus feliciter ad finem perducat, ita quidem, ut Deus nil possit agere, nisi duce et motrice sapientia, qua sine nec ejus bonitas se potest communicare, nec amare caritas, nec justitia poenas aut supplicia decernere, quoniam *omnia*, quae facit, ex essentia sua *facit in sapientia.*

Meditemur jam *in omnibus Dei operibus, et in adinventionibus* divinae providentiae *exerceamur* (Psal. 76, 13.): sint illae perpetuum admirationis et laudis nostrae argumentum, earumque excellentia ac multitudine longe magis attoniti, quam regina Saba fuerit ob pulcherrimum in regia Salomonis ordinem, dicamus cum illa gaudio et stupore abrepti:

Verus est sermo, o Deus, *quem audivi super sapientia tua: major est sapientia et opera tua, quam rumor, quem audivi. Beati servi tui, qui stant coram te semper, et audiunt sapientiam tuam.* (III. Reg. 10, 6—8.) Beatis hisce proceribus, qui tuae sunt testes et participes sapientiae, ut aliquando accensear, quid facere possum, o Deus infinite bone et infinite sapiens, nisi ut vivendo sancte gratum me exhibeam tuae bonitati, obedientem omnibus sapientiae tuae mandatis? Certe in utrumque per omnem vitam sedulo cum tua gratia incumbam.

PUNCTUM III.

Denique consideremus *modum*, quo sapientia Dei res omnes tam in ordine naturae, quam gratiae gubernat: et est modus gubernandi suavis simul et efficax, ita, ut volens sapientia efficaciter finem infinite sanctum et prudentem, media quoque eum obtinendi adhibeat opportunissima, facillima, efficacissima. *Attingit*, ait de ea Salomon, *a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.* (Sap. 8, 1.)

Quam parum, o Deus, haec tua sapientia mundo est cognita! Quanta est mortalium caecitas sese ejus gubernationi opponere! infallibilis est et efficax, quidquid opposuerint. Quam iniquum de ea conqueri! Suavis est, amabilis est, et nemini potest dura videri, nisi rebellibus, qui noluerunt ejus suavitatem unquam gustare. Capiamus ipsimet experimentum nos eidem plene resignando: et brevi ejus suavitatem experiemur, uti expertus est, qui dixit: *Hanc amavi, et exquisivi a juventute mea, et quaesivi sponsam mihi eam assumere, et amator factus sum formae illius.* (Sap. 8, 2.)

Et quomodo non amem te, o incomparabilis sapientia? et quomodo non securus in te quiescam, quidquid mihi

acciderit? Tu plena es fortitudine, gratia, lumine: nil mihi deerit, si sub omnipotenti protectione tua vivere mihi licuerit. Mitte igitur, clementissime Deus, *mitte* sapientiam *de coelis sanctis tuis, et a sede magnitudinis tuae, ut mecum sit, et mecum laboret, ut sciam, quid acceptum sit apud te.* (Sap. 9, 10.) Fac, ut in omni opere me praecedat, comitetur, et eo tandem deducat, ubi cum electis tuis regnas in saecula saeculorum.

Feria VI.

De omnipotentia Dei.

PUNCTUM I.

Omnipotentia Dei est infinita, omni carens limite ac termino quoad numerum, magnitudinem et perfectionem operum suorum. *Non est impossibile apud Deum omne verbum* (Luc. 1, 37.), quod contradictionem non involvit. Velle ejus est posse. Uti hactenus omnia, *quaecunque voluit, fecit*, ita faciet in futurum, quae volet. Atque haec ratio est, cur Sapiens dixerit ad Deum: *Subest tibi, cum volueris, posse.* (Sap. 12, 18.)

Quanto fideli animae solatio est dicere sibi posse: Dominus, cui servio, infinite magnus est: ejus potentia est infinite magna! Quid ergo timendum mihi, si fruar ejus gratia et protectione? Insurgant contra me omnes creaturae: si omnipotens me tueatur, tranquilla ero et tuta extra omnem teli jactum.

Equidem tanta fidelitate, o Deus, tibi hactenus non servivi, ut mihi protectionem adeo potentem ausim polliceri: at, ut eam promerear, nihil imposterum non agam. Spero quoque, debiles conatus meos a te suffultum iri. En! effundo in conspectu tuo animam meam cum omnibus desideriis et affectionibus ejus. Tu meas agnoscis infirmitates: sed et remedia nosti. *Domine! si vis, potes me mundare.* (Matth. 8, 2.) Gaudio maximopere, quod omnipotentia tua sit constituta in manibus infinitae bonitatis tuae; cum enim tantum me ames, Domine, firmissime spero, fore, ut fortitudo brachii tui efficiat, quidquid ad meam utilitatem misericordia tua decreverit; *non enim amas, et deseris.* (S. Aug.)

PUNCTUM II.

Solus quidem Deus natura sua est omnipotens, non tamen ita, ut nihil potentiae velit communicare creaturis, praesertim angelis et hominibus, quos non raro adhibet tamquam instrumenta ad effectus mirabiles et naturae viribus superiores producendos.

Itaque causam habeo meis diffidendi viribus, non tamen concidendi animo. Ex me nihil sum, nihil scio, nihil possum; et, quamvis omnes intenderem nervos ad assequendam status mei perfectionem, ex me tamen *sufficiens non sum cogitare aliquid a me quasi ex me* (II. Cor. 3, 5.), nedum in via virtutis vel latum unguem progredi. Atque hoc ipsum me debet et reddere et conservare humilem, illud autem erigere ac animos addere imbecilli, quod 1. per gratiam omnipotentis evadam tam fortis ac potens, quam debilis et impotens sum per naturam. 2. Quod *omnia possibilia sint credenti.* (Marc. 9, 22.) 3. Quod Deus soleat imbecillibus uti instrumentis, nihilque ejus honorem ac omnipotentiam magis illustret, quam modo praedicto omnipotentes reddere illos, qui confidunt in ipso.

Quantas possum, grates tibi ago, mi Deus, quod digneris meae fidei tua concedere auxilia, tuamque mihi communicare potentiam: in hac sola confido, sperans, fore, ut, quamdiu mecum laboraverit, omnia, quae jusseris, facillime exequar. Repeto, Domine: nihil sum, nihil sum, nihil possum ex me: et *omnia possum in eo, qui me confortat.* (Philip. 4, 13.)

PUNCTUM III.

Omnipotentia Dei cum *sapientia* ac *bonitate* nunquam est otiosa, sed assidue occupatur nobis benefaciendo. Tria haec attributa, quorum primum Deo Patri, alterum Filio, tertium Spiritui Sancto appropriatur, sunt velut *tres digiti, quibus appendit Deus molem terrae* (Isa. 40, 12.), et creaturis omnibus *esse, vivere* ac *moveri*, impertitur. *Sapientia* cognoscit et ostendit Deo media certa ac infallibilia, ut ad suos quamlibet fines perducat. *Bonitas* eum impellit ad usum mediorum. *Omnipotentia*, quod decrevit, exequitur.

Quid mihi deerit, si Deo tam bono, tam sapienti, tam potenti regendum me trado? Meas cognoscit miserias: infinite melior est, quam ut ad commiserationem non permoveatur: ejus potentia unum idemque est cum bonitate: nullum igitur dubium esse potest, quin meis in necessitatibus, quamdiu sub ejus manu et directione permansero, sit mihi semper subventurus.

O Deus unius essentiae in tribus personis! Deus adorande, cujus sapientia aequalis est potentiae, potentia bonitati! dissipa tenebras intellectus mei per tuae lumen *sapientiae*; allice voluntatem meam per blanditias *bonitatis* tuae: corrobora omnes animae meae facultates per virtutem *omnipotentiae* tuae: adauge fidem, spem et caritatem, ut nihil aliud cogitem, quam tibi servire, meque totum manibus tuis tradam in tempore ac aeternitate.

Sabbato.

Repete meditationem praecedentem.

Dominica XV. post Pentecosten.

Filius viduae ad vitam suscitatur.

(Luc. 7, 12. sq.)

Vide medit. Fer. V. Hebd. VIII. post Pent. pag. 55.

Feria II.

De omnipotentia Dei in creatione mundi.

(Gen. 1, 1. sq.)

PUNCTUM I.

Postquam Deus decrevit suam exercere omnipotentiam, *in principio* (en primum fidei nostrae articulum) *creavit coelum et terram* cum omnibus, quae sunt in mundo, nulla prorsus re excepta: id quod S. Joannes (1, 3.) indicat, loquens de aeterno Dei Verbo: *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.*

Igitur ante creationem mundi omnia suo in *nihilo* jacebant sepulta, praeter Deum, qui solus in sua aeternitate subsistebat, perfectissime in semetipso beatus:

neque ad hoc re alia, quam se ipso, indigebat. Quid ergo illum potuit impellere, ut me crearet, et quidem prae tot aliis, quos in abysso *nihili* sui reliquit? Scilicet creavit me ex mera et singulari bonitate, ut suae divitias omnipotentiae manifestaret in me.

Aeterne Deus! quid, amabo, in anima mea vidisti, ut tuo eam obtutu dignareris? ut me creares hominem, miserum aeque ac vita indignum? tu, qui habebas, si creare voluisses, in sinu omnipotentiae tuae infinitam hominum multitudinem, qui longe melius quam ego poterant tibi servire et sanctum nomen tuum glorificare? Quid autem pro singulari isthoc favore tibi rependam? fierine possit, ut totum me tibi non devoveam, quem creasti totum? ut totum *esse* meum, quod a te liberaliter et gratuito accepi, tuis non consecrem obsequiis? ut aliud quaeram emolumentum praeter gloriam tuam? Nonne, quod tot innumeris me praetuleris, meretur et jure suo postulat, ut in meo intellectu et corde omnibus quoque creaturis te praeferam?

PUNCTUM II.

Omnipotentiam Dei in creatione mundi longe illustriorem illud reddit, quod eum ex abysso *nihili* sui extraxerit, et, qualis est, secundum omnes suas partes, *sola voluntate sua et imperio* formaverit sine alterius ope ac ministerio, sine mora, labore et resistentia. Hic nimirum character est et nota omnipotentis, *vocare ea, quae non sunt, tamquam ea, quae sunt* (Rom. 4, 17.): efficere, ut voci suae ac imperio obediat *nihilum:* facere, ut e *nihilo* creaturae exurgant, quae ei obsequia et amorem possint praestare. Soli Deo proprium est dicere: *Ego Dominus faciens omnia haec.* (Isa. 45, 7.) Item: *Ego extendi coelos solus* (Job 9, 8.), et firmavi terram. Et quidem opus adeo vastum, grande, magnificum solo perfecit verbo, imperio, nutu: *dixitque Deus: fiat lux, et facta est lux.* Imo omnia, *quia ipse dixit, facta sunt: ipse mandavit, et creata sunt.* (Psal. 148, 5.)

Anima mea, qui poteris adeo potenti Domino tuam abnuere obedientiam? Vah! quanta foret vilis creaturae protervia Domino resistere, cujus imperio vel ipsum

obtemperat *nihilum*? Quanta simul ingratitudo tua, si ex eo, quod es et habes totum a tuo Creatore, atque adeo totum ad ejus gloriam referre oportet, materiam faceres superbiae et vanae gloriolae?

O Deus omnipotens! aequissimum est, ut, quam ex *nihilo* totam eduxisti, anima mea tibi serviat tota. Ita est, Domine: totum, quod sum et possideo, accepi a te: totum ergo tibi restituam, quin de alia re unquam sim gloriaturus, praeterquam quod sim opus manuum tuarum. Mihi *intellectum* dedisti: omnes ejus cogitationes offero. *Cor* dedisti: omnem ejus amorem tibi consecro. *Liberam* dedisti *voluntatem*, quae possit velle et nolle: renuntio libertati seu potentiae violandi leges tuas: solam mihi reservo facultatem eas fideliter adimplendi.

PUNCTUM III.

Poterat quidem Deus unico instanti totum simul creare universum, voluit tamen illud per intervalla et impendio sex dierum producere, ut 1. disceremus singulares tanti operis partes commode, paulatim, et successive contemplari. 2. Ut nos ad majorem sui amorem et gratitudinem propter unumquodque horum beneficiorum excitaret. 3. Ut nobis ostenderet, a se eundem fere stilum ac ordinem servari in opere sanctificationis nostrae, per partes solum et gradus impertiendae.

Nonne Deo unicum sufficit momentum, ut nos sanctificet et ad sublime perfectionis culmen perducat? utique. Cur ergo id solummodo facit pedetentim, per partes et gradus? Nimirum ut nostram ad omne bonum impotentiam nobis clare demonstret: ut nos saepius ad se recurrere cogat: ut ostendat nobis, quam necessario ab ejus gratia assidue dependeamus.

Magne Deus, qui fieri potest, ut tuam ubique majestatem non agnoscamus? Quamcunque in partem convertimur, tuae vestigia et notas omnipotentiae legimus ac intuemur; ubique materiam te admirandi, te glorificandi reperimus. Extra me creaturae omnes ad laudandum Creatorem excitant: intra me nullus non motus supernaturalis me impellit, ut Deum, qui me sanctificat, diligam: tuis igitur beneficiis atque prodigiosis

operibus ubique circumfusus, qui possim non in momenta suspicere, contemplari, amare divinas perfectiones tuas?

Feria III.

Quid Deus primo omnium creavit.

(Gen. 1, 1. 2.)

PUNCTUM I.

In principio temporis Pater aeternus cum Filio suo, qui est principium omnis creaturae, et cum S. Spiritu *creavit coelos*, et inter eos coelum mole, pulchritudine, ac magnificentia supremum, vulgo *empyreum*, quod ceu sedes et regia ipsius Dei reliquos omnes coelos cum omnibus elementis et tota mundi aspectabilis machina ambit ac intra se complectitur. Eodem temporis instanti *creavit terram*, et in mundi medio, velut centrum ejus, posuit.

Cur autem Deus duo inter se adeo diversa eodem simul tempore creavit? cur coelum adeo pulchrum, *terram* autem *inanem et vacuam* omni decore condidit? Agnosce, anima mea, per id voluisse Deum, ut ames coelum, terram spernas, hanc ut locum exilii, illud considerando ut patriam. An id praestas? Num continuo ad tuam aspiras patriam? Nauseasne totum, quod mundus tuis offert oculis? O quantum vestram deploro sortem, filii hominum, qui plurima ex parte vivitis coeli immemores, et solis terrae sordibus immersi!

Ah Domine Deus! Noli permittere, ut ex horum sim numero. Da, ut patienti animo taedia, labores ac miserias hujus vita perferam, et cum gaudio semper in coelesti patria oculos defigam. Avelle cor meum ab omnibus terrenis: fac, ut, quae pulchra mihi videntur magnaque, non aliter me afficiant, quam ut coeli recorder, cui comparata tellus solummodo punctum est, nihil est, omni decore ac venustate vacuum.

PUNCTUM II.

Quae modo diximus, confirmat *ratio et modus*, quem Deus in creatione coeli et terrae adhibuit. Terram

creavit *inanem et vacuam*, sine arboribus et incolis, coelum autem innumeris replevit angelis; quos omnibus naturae et gratiae donis instruxit, prout cuilibet convenire divina judicabat sapientia.

O quantum coelo ornamentum attulit tam numerosus et pulcher spirituum purissimorum exercitus! Quantam Deus ab illis, qui constanter et fideliter ei adhaesere, gloriam recepit! tantam nimirum, ut postea apud Job (38, 4. 7.) gloriatus fuerit, dicens: *Ubi eras, cum me laudarent simul astra matutina?* h. e. cum angeli a me vix conditi, stellarum instar rutilantes, concordi opera mihi tributum laudis penderent? E contrario quam horridum terra fuit spectaculum! satis apparebat, quod Deus in ea locum exilii et vallem lacrimarum voluerit condere.

At enim non ero semper, o Deus, in hoc squalido carcere, ubi sub praegravi miseriarum pondere gemo: evolabo inde per gratiam tuam in beatum verae libertatis domicilium. Interea dum illuc perveniam, assidue cum propheta clamabo, sancta abreptus morae impatientia: *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini! Beati, qui habitant in domo tua: in saecula saeculorum laudabunt te.* Fac, Domine, ut et ego tuis aliquando annumerer aulicis: da, ut *in hac lacrimarum valle*, in loco, ubi me posuisti, *eam de virtute in virtutem*, donec *videam Deum deorum in Sion.* (Psal. 83. 2. sq.)

PUNCTUM III.

Spiritus Dei ferebatur super aquas, calore suo reddens foecundas, ut SS. Patres cum Ecclesia per comparationem cum gallina explicant; sicut enim ista ovis incubando illa calore suo vivificat, ut producantur pulli, ita Creator Spiritus aquis superimpendens, admirabilem illis communicabat foecunditatem, et materiam praeparabat, unde infinita piscium et volatilium agmina debebant produci.

Neque hic stitit virtus S. Spiritus, sed jam tunc coepit aquas praeparare, ut suo tempore ad eluenda hominum peccata et ad conferendam ipsis in baptismi

fonte gratiam aptae redderentur. Et nonne prodigiosos quotidie effectus in aqua sterili producit Deus, dum nostras vivificat animas ut virtutes excellentissimas possint exercere?

Omnipotens et sanctissime Spiritus, qui inter densas noctis opacae tenebras ferebaris super aquas! meam quoque visita animam, tanto jam tempore in tenebris gementem. Fac, ut sentiat tuae impulsum gratiae, et paulatim ad recipiendam lucem tuam ac dona rite disponatur; semper enim permanebit frigida, nisi tuo eam succendas igne: semper sterilis, nisi tuae participem reddas foecunditatis: semper imperfecta, nisi eam purges, eique amorem perfectionis efficaciter inspires.

Feria IV.

De opere primae diei.

(Gen. 1, 3—5.)

PUNCTUM I.

Dixit Deus: Fiat lux: et facta est lux.

Sapientissimus Conditor creationi initium facit a productione lucis, qua sine totum hoc universum, licet admirandis refertum operibus, nil foret nisi triste chaos et confusus sine utilitate ac ordine acervus, ita ut quivis hominum potuisset cum Tobia dicere: *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, et lumen coeli non video?* (Tob. 5, 12.) Vidit ergo Deus, quod *lux sit bona*, omnique viventi perutilis.

Quid, amabo, nostrae pariter forent animae, si sol justitiae eas suis gratiae radiis non illuminaret? scilicet peccati et ignorantiae tenebris obvolutae, innumeris erroribus et periculis obnoxiae, angelis horrori forent sibique oneri. At ubi primum Dominus lucem gratiae suae ipsis impertire dignatur, sine mora fit earum mutatio, et securae per viam salutis ambulantes, angelorum et coeli gaudium evadunt.

Benedictus sis aeternum, o *Pater luminum*, ob duplicem hanc lucem, quam ad illuminandum corpus simul et animam meam condidisti. Millies sis benedictus

ob lucem *corpoream*, quae mihi pulchritudinem operum omnipotentiae tuae detegit: at millies amplius, et millies sis benedictus, quod lucem addideris *spiritualem*, qua illustratus thesauros gratiae tuae per lumen fidei agnosco, et invisibilia bonitatis tuae prodigia conspicio. O Verbum divinum, splendor gloriae Patris! Lumen de lumine, fons luminis! illumina tenebras meas, et fac me perfectum *lucis filium*, ut per sola opera lucis merear cum omnibus sanctis lucere in perpetuas aeternitates.

PUNCTUM II.

Opus primae diei fuit *lux*, quia sine lucis praesentia non potest dari *dies*, ac proinde principium dierum a creatione lucis esse debuit. Porro prima die praeter lucem nihil creavit Deus; quamvis enim cum ea potuisset simul plura producere, existimavit tamen in productione lucis, utpote creaturae nobilissimae, satis bene collocatam esse diem integram.

Metiamur ex hoc, anima mea, necessitatem, pretium, et excellentiam *spiritualis*, quam Deus infundit, *lucis*, quia est prima hominis justi perfectio et initium vitae christianae. Sine ea luce nec tantillum in via virtutis possumus progredi: hinc David ajebat: *Vanum est vobis ante lucem surgere.* (Psal. 126, 2.) Discamus ergo hanc divinam lucem magni facere et frequenter a Deo petere.

O *lux vera, quae illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum* (Joan. 1, 9.), postquam ad usum rationis pervenit: tua me luce praeveni, ut te cognoscam et amem. O *sapientia divina, quae ex ore Altissimi prodiisti*, fons aeterne luminum, tuis me radiis illustra: omnes meos illumina gressus, meque tam feliciter per tenebras et noctem hujus vitae deducito, ut ad regnum gloriae perveniam, ubi omnes sancti tui claritate perpetua fulgebunt.

PUNCTUM III.

Creator *divisit lucem a tenebris; appellavitque lucem diem, et tenebras noctem.*

Voluit nimirum Deus in terra esse vicissitudinem seu successionem lucis et tenebrarum, diei et noctis,

ut homines de die operarentur beneficio lucis, et nocte a laboribus quiescerent ope tenebrarum.

Agamus meritas Deo grates pro tam suavi providentia, et dicamus cum propheta: *Benedicite lux et tenebrae Domino: benedicite noctes et dies Domino: laudate et superexaltate eum in saecula.* (Dan. 3, 71. 72.).

Haec diei et noctis vicissitudo non minus in ordine *gratiae* quam *naturae* locum habet. Dantur justi seu *filii lucis:* dantur et peccatores seu *filii tenebrarum.* Porro unus idemque homo diversis temporibus huic vicissitudini obnoxius est. Ambulat modo in luce gratiae, modo in tenebris peccati. Imo in eodem justo lux et singulares animi illustrationes cum tenebris et ariditatibus quotidie alternant vices.

O mi Deus! o Deus aeternae claritatis! quam grave ac molestum accidit filio lucis vivere inter filios tenebrarum! At quanto adhuc tristius illi est quotidie in periculo versari amittendae, qua eum praevenisti, lucis, et continuae obnoxium esse vicissitudini! Omnipotens Deus, qui lucem separasti a tenebris, ne permittas, quaeso, nos delabi in umbram mortis seu peccati. Libera illos, qui in ea sedent. Da, ut ope lucis tuae curramus omnes tuorum viam mandatorum. Nostram fige inconstantiam, siste mobilitatem, ut gratia tua per asperam et difficilem hujus vitae viam tuto nos perducat ad aeternas sedes, ubi sol justitiae facit diem et *lumen oriri indeficiens.* (Eccli. 24, 6.)

Feria V.

De opere diei secundae.

(Gen. 1, 6—8.)

PUNCTUM I.

Dixit quoque Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum.

Firmamentum est aër, coelum inter et terram diffusus. Mirae sunt hujus elementi utilitates; in eo enim vivimus, respiramus, movemur et stamus: per ipsum species colorum, soni et odoris cum luce et reliquo coeli influxu ad sensus nostros deferuntur. Sicut ergo

aër est quasi universale instrumentum, quo Deus nobis innumera confert beneficia, ita totidem oporteret Creatori actus gratitudinis referre, quot sunt respirationes nostrae.

Cur autem nomen *firmamenti*, coelis alias proprium, qui *solidissimi quasi aëre fusi sunt* (Job 37, 18.), aëri tribuitur, elemento sane tenuissimo et parum stabili? ideo nimirum, quia, utut tenue in se ipso corpus, omnia tamen corpora sublunaria inter se indissolubilis instar vinculi unit, nullo unquam relicto.

Aër, Domine, imago est S. Spiritus tui, qui omnes Christi fideles inter se unit, et unum efficit corpus, cujus caput est Filius tuus, Jesus Christus. Uni eos vinculo indissolubili, et sicut eorum intellectum unis in unitate ejusdem fidei, ita dignare eorum corda sacro divinae caritatis tuae vinculo unire.

PUNCTUM II.

Firmamentum *dividat aquas ab aquis*, h. e. *aquas, quae erant sub firmamento* in terra, *ab aquis, quae erant super firmamentum* in nubibus.

Obstupesce, anima mea, potentiam, bonitatem, sapientiam Creatoris, adeo utiliter in commoda hominum aquas dividentis. Partem earum crassiorem relinquit in terra, ut mare et fluvios progignant: partem vero subtiliorem suspensam tenet; neve agros loco irrigationis necessariae, si uno simul impetu decidant, penitus cum animantibus submergerent, *eas in nubibus suis ligat* (Job 26, 8.), et sensim per partes guttasque paterna prorsus bonitate dispensat, vere *Pater pluviae et roris.* (Job 38, 28.)

O infinite sapiens Creatoris potentia! *Benedicite aquae omnes, quae super coelos sunt, Domino! Benedicite omnis imber et ros Domino* (Dan. 3, 60. 64.), et sicut ista aquarum dispensatio ingens est beneficium, commune justis et peccatoribus, ita utrique junctis vocibus et animis humillimas tibi grates agant, certentque Domino servire, qui amore tam paterno utrorumque necessitatibus providit.

Verum enimvero si tantas, mi Deus, grates tibi debeo, quod terram irriges aquis materialibus, quantas debebo, quod animam meam foecundes aquis gratiae

spiritualibus? his destituta quid foret aliud, quam terra sine aqua, terra sterilis et arida, nec ad flores bonorum desideriorum, nec ad fructus bonorum operum aut solidarum virtutum producendos idonea?

PUNCTUM III.

Vocavitque Deus firmamentum coelum, quo nomine comprehendens non solum vasta et solida coelorum corpora, sed et aërem, quia ut coeli est elevatus supra nos, transparens, lucem recipiens, etc.

Firmamentum nostrae typus est animae, ex se nihil habentis praeter tenebras, inconstantiam, confusionem: at longe alia est a se ipsa, quando Deus eam illuminat in intellectu, solidat in virtute, et hac ratione mutat in coelum, ubi ipse vult regnare; tunc enim sua eam luce irradiat, per sua dona et virtutes infusas in bono *confirmat:* in ea *divisionem* facit *aquarum*, h. e. affectionum *naturae* et inclinationum *gratiae.* Illas prius inordinatas ita redigit in ordinem, ut caro subjiciatur spiritui, et uterque imperio gratiae tanto utriusque consensu, ut ex superiore hominis parte, ubi spiritus imperat, dulces non raro pluviae decidant, quae terrestrem hominis partem irrigant, et eximiorum fructuum reddunt feracem.

Domine Deus, cum pari modo meam transformas animam, aeque mirabiles gratiae tuae effectus experior: sentio, inquam, tua me luce et coelesti unctione totum perfundi, mentis tenebras dispelli, animae instabilitatem figi: tunc non angunt me ullae tentationes, non turbant passiones: quin dulcedo tua, quam delibat anima, se in corpus quoque diffundit, adeo, ut cum propheta possim exclamare: *Cor meum, et caro mea exultaverunt in Deum vivum* (Psal. 83, 3.), quia utrumque copiosa benedictione sua replet.

Feria VI.

De opere tertiae diei.

(Gen. 1, 9—13.)

PUNCTUM I.

Dixit vero Deus: Congregentur aquae, quae sub coelo sunt, in locum unum, et appareat arida. Et factum

est ita. Et vocavit Deus aridam terram, congregationesque aquarum appellavit maria.

Absque mora ad solum Dei imperium aquae, terram ubique cooperientes, contra naturalem suam propensionem in vastas terrae cavitates, a Deo sibi assignatas, se receperunt: terra vero ex una parte in montes assurrexit, ex altera resedit in valles abyssos, ut sinu suo posset maria recipere juxta illud: *Ascendunt montes, et descendunt campi in locum, quem fundasti eis.* (Psal. 103, 8.)

Discamus, anima mea, ab his sensus et rationis expertibus elementis Deo in omnibus obedire, et exemplo terrae quamlibet figuram juxta beneplacitum Dei recipere, aeque contenti, si nos in altum tollat, atque si deprimat in profundum. Nec repugnantiae naturali cedamus, nec inclinationi. Teneamus constanter ordinem et locum, quem Deus nobis assignabit, et, quod mari est *arena*, quam *Deus* ei *posuit terminum* et limitem non transiliendum (Jer. 5, 22.), id nobis sit Dei beneplacitum: hoc solum, inquam, noster sit limes et terminus, quem caecus passionum nostrarum impetus et furor nunquam egrediatur.

Omnipotens Deus, cujus voci et imperio nihil resistit, legem pone desideriis et cogitationibus meis, quae more aquarum, ripas et aggeres perrumpentium, in omnem sese terram effundunt: collige eas in te solum, qui earum debes esse centrum: impetum siste mearum passionum: dic illis pari, quam in mare exerces, auctoritate et efficacia: *Usque huc venies, et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos.* (Job 38, 11.) Tuam lubens complectar voluntatem, quidquid feceris de me. Seu ad sublimes cathedras me eleves, seu ad humilia deprimas officia, aequaliter contentum videbis et unice laetum, si tuam perfecte possim adimplere voluntatem.

PUNCTUM II.

Adjecit Deus: *Germinet terra herbam virentem et facientem semen, et lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum: et factum est ita.*

Creator non contentus hac die terram aperuisse, atque etiam exsiccasse, non exspectata die altera eam amoena induit viriditate, exornavit floribus et omnis generis plantis, quae momento justa magnitudine et perfectione sua superbae proruperunt.

Pari modo Deus, ubi animas nostras a peccatis et corruptione, quae illas Deo et angelis fecerat abominandas, purgavit, mox sua eos vestit et exornat gratia, quae Deo reddit summopere gratas.

Notandum autem, Deum, licet herbas et plantas e nihilo potuisset creare, voluisse, ut terra quoque ad earum productionem concurreret: *Germinet terra* etc. ut significaret, quod, licet ipse sit auctor totius sanctitatis nostrae, nostram tamen cooperationem requirat ac studium. Imo ex parte nostra omnis morae impatiens, quemadmodum hodiernae diei operibus, quae meditando admiramur, omnem elargitur perfectionem, ita non vult in crastinum a nobis rejici, quod in instanti possumus ad nostram perfectionem exequi.

O Deus infinitae magnitudinis simul ac perfectionis: laudet tuam omnipotentiam terra cum herbis, floribus et fructibus. Mire exulto, quod intra tantas temporis angustias tot ac tanta operatus sis prodigia: illa tamen, quae patrares sanctificando animam meam, longe majorem tibi in gloriam cederent. Ne differas igitur grande hoc sanctificationis meae opus; cumque velis, ut ego quoque tibi in ea cooperer omni, quo possum, conatu, en istum, licet debilem, hodie tibi offero. Redde illum efficacem, me vero ab omni imperfectione immunem; *facile est enim in oculis tuis subito honestare pauperem.* (Eccli. 11. 23.)

PUNCTUM III.

Antequam opus hujus diei absolveret Deus, amoenissimam homini, priusquam eum conderet, habitationem praeparaturus, locum ei paravit longe jucundissimum, adeo, ut Scriptura illum appellarit *paradisum voluptatis*. (Gen. 2, 8.) Situs erat in optima mundi totius plaga tam ex parte aëris, quam terrae. Vastissimus ab ingenti et limpidissimo fonte irrigabatur, qui in quatuor flumina

se diffudit, ut omnem late viciniam foecundaret. Consitus erat omnigenis arboribus, pulcherrimo ordine dispositis, quas inter eminebat rarae pulchritudinis arbor, dicta *arbor vitae*, prodigiosi ferax fructus, qui vescentem ab omni morbo et morte tamdiu praeservaret, donec visum Deo fuisset, eum transferre *ad vitam aeternam.*

Quanta Adami, si non peccasset, felicitas fuisset in loco vivere tam amoeno, innocentibus ejusdem deliciis frui, gaudere perfecta animi tranquillitate, et demum ex hoc terreno in coelestem paradisum transferri, ut ibi aeternis cum et in Deo suo gaudiis frueretur! At infelicem illum, nosque in illo, quia per suam inobedientiam nos secum illa felicitate privavit!

Grates tibi ago, mi Deus, grates infinitas, liberalissime Deus, quod nobis habitationem adeo deliciosam paraveris. Ita profecto est: *nobis* non minus ac Adamo paradisum praeparasti, et geminum quidem; nisi enim peccatum protoparentis bonitati tuae obicem posuisset, e terreno secure in coelestem paradisum immigrassemus! Ah Domine! miserere infelicium parentis infelicissimi filiorum, et, si per antiquum ejus peccatum, quod in nos transfudit, primum amisimus paradisum, noli permittere, ut per nova et propria peccata et alterum amittamus. Conserva nos ab omni labe puros in Ecclesia tua, quae revera paradisus est, ubi fideles tuos fructu *arboris vitae* enutris. Da, ut, postquam in eo nos a morte spirituali praeservasti, feliciter transeamus in paradisum voluptatis aeternae. Amen.

Sabbato.

De opere diei quartae.

(Gen. 1, 14—19.)

PUNCTUM I.

Quarta die *fecit Deus duo luminaria magna: luminare majus* seu *solem*, in quo multa sunt stupenda. 1. Ejus *magnitudo*, quae millies atque et millies lunae magnitudinem superat, et terrae. 2. *Lux ejus*, quae vix bene orta omnem stellarum lucem momento obscurat.

3. Ejus *celeritas*, dum cursu rapidissimo lumen suum *ab oriente* usque *in occidentem* diffundit. 4. *Virtus et efficacia* singularis, qua toti naturae dat vitam conservatque. 5. *Regularis motus*, distinguens annum in quatuor tempora, in ver, aestatem, autumnum ac hiemem. Atque haec tot tantaque sunt prodigia solis, ut Ecclesiasticus (43, 2.) eum appellet *vas admirabile, et opus Excelsi* per eminentiam.

Grates itaque immensas agamus Conditori, qui sidus illustre, *solem* nobis dedit, et, quoties exoritur, ejus magnitudinem, magnificentiam, splendorem admiremur; legamus in eo vestigia Conditoris et ingentem, quae ex opere adeo excellenti in divinum artificem redundat, gloriam ei gratulemur.

O Deus infinitae perfectionis, *lux increata, sol justitiae*, in cujus praesentia non solum lux stellarum, sed et ipsius solis evanescit! tu fons es luminis, fons perennis, qui exhauriri non potest. Tu *illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum* (Joan. 1, 9.), tuos praecipue electos: tu eis lumine tuo vitalem praebes calorem et coelestes gratiarum influxus. Tu soli praees ac diei: tu praesides temporibus et annis: nec non ordo, quem servant, tuae est effectus sapientiae ac providentiae. Laudent te igitur et benedicant sol, dies, et quatuor anni tempora: coeli et terra tuam annuntient gloriam, adeo magnifice relucentem in sole, visibilium creaturarum facile pulcherrima.

PUNCTUM II.

Cum sole, qui *praeesset diei*, fecit quoque Deus *luminare minus*, seu lunam, *ut praeesset nocti*.

Paucula ad nostram instructionem perpendamus de luna. 1. Pulchra est, praesertim si est plena: attamen quidquid luminis possidet aut pulchritudinis, mutuum a sole accipit, quem ita sequitur, ut, qua parte illi recta objicitur, illustretur. 2. Ei vis inest et potestas in omnia corpora se inferiora. Effectus producit, quos facilius est admirari quam intellectu assequi. 3. Uti sol annos, ita menses luna distinguit: *Mensis secundum nomen ejus.* (Eccli. 43, 8.)

Post expensas lunae proprietates, et post actas Conditori debitas grates, mentem altius erigere oportet, et considerare, quod luna symbolum sit animae sanctae, quae appellatur a Deo *pulchra ut luna*. Illius quoque perfectio et splendor in eo consistit, quod semper divinum justitiae solem respiciat, et ex hoc fonte lucem et sanctum ardorem hauriat, per hoc in omni genere virtutum juxta plenitudinem gratiae crescat, donec *ad perfectam crescat diem* (Prov. 4, 18.), et ad supremum sanctitatis culmen pertingat.

O Pater luminum, a quo omnia astra suam accipiunt lucem et pulchritudinem; sine te nihil sum nisi deformitas, caligo, tenebrae: nec lumen aut gratiam sperare possum, nisi quantum oculis misericordiae me respicias. Largire mihi, quaeso, gratiam te continuo contemplandi, tibique tam arcte adhaerendi, ut a te semper illuminer, et sacris ardoribus incendar adeo constanter, ut procul maneam a stultorum inconstantia, qui *lunae mutabilitatem* imitantur, non item perfectiones.

PUNCTUM III.

Hac ipsa die creavit Deus *stellas*, quarum multitudo est innumerabilis, ordo tam mirabilis, ut a Scriptura vocentur castrorum acies ordinata, milites *nunquam deficientes in vigiliis suis* (Eccli. 43, 9. 11.), nec unquam deserentes stationem a Deo assignatam.

Creatae sunt autem cum luna 1. ut praesint cum illa nocti. 2. Ut ceu faces praeluceant iter agentibus, ceu Pharos navigantibus. 3. Ut sint admirabile coeli ornamentum noctu: *Species coeli gloria stellarum.* (Eccli. 43, 10.)

Porro stellae ad nutum Dei obediunt, et constanter *dederunt lumen in custodiis suis et laetatae sunt: vocatae sunt et dixerunt: Adsumus: et luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit illas.* (Baruch 3, 35.)

O jucundum viris spiritualibus spectaculum! O amoenam contemplationis materiam et scenam, rutilantes stellarum exercitus nocte serena contemplari! At quanto jucundius adhuc spectaculum est tot sanctas intueri animas, quae a Deo fixae sunt in firmamento Ecclesiae!

Tuum est oraculum, Domine: *Qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates fulgebunt.* (Dan. 12, 3.) O si possem ex his stellis esse, quas tua replevisti luce! quae tuis ad apicem obtemperant imperiis, aliud non agentes, quam ut multis viam ad coelum monstrent exemplo et doctrina! Fac, Domine, ut nihil gloriae et lucis quaeram, quam quae impellit ad animas honori ac amori tuo lucrandas.

Dominica XVI. post Pentecosten.

De superbia et humilitate.

(Luc. 14, 11.)

PUNCTUM I.

Superbia est inordinatus excellentiae appetitus de bonis sive corporis, sive animi. Quatuor sunt actus superbiae. 1. Bonum, quod solius est Dei, sibi attribuere, aut 2. suis meritis, quod solius est gratiae. 3. Existimare, quod plus boni possideat, quam revera habeat, atque adeo 4. ex hac vana persuasione se ipsum magnificare et spernere alios.

Jam ex venenato hoc fonte septem praecipue rivuli nascuntur aeque veneniferi. 1. *Inanis gloria* seu immoderatus aestimationis ac laudis humanae appetitus. 2. *Jactantia*, cum de nostris gloriamur talentis et meritis, seu veris, seu falsis aut solum imaginariis. 3. *Ambitio*, qua honores aut modo non legitimo aut meritis aut viribus nostris majores quaerimus. 4. *Praesumptio*, dum ob falsam de peritia nostra opinionem vel appetimus, vel temere aggredimur res, quibus efficiendis impares sumus. 5. *Hypocrisis*, quae sub falsa virtutis specie opus bonum aut rectam intentionem, cum absunt, fingit. 6. *Pertinacia*, dum aliorum, etiam superiorum, judicio nostrum injuste praeponimus. 7. Aliorum *contemptus*, quo primum homines, denique ipsum parvi pendimus Deum; *superbia* enim *ascendit semper.* (Psal. 73, 23.)

Heu! quot pessimi fructus et surculi ex una nascuntur maledicta radice? Fierine possit, ut etiam meo in corde

pullulent? Enimvero ita est, mi Deus: quotidie nova infaustae hujus arboris germina deprehendo in me: turgeo inani gloria, ambitione, jactantia, etc.

Quid superbis, terra et cinis? (Eccli. 10, 9.) Quo tu jure vel titulo petis praeferri aliis? An *nescis, quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et caecus, et nudus* omni bono opere, refertus autem peccatis? (Apoc. 3, 17.) Vilis homuncio et vermis terrae! quod tuae fundamentum superbiae? Cave ergo, ne pauper-superbus abominationi sis Deo; *pauperem* enim *superbum odit anima mea*, dicit Dominus. (Eccli. 25, 4.)

PUNCTUM II.

Damna et supplicia superborum illis Christi verbis exprimuntur: *Omnis, qui se exaltat, humiliabitur.* 1. Superbi, quam quaerunt, gloriam non invenient, et 2. quam habuere, amittunt. 3. Imo gloriae loco, quam appetebant contra Dei voluntatem, ipsis in hac etiamnum vita humiliatio et vera confusio obtinget, Deo frivola eorum consilia subruente, aut permittente, ut suo ingenti probro offensas aliorum incurrant, aut in peccata prorsus infamia prolabantur.

Praecipue autem in altera vita ridiculam superborum vanitatem divinus judex toti mundo exsibilandam proponet, aeterna frontes eorum notabit ignominia, ipsisque daemonibus perpetuo irridendos tradet, qui sarcastice miseris improperabunt: *Et tu vulneratus es, sicut et nos: nostri similis effectus es: detracta est ad inferos superbia tua.* (Isa. 14, 10. 11.)

Quanta igitur stultitia est, hominem, qui nihil est nisi pulvis, vane extolli! Qui ipsa est imbecillitas, nec habet sustentantem se, propediem recidet in lutum et pulverem, in quem Deus vanae gloriae inhiantes redigit, oneratque ignominiis. Pro! quanta humilitatae superbiae paradigmata sunt. 1. Lucifer cum suis angelis e coelo in tartara praecipitatus. 2. Nabuchodonosor de throno ad silvas et bestiarum pascua dejectus. 3. Jezabel canibus in praedam data! Num possibile sit, ut ista audientes non contremiscamus toto corpore?

Anima mea! si tanta nobis cupido inest gloriae, quaeramus veram, solidam, immortalem: omnis alia est

vana, instabilis, perniciosa: non nisi ventum, magnum inane, grande nihil in manibus se quaerentium relinquit: omne boni operis destruit meritum, sanctissimarum actionum pestis et venenum: exsiccat fontem gratiarum, iram et maledictionem Dei provocat, qui superbis semper resistit, et gaudet eos confundere.

Humillime Jesu, qui ad sanandum tam commune quam fatale malum, ad eliminandum, ajo, superbiae pestem in hunc mundum venisti, evelle de corde meo ultimam funestae hujus radicis fibram, meque potius confunde millies, quam ut toleres in me vitium tibi adeo contrarium, tuis adeo exosum oculis.

PUNCTUM III.

E contrario ingentia humilitatis bona sunt et praemia, his verbis contenta: *Qui se humiliat, exaltabitur*, triplici modo. 1. Deus humilem e statu miseriae et abjectionis, in quem forte delapsus est propter humilitatem, gloriose educet. 2. Concessa ei dona et gratias conservabit. 3. Imo largietur majora. Publicanus seu peccator alia re opus non habet, quam humili peccatorum suorum confessione: et prae superbo pharisaeo *justificatus descendit in domum suam.* (Luc. 18, 14.) Justo quoque sola opus est humilitate: quantum ille coram Deo se abjecerit per humilem infirmitatum suarum confessionem, tantum a Deo exaltabitur ad sublimem perfectionis gradum. Sic humilis b. Virginis de se opinio fuit fundamentum, cui Deus superstruxit omnes ejus sine numero excellentias et perfectiones: *Respexit humilitatem ancillae suae.* Nonne ipse Dei Filius, eo quod se infra angelos abjecerit assumendo naturam angelica inferiorem, super omnes angelos et homines, qui divinos ei honores exhibuerunt, fuit exaltatus?

O quam expedita mihi ad impetrandam peccatorum veniam est via, o Deus! solum petere opus est corde contrito et humiliato. Quam facili negotio coram te magnus esse possum! solum sufficit me humiliare: ad hoc autem causae mihi suppetunt quam plurimae: meum scilicet nihilum, mea peccata, imperfectiones, etc. Omnia, ut me humiliem, conspirant. At veram humilitatem mihi

inspirare, cujus tu adeo praeclara nobis exempla dedisti, tuae solius est potestatis et gratiae, quam precibus meis denegare haud poteris; quia, ut humilitatem me doceas, in mundum venisti. Da mihi ergo sanctae abjectionis tuae gustum et amorem: et certe in eo plus solidi inveniam saporis ac voluptatis, quam in summis mundi honoribus.

Feria II.

De opere diei quintae.

(Gen. 1, 20—23.)

PUNCTUM I.

Dixit etiam Deus: Producant aquae reptile animae viventis, seu pisces.

Ad solum hoc Numinis imperium maria, lacus et flumina incredibili piscium multitudine fuerunt oppleta, adeo, ut Psaltes dicat: *Illic reptilia, quorum non est numerus.* (Psal. 103, 25.) Par multitudini est diversitas piscium, non minus Creatoris omnipotentiam demonstrans quam liberalitatem erga homines, quorum usui eos produxit.

Magnificemus, anima mea, infinitam Dei potentiam: paternam amemus providentiam, quae non contenta nobis de necessariis providisse, usque in delicias nos amat enutritque.

Num et nos liberales sumus erga Deum adeo liberalem? Vah! nos avaros dicam? an ingratos? Vix ei reddimus, ad quod vi praecepti absolute tenemur. Ah! quantum erubesco, mi Deus, quod me tot beneficiis a te cumulatum videam, et tam parum, quod rependam illis, possideam! O si saltem, quod habeo, tibi sincere ex animo darem! ne tu illo contentus fores. Vae mihi ergo, si aut tam inhumanus sim, ut exiguum illud tibi negem: aut tam tepidus, ut reddam sine fervore et pietatis sensu!

PUNCTUM II.

Hoc ipso die infinitam avium multitudinem formavit Deus, dicens: *Producant aquae volatile super terram*

sub firmamento coeli ad hominis utilitatem; aliae enim avium suis nos carnibus delicate nutriunt: aliae nos deliciose recreant pulchritudine plumarum et dulcedine cantus sui: rursus aliae varia nos docent arcana per mille, quas adhibent, industrias in construendis artificiose nidis, in educanda sollicite sua prole, in curandis corporum suorum morbis, in observanda temporum mutatione, etc. Hinc ipse Deus nostram condemnans ignorantiam, nobis proponit avium providentiam: *Milvus*, ait, *in coelo cognovit tempus suum: turtur*, *et hirundo*, *et ciconia custodierunt tempus adventus sui: populus autem meus non cognovit judicium Domini.* (Jerem. 8, 7.) Et alibi jubet, *ut piger vadat ad formicam*, *et discat sapientiam.* (Prov. 6, 6.)

Enormis plane foret ingratitudo nostra, nisi beneficiis Dei ex omni parte circumdati continuas ei grates ageremus. Consideramusne eum in hoc mundo tamquam optimum et in commoda nostra pervigilem patremfamilias, qui nos filiorum loco habet? Num autem et reverentiam et amorem, quem ingenui ac liberales filii debent tam bono Patri, ei exhibemus?

O Pater dulcissime et amantissime, qui in tanta creaturarum, quas hodie in usus nostros condidisti, multitudine vivam tuae bonitatis, misericordiae ac providentiae imaginem nobis adumbrasti, amplius adhuc et efficacius tuum erga nos amorem demonstra producendo in cordibus nostris veram gratitudinem et ardentem tui amorem. Da, ut aves nobis sint magistrae nosque doceant tuas mane laudes decantare: illuc, quo tu nos vocas, perniciter volare: terras deserere: nostrasque cogitationes, affectus, desideria ad solum dirigere coelum.

PUNCTUM III.

Benedixitque Deus piscibus et avibus, *dicens: Crescite*, *et multiplicamini.*

Duo hic ponderanda: 1. *Bonitas Patris coelestis*, qui non solum ad tempus, sed in perpetuum nostris providit necessitatibus, imperando innumeris animantibus sui *multiplicationem*, quae et species eorum conservet, et productionem quotidie innovet. 2. *Efficacia* benedic-

tionis divinae, tantam eorum foecunditatem et conferentis et perpetuo conservantis.

Vah! quam male nos tantae Numinis bonitati respondemus! Si uno die fidelia ipsi obsequia praestamus, mox altero terga ei vertimus: si heri ardenter eum amavimus, hodie toti intepescimus. An simili modo nobiscum Deus agit? daturne vel unicum vitae momentum, quo nobis sua non confert beneficia? Creavit nos: num conservare desinit? Gratiae suae thesauros nobis reseravit: an non semper paratus est eos in nos effundere?

Nimirum fallere nescia fidelitas, immutabilis in tuo servitio animi fervor omnium maxima, o Deus, gratia est: Gratia, quam diebus singulis, dum vixero, ardenter petam a te: effectus est tuae solius benedictionis. Illam, quaeso, mihi gratiam concede et permitte, ut cum Patriarcha Jacob tibi dicam: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* (Gen. 32, 26.) Neque vero hanc gratiam poteris mihi negare, utpote petenti in nomine dilecti Filii tui Jesu Christi, in quo *benedicis in omni benedictione spirituali in coelestibus.* (Eph. 1, 3.)

Feria III.

De opere diei sextae.

(Gen. 1, 24. 25.)

PUNCTUM I.

Dixit quoque Deus: Producat terra animam viventem in genere suo, jumenta, et reptilia, et bestias terrae secundum species suas.

Nota. Deus 1. domestica creavit animalia, *jumenta*, sic dicta, quod tamquam *adjumenta* hominem juvare debeant, et juvent. 2. Serpentes seu *reptilia*. 3. *Bestias* silvestres seu feras. In quovis genere diversas produxit species, adeo stupendis instructas proprietatibus, ut Deus ipse multum glorietur de illis apud Job.

Discamus jam 1. *a jumentis*, quae ad usus nostros se formari ac dirigi patiuntur, docilitatem, obedientiam et subjectionem superioribus nostris debitam. 2. *A reptilibus*, quae ex corruptione terrae nascuntur, addiscamus nostrae originis corruptionem, et exinde humili-

tatem. 3. *A bestiis* periculum, cui nos exponunt indomitae passiones nostrae: et simul necessitatem eas subjugandi: in omnibus autem cognoscamus manum Creatoris, ad nobis benefaciendum semper apertam.

O infinitam Dei mei potentiam, bonitatem et sapientiam, quae nihil omittit eorum, quae ad meam sustentationem ac instructionem sunt necessaria! Immortales tibi grates habeo, Domine, pro omnibus, quae ad utrumque hunc finem dignaris operari. Tuis in creaturis non minus recipio beneficia, quibus ad continuam erga tam liberalem benefactorem obligor gratitudinem quam documenta, quibus ad eidem summo animi ardore serviendum impellor.

PUNCTUM II.

Considerans Deus hoc opus suum, *vidit esse bonum.* Non solum domestica laudavit animalia, sed et feroces bestias ac serpentes; licet enim hoc genus creaturarum videatur homini esse noxium, juxta divinae tamen providentiae fines illi est utile. In statu innocentiae fideliter parebant homini: in statu peccati tamquam instrumenta Deo serviunt ad corrigendos peccatores castigandosque, nisi emendentur. Serviunt et justis vel ad exercendam eorum patientiam, si quando placeat Deo ferarum crudelitati illos tradere: vel ad excitandam gratitudinem, si Deus potenti sua protectione illos a damnis et ferocia eârum praeservet.

Hoc modo considerare oportet omnia Creatoris opera, ut inde fructum capiamus: consideranda sunt oculis fidei: et videbimus, ex parte Dei esse velut instrumenta misericordiae ac justitiae; hinc Salomon Deum alloquens: *Creatura*, inquit, *tibi factori deserviens*, *exardescit in tormentum adversus injustos*, *et lenior fit ad benefaciendum pro his*, *qui in te confidunt.* (Sap. 16, 24.)

Ita est, Domine: omnia per sapientiam tuam sunt ordinata et ad sanctissimos fines condita: hos agnosco: tuam humillime adoro providentiam, et, quidquid boni aut mali secundum ordinationem tuam mihi creaturae afferunt, a paterna manu tua lubens pari aequanimitate accepto.

PUNCTUM III.

Non tamen animalibus terrae benedixit Deus, sicut ante piscibus benedixerat et avibus, dicendo: *Crescite, et multiplicamini.* Ratio est 1. quia paulo post et eodem die conditurus erat hominem, et benedicturus homini, et in homine illis simul, ut quae non solum cum homine in terra habitarent, verum etiam quoad naturam sensitivam ut plurimum cum eodem convenirent. 2. Quia eorum benedictio et maledictio dependebat a meritis vel demeritis ipsius hominis. Ita sane Deus in praemium justitiae promittit benedictionem et multiplicationem animalium hominibus utilium: *Si custodias*, ait ad populum Israel, *mandata Domini Dei tui*, *benedictus erit fructus jumentorum tuorum*, *greges armentorum tuorum*, *et caulae ovium tuarum.* E contrario *si audire nolueris vocem Domini*, *maledictus erit fructus terrae tuae*, *armenta boum tuorum*, *et greges ovium* etc. (Deut. 28, 1. sq.)

Quis non submississime adoret Deum adeo justum? Quis non ambiat fideliter Domino servire, qui adeo copiose suis benedicit servis: Quis contra non timeat cum peccatoribus illum offendere, qui adeo horribiles intorquet minas et maledictiones?

O quam deplorandi sunt, mi Deus, qui te non cognoscunt! At quam insani sunt, qui te cognoscunt, quin ament te et timeant! Quam sine te felicitatem, quam sperare possint benedictionem? ego certe aliam nolo, Domine, quam illam, quae certissime obtingit tibi fideliter servientibus. Largire mihi igitur, si vis, benedictiones bonorum temporalium velut alteri Jacob. Quod si autem praevideas, mea culpa occasionem mihi fore te offendendi, illas in alios transfer, mihique benedictiones coeli reserva.

Feria IV.

De creatione hominis.

(Gen. 1, 26. sq.)

PUNCTUM I.

Absolutissimum numeris omnibus opus omnipotentiae divinae *homo* fuit; hinc de homine non dixit Deus,

quod de rebus aliis: *Fiat homo:* aut: *producat terra hominem:* sed dixit: *Faciamus hominem:* ad significandam operis excellentiam, cui efficiendo tota SS. Trinitas non nisi post maturam veluti deliberationem et commune consilium applicuit manus. Sed et *postremum* Dei opus fuit homo, ut pateret, reliqua omnia propter hominem fuisse creata, totumque hunc aspectabilem mundum, ceu regiam hominis sedem, antequam regem suum reciperet, omnibus necessariis prius instrui debuisse.

O quantum Deo obstrictus est homo ob has praerogativas, quod scilicet modo et sollertia singulari eum produxerit, seque ipsum, ut ita loquar, ejus creationi peculiari studio impenderit! Ad altissimos et nobilissimos fines hominem destinasse oportet. Ne autem homo inde ansam arriperet superbe evanescendi, eodem cum bestiis die illum produxit, ut recordaretur, se in aliquo cum bestiis convenire, adeoque haberet, unde semper ob vilitatem suam se humiliaret.

Quam mirabili dispositione, mi Deus, magnis parva, sublimibus humilia admisces, ut praecelsas simul et humiles cogitationes nobis inspires, quae animam ad sublimissimum perfectionis gradum elevant, quin adducatur in discrimen merita sua ob vanam complacentiam amittendi. Grates tibi sint aeternae ob tam mirabilem providentiae tuae dispositionem. Nobilitas et vilitas originis meae, utraque mihi est aequale beneficium, cui nunquam pares possum grates reddere: cumque per considerationem unius nos animare cupias ad facienda strenue et aggredienda quaevis ad gloriam tuam, per memoriam alterius nos in continua nostri diffidentia et humilitate conserva.

PUNCTUM II.

Dixit autem Deus: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram:* et sane fecit 1. impertiendo ei animam spiritualem, immortalem, liberam, aptam ad Deum cognoscendum et super omnia amandum, aptam ad recipienda omnia sapientiae, scientiae et virtutis dona. 2. Addendo auctoritatem et imperium in omnes creaturas una cum privilegio non solum quoad

substantiam suam aliquo modo referendi divinitatem, sed et quoad suas tres potentias ipsam Trinitatem.

Anima mea, licet e nihilo creata, in te circumfers imaginem Creatoris tui. Concipe ergo animos et cogitationes, adeo sublimi dignas imagine: te ipsam inspice, considera, et, ut Christus olim accepto in manus numismate pharisaeos interrogavit, te ipsam interroga: *Cujus est imago haec* (Matth. 22, 20.): imago tuae impressa fronti? Non est imago mundi, carnis aut alterius creaturae. Nobilius est, excellentiusque archetypon, cui te Deus assimilavit: est ipse Deus, cujus formam geris.

Si ergo Caesari oportet reddere, quod imagine Caesaris signatum est, quanto majori, o Deus, jure tuus sum, quem ad tuam ipsius imaginem creasti? Et vero in hoc uno glorior, quod tuus sim, et obligationem, qua me totum tibi velut tributum pendere teneor, omnium maximam esse agnosco. Accipe igitur tributum memoriae, intellectus et voluntatis meae; ardentissime enim desidero nil cogitare, nil intelligere, nil amare unquam, praeter te.

PUNCTUM III.

Dantur ectypa seu imagines, quae archetypo et exemplari similes non sunt: Deus vero, cujus perfecta sunt opera, non contentus hominem condere ad imaginem suam, sibique similem reddere per dona naturae, homini communicata, illum insuper per supernaturalia gratiae et justitiae originalis dona sibi efficit similem, quare Sapiens dixit, *quod fecerit Deus hominem rectum* (Eccl. 7, 30.), h. e. divino conformem archetypo, propensum ad omne bonum, perfecto in omnes cupiditates et animi passiones imperio praeditum, adeo, ut corpus spiritui, sicut spiritus Deo, plene fuerit subjectum.

O ter felicem statum, quo fruerer aeternum, si Adam de ejus possessione me non dejecisset! Mens et voluntas Dei erat, illam felicitatem ad me pariter derivare, atque adeo tantas a me grates sibi jure deposcit, quantas mereretur, si re ipsa eam felicitatem actu possiderem. Imo singulari ratione suam mihi demonstravit misericordiam, dum loco gratiae originalis, qua per

Adamum excidi, per incarnationem Filii sui mihi contulit *gratiam adoptionis*.

O Pater misericordiarum, cujus viscera nostris commota sunt miseriis! Grates tibi ago immortales, quod tanto foenore nostra reparaveris damna. O Verbum divinum, *invisibilis* et perfectissima *Patris* aeterni *imago!* O homo coelestis, qui in mundum venisti, ut, quod per inobedientiam hominis terreni amisimus, jus ad justitiam et gloriam tua reparares obedientia, renova in nobis deletam per peccatum imaginem Patris tui: et quoniam ille electos suos *praedestinavit conformes fieri imaginis tuae* (Rom. 8, 29.), me tibi ita conformem redde in virtute et sanctitate, ut merear aliquando tibi perfecte similis fieri in gloria.

Feria V.

De formatione corporis et creatione animae Adami.

(Gen. 2, 7.)

PUNCTUM I.

Considera sapientiam et omnipotentiam Dei in formando *corpore* Adami. 1. Formavit illud ante creationem animae, ne crederetur in homine, ut in reliquis animalibus, utrumque ex eadem materia seu terra ortum esse. 2. *Formavit* quidem *Deus hominem* secundum corpus *de limo terrae*, ut figulus ex luto format vasa: attamen ex materia tam vili adeo nobile, pretiosum et mirabile produxit opus, ut digna esset animae spiritualis habitatio.

Admiremur, laudemus, et glorificemus hanc Dei erga nos providentiam. Corpus nostrum, utut mortale ac fragile, spiritu animatur immortali: et tamen, licet tam nobili informetur spiritu, de limo et pulvere est formatum. Superi! quam sublimem res haec ideam et aestimationem de omnipotentia Dei nobis debet inspirare, simulque summum nostri ipsorum contemptum! Si tantisper volumus cristas tollere ob nobilitatem *animae*, illas merito praecidet recordatio luti, e quo formatum est *corpus*. Ad reprimendum ergo superbiae spiritum

nobismetipsis frequenter dicamus: *Quid superbis, terra et cinis?* (Eccli. 10, 9.)

Ita est, Domine: tu noster es Conditor; et nos nil, nisi pugillus terrae et limi: tu fecisti nos; et nos sumus opera manuum tuarum. Plurimas tibi grates ago, quod animam meam adeo copiosis condecoraris favoribus ac donis. Gaudeo, quod thesaurum tam pretiosum vasi luteo incluseris, ut, si quid laude dignum in nobis appareat, non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo detur gloria. Ah! miserere vasorum adeo fragilium, memor, quod ea feceris, ut tibi serviant ad gloriam misericordiae tuae, non ut ea confringas in furore iracundiae.

PUNCTUM II.

Creavit Deus *animam* primi hominis ex nihilo: id quod Scriptura indicat his verbis: *Et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae;* ut intelligamus, animam Adami non e terra, ut corpus, esse productam, sed ex praecordiis Dei processisse, utpote qui eam *inspirando*, seu per os ac imperium suum eduxit. Et ex hoc apparet ingenuitas et similitudo animae nostrae cum sapientia Dei increata, quae, ut ipsamet inquit, *ex ore Altissimi prodivit.* (Eccli. 24, 5.)

O anima mea! non e terra, non propter terram condita es: nunquam ergo coelestis tuae originis obliviscere. Memento, quod, sicut a Deo prodiisti, ita ad Deum redire debeas, ideo solum ex Dei corde prognata, ut illuc redeas: cumque sis *spiraculum* seu respiratio oris divini, in signum debitae gratitudinis toties Deum laudare oporteret, quoties respiras.

O mi Deus, qui mihi per omnipotentiam tuam dedisti animam seu vitae principium *naturalis*, inspira eidem, utpote numeris omnibus absoluto amoris tui operi, spiritum caritatis et gratiae, tamquam principium vitae *supernaturalis.* Tu vitae utriusque es auctor. Quid autem mihi prodesset prima, nisi perficeretur per secundam? Nolo, Domine, nolo vivere, nisi ut tibi placeam, tibi serviam, te diligam.

PUNCTUM III.

Perpende, quam tenera fuerint, in quae Adam erupit, admirationis, gaudii, gratitudinis sensa et affectus,

quando, translatus a Deo *in paradisum voluptatis*, oculos aperuit et prima vice tot tantaque Dei beneficia aspexit: terrae pulchritudinem, coeli prodigia, solem, lunam et stellas. Hominem tibi imaginare, qui a nativitate in obscuro detentus carcere aut specu, post triginta denique annos in lucem prodiret, et quidquid in mundo pulchri et novi simul intueretur, quanta foret ejus admiratio, animi suspensio et stupor! tantus fuit Adami aspectantis omnia, quae propter ipsum Deus creaverat.

Laudemus pariter ut Adam Patrem misericordiarum propter omnia nobis collata dona. Consideremus, quae ad utilitatem nostram fecit in coelo et terra, facitque etiamnum in dies et horas. Quantacunque primae origins nostrae damna simus passi, abunde et feliciter reparatis sunt per admirandas divinae justitiae ac misericordiaa inventiones. Has admiremur, et omnibus vitae diebue novum laudis canticum Deo decantemus.

O mi Deus! o Deus cordis mei! capio jam, cur per prophetam dixeris: *In funiculis Adam traham eos, in vinculis caritatis.* (Ose. 11, 4.) *Funiculi Adam* sunt innumera naturae et gratiae bona, quibus illum ligasti, ut fortiter traheres ad te, et quotidie ligas ejusdem posteros, ut eos non minus ac illum pertrahas ad tibi serviendum. *Vincula* autem *caritatis* sunt gratiae regenerationis nostrae, Sacramenta, divinae inspirationes, promissa nobis vitae alterius bona. His ergo *funiculis* atque *vinculis* me tibi tam arcte adstringe, o bonitas infinita, ut nihil in mundo me unquam possit separare at te.

Feria VI.

Deus approbat totum creationis opus, et Sabbatum sanctificat.

(Gen. 1, 31.)

PUNCTUM I.

Sub finem diei sextae consideravit Deus, et *vidit cuncta, quae fecerat: et erant valde bona* seu perfecta tam quoad se, quam quoad commune totius universi bonum ac finem. Nota 1. soli Deo esse proprium dicere,

quod omnia, quae fecit, sint *valde bona*, perfecta, omni defectu carentia. 2. Idem Christo convenire, utpote Deo-Homini, de quo verissime scriptum est: *Bene omnia fecit.* (Marc. 7, 37.) 3. Id ipsum singulari privilegio concessum sanctissimae ejus matri. Caeteri omnes, utut sanctissimi homines, cum gratiis solum ordinariis non effugerunt *omnem* penitus culpam, imperfectionem, defectum juxta illud: *In multis offendimus omnes.* (Jac. 3, 2.)

Pro virili contendamus infinitam Creatoris perfectionem aemulari, tantam procurando operum nostrorum puritatem, ut, quando Deus illa examinaturus est, dicere possit *valde bona.* Ad promerendam autem hanc approbationem et elogium opus est 1. frequenter in nos ipsos descendere ac nostra discutere opera. 2. Labes, quas in nobis advertimus, extemplo lacrimis eluere, ut Deus nostram aspiciens animam dicere ei possit, quod suae dixit sponsae: *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.* (Cant. 4, 7.)

O Deus infinitae sanctitatis, qui nihil in nobis judicas *bonum*, nisi etiam sit *sanctum*: et a quo tamquam ex fonte oritur omnis sanctitas, purifica me, sanctifica me, tuaque dignum fac approbatione. Aut egone solus ex operibus tuis displiceam tibi? Domine, tua res et tuus agitur honor, ut per *misericordiam* praestes animae meae, quod in mundi exordio per *omnipotentiam* praestitisti operibus manuum tuarum: da, inquam, ut anima mea per gratiam tuam non nisi *valde bona* producat opera, atque adeo post sex dierum seu hujus vitae labores mereatur ad aeternae quietis locum deduci, quo *nihil coinquinatum potest intrare.* (Apoc. 21, 27.)

PUNCTUM II.

Complevitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat, et requievit die septimo ab universo opere, quod patrarat. (Gen. 2, 2.)

Requievit seu cessavit, non quasi potentia ei defuerit plures faciendi res novas, sed quia factae suffecerant ad perfectionem universi. Quare Scriptura non ait: Complevit, quidquid facere *poterat,* sed opus suum complevit, quod *fecerat*, quia ex animi sententia ab-

solutum viderat totum opus, quin ullo indigeret additamento. Septimo igitur die *requievit* non in creaturis et operibus manuum suarum, sed *in se ipso* tamquam centro aeternae felicitatis suae.

Oleum et operam perdo, si quietem in creaturis quaero. Extra Deum solidi inveniam nihil. Licet utique delectari aspectu creaturarum, quoniam ipse Creator *laetatur in operibus suis* (Psalm. 103, 31.): at nefas est me iis ita occupari et fascinari, ut ejus obliviscar, a quo omnem habent bonitatem ac elegantiam.

Et quid tandem extra te in coelo et terra est, o Deus, quod possit explere cor meum, mea satiare desideria, animam reddere perfecte tranquillam? Noli igitur unquam permittere, ut alteri quam tibi cor meum et amores consecrem. Esto solus amoris mei scopus in tempore, ut sis tota felicitas mea et gaudium in aeternitate.

PUNCTUM III.

Et benedixit Deus *diei septimo*, *et sanctificavit illum* (Gen. 2, 3.) praecepitque in lege antiqua, ut sanctificaretur *Sabbatum* in gratam tanti beneficii, h. e. creationis mundi, memoriam. *Memento*, ait, *ut diem Sabbati sanctifices*. (Exod. 20, 8.) In lege autem nova Sabbato *dies Dominica* successit in memoriam resurrectionis D. N. Jesu Christi, qui initium dedit *novae creaturae*. (II. Cor. 5, 17.)

Quomodo autem, quo spiritu, quibus exercitiis sanctum hunc diem transigimus juxta praeceptum Dei? An 1. abstinemus non modo *ab omni opere servili*, sed et, ac praecipue ab omni peccato, quod nos facit servos? *Omnis* enim, *qui facit peccatum*, *servus est peccati* (Joan. 8, 34.), imo et daemonis. Num 2. debitam Numini gratitudinis, laudis, et cultus divini tributum pendimus? 3. Huncne diem rite sanctificamus exercendo opera pietatis, sacrae lectionis et meditationis Scripturarum? 4. Devotine sacrificio Missae assistimus? Huicne adorando Christi in ara se immolantis sacrificio nostrum quoque cordis contriti et humiliati sacrificium conjungimus?

Sis benedictus in saecula, o Deus, quod nobis certam quietis diem assignare dignatus sis, ut ab omni exteriore negotio et saeculi tumultu expediti nos possimus totos consecrare divino cultui tuo, tuam adorare majestatem,

meritas tibi grates agere ob beneficia jam praestita, et petere praestanda. Ejice de cordibus nostris exitiale ingratitudinis vitium, velut omnium virtutum pestem, et ventum urentem, qui tuorum fontem beneficiorum exsiccat. Collige in te et propter te omnes nostras cogitationes, desideria et affectus hac die tibi singulariter sacra, ex ea fac diem gratiae, quietis, et spiritualium deliciarum, quae sint praegustatio quaedam deliciosissimi illius *Sabbati*, quod in coelo tuis praeparasti amicis.

Sabbato.

De beneficio conservationis universi.

PUNCTUM I.

Deus, ut creavit, ita conservat totum hoc universum. Si non creasset, suo adhuc in nihilo jaceret, in istud recideret, si Deus vel momento cessaret conservare, *portans omnia verbo virtutis suae* omnipotentis (Hebr. 1, 3.), et in hac una basi totum recumbit universum.

Quam admirabilis et potens est artifex, a quo vastissima mundi machina dependet! Quantum fiduciae possumus et debemus in ipso collocare! at quantum etiam timere eum, *ne forte ad nihilum redigat nos.* (Jerem. 10, 24.) Quam temerarius foret ac stultus, qui insultaret tenenti se tribus digitis suspensum super profundissimam abyssum!

Tales sunt peccatores, o Deus, qui non reformidant te graviter offendere, licet stent in margine abyssi infernalis, in quam praecipites agere tuo solum in arbitrio est positum. Pro! quantus hic caecorum est furor! at quanta simul est bonitas tua! Ah! illumina, misericordissime Deus, caecitatem eorum: funestum illis demonstra periculum, in quo versantur: et ineffabilem tuam misericordiam, qua eos ab exitio hactenus praeservasti. Quam immensum ego tibi devinctus sum, Domine, quod tanto majore me longanimitate ac patientia sustinueris illo ipso tempore, quo te gravius offendi et liberius! Aeternum periissem, si vindictam clamanti justitiae aurem praebuisses. Tua me conservavit misericordia, et clemen-

tissime impediit, ne in geminam caderem abyssum, mei scilicet nihili et damnationis aeternae.

PUNCTUM II.

Est autem hominis conservatio beneficium innumera complectens beneficia; per illud enim Deus 1. in bonum hominis omnes conservat creaturas, quin vel unam earum in nihilum, ex quo creaverat, unquam redegerit. 2. A millenis eum periculis defendit, in quae certo certius rueret, nisi providentia Dei ex omni parte pro ipso excubaret.

Perpende, anima mea, te innumeris undique Dei beneficiis circumdari, qui non solum quotidie, imo quot momentis beneficium creationis renovat in te (nam conservatio est continuatio creationis), verum etiam innumeras ei adjicit gratias et beneficia. Quid autem tantae et adeo constanti rependes bonitati? Vah ingratum te, si non, ut ille singulis vitae momentis de te cogitat, in commoda tua vigilat, tibi beneficia confert, tu vicissim singulis vitae momentis ejus recorderis, ei obsequia et grates referas immortales!

Imo hoc ipsum, Domine, cupio ardentissime, utinam omnes meae cogitationes, verba, actiones, motus cordis, animi et corporis tuis solum honoribus essent consecrati! Utinam omnes mecum creaturae, quas in mea commoda creasti conservasque, in totidem linguas converterentur, ut laudent et glorificent immensam bonitatem tuam! Haec, haec mihi securitatem praestat in medio discriminum, pacem in medio inimicorum, opem in omni necessitate. Eadem me ad metam aeternae felicitatis meae perducet.

PUNCTUM III.

A Deo essentialiter ut omnes creaturae pendeo non solum in *essendo* et *conservando*, verum etiam in *operando*, ita ut omnia, quae ago, mecum agat et concurrat Deus. Quod si momento suum suspenderet concursum, in medio actionis haererem immobilis, et, quod coepi, ad finem perducere haud possem, quamvis opus foret solum *naturale*. Ita docet propheta dicens: Tu, Domine, *omnia opera nostra operatus es nobis*. (Isa.

26, 12.) Multo certius autem id est de *supernaturalibus* operibus, ad quae singulari gratiae concursu indigeo: sine quo nihil, quod Deo placet, possum agere.

Agnosce, anima mea, Dei supremum in te dominium: ab illo tuum pendet esse, vivere, operari, moveri. *Humiliare* igitur *sub potenti manu Dei* (I. Petr. 5, 6.), sine cujus auxilio nihil prorsus agere potes. At recordare simul, quod, sicuti absque injuria opificis non potest *gloriari securis contra eum, qui secat in ea, nec exaltari serra contra eum, a quo trahitur* ut instrumentum (Isa. 10, 15.), ita tu sine injustitia gloriari non possis de actionibus, quarum solummodo instrumentum es in manu artificis Dei.

Utique *non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam*, o sanctissima Trinitas! (Psal. 113, 9.) Quidquid enim operamur boni, tu potius quam nos operaris in nobis: valde ingrati ergo essemus, nisi totam tibi adscriberemus gloriam, monstra summae ingratitudinis futuri, si tuae abuteremur concursu omnipotentiae, eundem ad offensam tuam detorquendo, et ex ipsis adeo beneficiis inimica contra te arma cudendo. Ah! Domine, millies potius nos in antiquum redige nihilum, quam ut plus quam belluinam ejusmodi ingratitudinem permittas.

Dominica XVII. post Pentecosten.

Quantum Deus desideret a nobis amari.

NB. Haec meditatio fit ex occasione hodierni Evangelii de praecepto amoris Dei. (Matth. 22, 37. 38.)

PUNCTUM I.

Deus nos *amat*, et vehementer *cupit* a nobis *amari*. Ita praecipit expresse: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua* (Deut. 6, 5.): h. e. omni cum ardore et perfectione, quam fieri potest, maxima. Mandatum hoc increata Dei veritas appellat *primum* et *maximum*. Et vero tale est 1. *necessitate*, quia est basis et fundamentum reliquorum, omnisque perfectionis. 2. *Dignitate*,

quia supremum virtutis actum praecipit. 3. *Merito*, quia caritas est prima nostrorum coram Deo meritorum causa. 4. *Suavitate*, quia proprius caritatis effectus est *gaudium in Spiritu Sancto*. (Rom. 14, 17.) 5. *Efficacia*, quia facit omnia implere praecepta; etenim *plenitudo legis est dilectio*. (Rom. 13, 10.)

Anima mea! quanti aestimare oportet hoc mandatum, cujus adimpletio ad tam sublimem perfectionis gradum te evehit, tantis replet bonis, ad possessionem intimae cum Deo amicitiae, quae pretio superat omnia, te extollit! nam Deus non alio fine nos amat, quam ut digni efficiamur mutuo ejus amore, dumque a nobis sine mensura amari cupit, intendit nos amare sine fine.

O divine animarum amator, qui te sine modo amari praecipis, *da*, *quod jubes*, *et jube*, *quod vis; fac*, *ut diligam te*, *sicut diligor a te*. (S. Aug.) Diligam te *ex toto corde*, exterminans amorem proprium, ut hujus loco solus amor tui regnet in me. Diligam te *ex tota anima*, subjicens omnes meas passiones sanctissimae legi tuae. Diligam te *ex tota fortitudine*, totum me tuis devovens obsequiis. Tu scis desiderium meum: at simul imbecillitatem meam. Redde igitur mihi facile et jucundum per tuam gratiam, quod sine illa mihi impossibile est per meam debilem naturam.

PUNCTUM II.

Deus ita vult a nobis amari, ut caritatem, qua vult amari, ipsemet nobis infundat; *caritas* enim *ex Deo est*. (I. Joan. 4, 7.) Neque hic sistit infinita Dei erga nos caritas, sed cum caritate creata, quam *diffundit in cordibus nostris* (Rom. 5, 5.), ipsum quoque caritatis fontem et autorem Spiritum Sanctum nobis communicat; iet quoniam hic a Patre et Filio separabilis non est, qui llum accipit, omnes simul tres personas SS. Trinitatis accipit teste Christo: *Si quis diligit me*, *et Pater meus diliget eum*, *et ad eum veniemus*, *et mansionem apud eum faciemus*. (Joan. 14, 23.)

Exulta prae gaudio, anima mea, quod Deus tuus mera sit caritas, et quod eum amare non possis, quin eundem possideas totum. *Si Deus est caritas*, *quid ergo*

caritate melius? Si, qui manet in caritate, in Deo manet, quid caritate securius? et si Deus in eo manet, quid ergo caritate jucundius? (S. Bern. c. 2. in Cant.) Quid igitur amabis, si caritatem non ames?

O *diligam te, Domine, fortitudo mea, refugium meum*, gloria et consolatio mea! (Psal. 17, 2. 3.) Ah! conjunge me tibi sancto perfectae caritatis vinculo, sicut Pater, Filius et Spiritus Sanctus inter se uniti sunt amore essentiali et omnibus tribus communi. Disrumpe, quidquid sacrae huic unioni in me adversatur. Largire mihi perfectum in omnes animae facultates dominium, ut in ea solus amor tui quam perfectissime regnet.

PUNCTUM III.

Ut Deum amaremus, mandatum suffecerat: Deus tamen mandato *promissa* adjecit ac *praemia* expugnandis hominum cordibus idonea. *Qui diligit me*, ait, *et ego diligam eum, et manifestabo ei me ipsum* (Joan. 14, 21.): h. e. ultra favores et benedictiones hujus vitae dabo ei gaudia vitae aeternae, et quo amplius me dilexerit, eo majorem in coelis gloriam habebit. Denique ut nihil, quod amorem sui posset pellicere, Deus omitteret, mortis aeternae *supplicia* minitatur non amanti: *Qui non diligit, manet in morte* animae (I. Joan. 3, 14.), et permanebit aeternum.

Quid, amabo, Dei interest amari a te aut non amari, anima mea? Quid emolumenti possit e tua capere amicitia, quam tanto ardore quaerit? infinite beatus est sine te; nihilominus tam avide tuum ambit amorem, ceu beatitudo ejus ab eo penderet. Ut obtineat illum, adhibet vim blanditiarum, splendorem praemiorum, terrorem minarum: atque ita triplicem conficit catenam ad ligandum amore sui cor tuum, cor omni rupe durius, si non movetur ad redamandum.

O mi Deus! o Deus amoris! sero te amavi: diu nimis restiti amori: propterea pudore ac dolore suffusus, tantam statuo resarcire moram, et per fervorem amoris, quo te posthac amplectar, illata bonitati tuae damna praestare. Nescio interea, quid magis admirer, tuamne in expectando amore meo constantiam, an meam in abnuendo pertinaciam? Itane vero, ut amem te, opus

erat mandato, opus praemiis, opus minis? Heu! *quid tibi sum, Domine, ut amari te jubeas a me, et, nisi faciam, irascaris mihi, et miniteris ingentes miserias? parvane est miseria, si non amem te?* (S. Aug.)

Feria II.

Quid sit providentia divina.

PUNCTUM I.

Providentia est dispositio et ordo mediorum, quae Deus seligit, ut creaturas ad suos quamlibet fines perducat: *sapientia* ejus omnia cognoscit media, *bonitas* deligit opportuniora, *omnipotentia* vero omnia tollit obstacula, quae executionem divinae ordinationis possen impedire.

O terque quaterque beatum, qui in sinu adett amabilis providentiae quiescit, ab illa velut infans inero brachia portatur, et in via salutis quasi manu ducitur! Quanta securitas est, quanta consolatio, se regendum Deo tradere, qui omniscius nullam ignorat mearum necessitatum, infinite bonus propendet natura ad omnes sublevandas, omnipotens omnia novit obstacula perrumpere! Deo, inquam, nobis quod deerit, suppleturo; nostram scilicet ignorantiam sua sapientia, nostram malitiam sua bonitate, sua denique potentia nostram imbecillitatem. Stude, anima mea, serio stude placere Deo: et ipse geret curam tui, ut nihil unquam desit tibi.

O Deus animae meae, in quo ab unguiculis omnem spem meam collocavi, permitte, quaeso, ut istud tecum pactum, a quo omnis mea hujus et alterius vitae pendet felicitas, ineam firmissime: tu inquam, gere curam mei, et ego geram tui. Ego perpetuus ero servus tuus: esto tu perpetuo Dominus et Pater meus. Si fide mutua firmatum est hoc foedus, tunc enimvero tranquillus sum, et gaudio triumphans quotidie clamabo: *Dilectus meus mihi, et ego illi.* (Cant. 2, 16.)

PUNCTUM II.

Consideremus innumera, quae ex Dei providentia in nos redundant, bona, ut ad ejus amorem ac fiduciam ex-

citemur. Est autem providentia fons omnium, quae a creaturis accepi bonorum. Illa cum parentibus mihi dedit esse ac vitam, cum magistris instructionem, sanitatem cum medicis, vitae solatium cum amicis, in via justitiae iter tutum cum directoribus animae meae. Fuit praeterea mihi loco matris, nutricis, custodis, pastoris, aliaque omnia caritatis officia mihi exhibuit.

Laetare, anima mea, propter innumera, quibus sub tam potenti protectione frueris, bona: at tuam simul obligationem agnosce adeo beneficam amandi providentiam, honorandi ut matrem, sequendi ut ducem. Omnes tuas necessitates quoad naturam et gratiam ei committe: in ejus sinum conjice; ipsi enim est cura de te, et est tibi omnia in omnibus: ab illa dumtaxat tuam exspecta sustentationem in egestate, solatium in afflictione, auxilium in necessitate, et in omnibus negotiis benedictionem.

O providentia aeque sapiens ac bona et potens, quae omnem sapientiae aeternae perspicaciam impendis, ut nos secure dirigas: cor et manus Patris misericordiarum aperis, ut mille benedictiones in nos effundas: adoro te et glorifico velut supremam protectricem meam: immensas tibi grates habeo pro cura, quam confers in me, vilissimum licet terrae vermiculum. Perge (supplex rogo) coepta continuare beneficia. Si tuis me ducas manibus, non cadam: eriges, si cecidero: defendes, si oppugnatus fuero: nec unquam rebus meis advigilare cessabis, donec bonitas tua ad portum aeternae felicitatis me perduxerit.

PUNCTUM III.

Proprium autem et peculiare est Dei providentiae, quod 1. tota versetur circa creaturas, quin indigeat, ut sibi ipsi de re ulla sollicite prospiciat. 2. Quod ita curam gerat singulorum, sicut universorum, quin minutissimarum obliviscatur rerum, quae ipsius cura minus dignae videntur: id quod praecipue observat respectu hominum; *non enim subtrahet personam cujusquam Deus: quoniam pusillum et magnum ipse fecit, et aequaliter cura est illi de omnibus.* (Sap. 6, 8.)

Immensum autem discrimen est divinam inter et humanam, e. g. principum providentiam. Hi plerumque

nec ita perspicaces sunt, nec ita benigni, ut cognoscant aut sublevent omnes vilissimorum etiam subditorum necessitates. At nemo ita abjectus est, cui oculos et cor suum non indulgeat Deus. Nullam non perspicit necessitatem, et quo majores sunt hominum miseriae, eo ardentius subvenire desiderat.

Quanto igitur solatio est Domino servire tam bono, qui enucleate suos novit et curat servos: qui assiduissime incolumitati eorum invigilat, *suscitans a terra inopem, et de stercore erigens pauperem, ut collocet eum cum principibus, cum principibus* coeli. (Psal. 112, 7. 8.)

Ego utique nihil sum, o Deus: nihil habeo, quod tibi me possit acceptum reddere: id tamen non prohibet, quominus mei curam geras. Ob ineffabilem hanc bonitatem sis aeternum benedictus. Laudent te coeli et terra: benedicat te anima mea, et omnia, quae intra me sunt, nomini sancto tuo. *Deus meus es tu: in manibus tuis* (sic volo, sic precor) *sint sortes meae.* (Ps. 30, 15. 16.) Dispone de me juxta beneplacitum sanctissimae voluntatis tuae. Id unum concede, ut eam tanta fidelitate semper exequar in vita, ut aeternam mercedem consequar in morte.

Feria III.

De providentia Dei in gubernatione mundi.

PUNCTUM I.

Statim atque mundum condidit Deus, sua eum sapientia gubernare coepit; *quem* enim *constituit alium super terram? aut quem posuit super orbem, quem fabricatus est* (Job 34, 13.)? Laudans quoque Conditorem sapientissimus hominum: *Tua*, inquit, *Pater*, *providentia gubernat* (Sap. 14, 3.), scilicet omnia a principio mundi, hoc tamen discrimine, quod creaturas rationis expertes per instinctum quemdam necessarium ad suos perducat fines, ratione autem praeditas non nisi per liberum earum consensum, volens, ut ipsaemet sese divinae gubernationi totas permittant, sicque in suam ultro conspirent felicitatem.

Audiamus jam, quam suaviter Deus ad felicem hanc subjectionem, a qua beatitudo nostra pendet, nos invitet. *Ego*, ait, *ego Dominus Deus tuus*, *gubernans te in via*, *qua ambulas. Utinam attendisses mandata mea; facta fuisset flumen pax tua*, *et justitia tua sicut gurgites maris.* (Isa. 48, 17. 18.)

Supreme mundi rector, qui in creaturas non liberas absolutam exerces potestatem, a liberis autem voluntariam exigis obedientiam et perfectam voluntatis suae resignationem in tuam voluntatem, ita meam rege et posside, ut sola ejus regula et gnomon tuum sit beneplacitum, nullusque in ea motus unquam exurgat tuae contrarius sanctissimae voluntati. Atque haec ipsissima est, quam a te supplex quotidie peto, gratia: destrue in me id omne, quod divinae circa me providentiae tuae ac fini, in quem me ab aeterno creasti, posset resistere.

PUNCTUM II.

Expendamus admirabiles hujus gubernationis proprietates et excellentias. Est gubernatio *patris ac matris*, nihil habens severitatis et rigoris, nihil imbecillitatis. Hinc Sapiens (8, 1.): *Attingit* sapientia divina *a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter.* En gubernationem aequitate simul ac bonitate plenam, aeternae subditorum felicitati unice intentam. At vide simul regulam et exemplar, quod aemulari debent omnes magistratus humani per paternum et suave non tyrannicum regimen, per regimen magnanimum et efficax, non remissum ac pusillamine, per regimen justum absque severitate, eo solum tendens, ut subditorum emolumenta et gloriam Dei, cujus sunt ministri, promoveant. O felices sub tali regimine subditos!

Quam felices igitur tui sunt servi, Domine; tua quippe sapientia, justitia, omnipotentia et misericordia continuo eorum felicitatem aeternam quaerunt! Nemo illorum non potest ac debet cum propheta dicere: *Dominus regit me*, *et nihil mihi deerit.* (Psal. 22, 1.)

Ita est, Domine: in te inveniam omnia; vitam, honorem, voluptatem, virtutes, gratias, dona spiritualia, et quidquid ad obtinendam coeli gloriam fuerit necessarium. Nihil in mundo est, quod merito timeam, nisi

gubernari a me ipso: nihil, quod desiderem, nisi a tua providentia semper gubernari.

PUNCTUM III.

Hujus providentiae gubernatio longe amabilior adhuc fit ex eo, quod se ita extendat *a fine usque ad finem*, ut omnes totius universi creaturas aequaliter complectatur a supremo coeli Seraphino usque ad despectissimum terrae vermiculum, a supremo rege ad abjectissimum usque homuncionem.

O quam magno, quam amabili servimus Deo, anima mea! Aequaliter omnes creaturae ejus imperio subsunt: pari facilitate gubernat omnes, ac unum: tanto affectu impendit se uni regendo homini, quanto regendis omnibus angelis.

O tu bone omnipotens, qui sic curas unumquemque nostrum, tamquam solum cures, et sic omnes, tamquam singulos! (S. Aug. l. 3. Conf. c. 11.) Certus sum, quod mei, utut hominum vilissimi, curam geras: certus, quod *nec capillus capitis mei pereat* sine tuo Numine ac voluntate: certus, quod diu noctuque me tua protegas tutela. Millenas propterea grates tibi dico laudesque: memorem tot favorum mentem filiali erga te fiducia et amore semper testabor.

Feria IV.

De providentia Dei in adversis et malis.

PUNCTUM I.

Omnia corporis ac animae mala, quae in hoc mundo nobis eveniunt, sub divinam providentiam cadunt, imo et peccata impiorum, quae non permitteret, nisi suam inde gloriam et electorum salutem nosset elicere. Quam ob rem S. Augustinus dixit, quod Deus nullum in operibus suis malum, nullam imperfectionem fuisset permissurus, nisi tam potens ac bonus esset, ut etiam de malo posset bonum facere: h. e. suas manifestare perfectiones nunc mala praeveniendo, nunc opem et remedia illis afferendo, jam illa convertendo in nostram

utilitatem, jam heroicarum virtutum materiam per illa nobis subministrando.

Hac ratione in quibuscunque adversitatibus solatium et causam laetandi reperiemus, si eas intentione Dei metiamur, et a paterna ejus manu profectas aspiciamus; tunc enim ut vera bona aestimabimus, utpote media divinam procurandi gloriam nostramque sanctificationem. Ita sane, licet afflictissimus, hac me cogitatione et possum et debeo consolari: afflictio mea a Deo proficiscitur, ad ejus gloriam et meam salutem immissa.

O mi Deus, infinite misericors et potens, qui educis oleum de saxo durissimo, suavissimam voluptatem de rebus amarissimis, infinitas tibi grates habeo pro omni dispositione tuae circa me providentiae. Percute me, sana me: pares in utroque laudes tibi dico, quippe utrimque Patri misericordissimo et salutis meae studiosissimo: cum omni, qua possum et par est, animi reverentia ac submissione animi sanctissimas dispositiones tuas adoro, nil timens in mundo, quam ne amabili tuae providentiae aliquando me subtraham.

PUNCTUM II.

Mire providentia Dei elucet in tentationibus, queis nos impugnandi facultatem permittit diabolo. 1. Non relinquit nos furori crudelis hujus inimici, sed certos illi limites praescribit, quos transgredi non ausit. 2. Oppugnationes attemperat viribus nostrae naturae et suae gratiae. 3. Licet daemon, quantum in se est, malignis tentationibus nos in perniciem trahere allaboret, Deus tamen nostrum dumtaxat bonum ex sua parte intendit: scilicet ut confugiamus ad orationem, humilitatem, mortificationes, aliasque virtutes exercendas, quas tentator in nobis extinguere contendit.

Quid igitur est, quod timeamus, anima mea! Equidem formidabilis est adversarius noster: ast et protector est omnipotens. Fremat diabolus, quantum voluerit, minetur, furat, cum omni Orco in nostram juret perniciem, frustra est; Dei imperio ac potestati subest arctis ligatus vinculis. Praeterea *fidelis Deus est, qui non patietur nos tentari supra id, quod possumus, sed faciet etiam cum tentatione proventum.* (I. Cor. 10, 13.)

Infitias ire non possum, Domine, quod ego sim debilis, potentes vero hostes mei, utique mihi summe formidabiles, si me relinqueres mihimet ipsi: at major est fortitudo tua ad me defendendum, quam debilitas mea ad succumbendum: plus tibi bonitatis ac potentiae inest, ut me protegas, quam Orco sit fortitudinis ac malitiae, ut me perdat. Atque ista consideratio est validissimum immotae spei meae fulcrum et unica fiduciae meae causa.

PUNCTUM III.

Nec minus Dei providentia emicat ex malis, quae patimur ab hominibus. Quamvis Deus eorum malitiam nolit, imo detestetur, ea tamen utitur vel ad punienda peccata, vel ad probandam virtutem nostram, ita, ut pari aequanimitate de manu Dei excipere oporteat mala, quae a liberis, et quae a causis necessariis inferuntur. Ita profecto David ad servos suos, injuriam regiae majestati a Semei illatam ulcisci volentes, dicebat: *Dominus praecepit ei, ut malediceret David: et quis est, qui audeat dicere, quare sic fecerit? Dimittite eum, ut maledicat juxta praeceptum Domini: si forte respiciat Dominus afflictionem meam, et reddat mihi bonum pro maledictione hac.* (II. Reg. 16, 10—12.)

Ita me ipsum, persecutionibus hominum lacessitus, ut vulneris acerbitatem leniam, et contra Deum non murmurem, alloqui debeo: quaenam causa est querelarum ac murmurationum? haec injuria, quae adeo acerbe mihi dolet: illud convitium, quod ita cor meum et animum lancinat: ista inhumanitas, quam non possum concoquere, ab ipsomet Deo venerunt. Meumne est quaerere, cur sic fecerit? Nonne haec et alia oportet cum perfecta animi resignatione excipere et credere, quod omnia ad salutem animae meae a Deo fuerint ordinata?

Ita profecto est, Domine: *obmutui, et non aperui os meum, quoniam tu fecisti.* (Psal. 38, 10.) Ad terrae vermiculum pertinet (scilicet) Creatoris sui ordinationes in examen et censuram vocare, aut omnino carpere? Ah! Absit hoc a me: imo omnes adoro, quamvis mihi videantur durae: omnes summa cum reverentia accepto,

certus, sapientes, justas, et ad salutem nostram utiles esse. Summa animi demissione ferientem quoque exosculor manum, quippe manum Patris, qui me eo solum fine corrigit, ut sua dignum reddat haereditate ac regno coelesti.

Feria V.

De providentia Dei, qua nobis dedit angelos custodes.

PUNCTUM I.

Dominus Deus clementissime dignatus est coelestes spiritus assignare, ut nos ad coelum ducant: cumque ex una parte nos amet vehementer, ex altera probe sciat cum nostram imbecillitatem, tum incredibilem hostium, qui nos vi occulta assidue oppugnant, fortitudinem, ab ipso nativitatis momento cuilibet hominum dedit custodem, qui eos defendat et velut manu in via salutis ducat. Custos hic est unus de principibus coeli, qui divino semper assistunt throno. Hac de causa Christus dixit: *Videte, ne contemnatis unum ex his pusillis, quia angeli eorum in coelis semper vident faciem Patris mei.* (Matth. 18, 10.)

Num autem rite pensavimus unquam magnitudinem honoris et beneficii, quo Deus lateri nostro adjungere dignatur unum de proceribus suis, ei corporis nostri ac animae curam demandare, illo velut instrumento providentiae suae uti ad nos in omnibus viis dirigendos? Quid, amabo, sumus, ut talem tantumque mereamur favorem, qui alios sine numero in se complectitur? Et quas gratiarum actiones Deo reddemus, qui tam eximia suae erga nos benevolentiae signa exhibet?

Summe Deus, qui adeo singulari favore ac praerogativa nos honoras, tene oblivio coepit humanae vilitatis et dignitatis angelicae? Tu nobis per prophetam dixisti, quod *hominem minueris paulo minus ab angelis* (Psal. 8, 6.), numquid autem eos ad nostra ablegare obsequia est minuere angelos multo plus ab hominibus? Grates tibi dico immortales, Pater amantissime, ob tantum erga me affectum et aestimationem tuam, ob tantum

animae et salutis meae zelum, ob tantam de me in omnibus sollicitudinem. Utinam eximiae bonitati per constantem caritatis fervorem, per fidelitatem nunquam violandam possem respondere!

PUNCTUM II.

Sunt autem officia angelorum custodum fere ista: 1. Nos custodire in omnibus viis nostris. 2. Continuo excubare pro nobis. 3. A periculis et daemonibus nos defendere. 4. Removere quidquid ignem libidinis posset inflammare. 5. Sanctas inspirare cogitationes, nosque ad virtutum exercitia impellere, praecipue ad sanctam cum Deo unionem. *Praeveniunt nos*, ait David, ad orandum impellentes, *et psallentibus conjunguntur* (Psal. 67, 26.), ut oratio nostra sit humilis, fervens, tranquilla. Deinde preces nostras ipsi Deo *offerunt*, ut prompte exaudiantur.

Quanta assiduitate spiritus tam excellens creaturam adeo vilem curat: hominem, aio, saepe indocilem, saepius ingratum, inobedientem, refractarium! Nihil eum offendit, nihil avertit. Aeque contentus lateri meo, quam regis regum throno adstat; quia angeli gloria et felicitas non in dirigendo solis et globorum coelestium motu, sed in adimplenda Dei voluntate consistit.

Quam utilem hic mihi doctrinam et exemplum relinquunt angeli custodes, o Deus! At quam perspicue docent simul me obligari, ut angeli custodis directioni me tradam totum, ejus inspirationes sedulo exequar, et tanto duce vias altissimae perfectionis ambulem!

O custos angelice, qui te usque ad hominis seu pulveris terrae custodiam abjicis, meos, quaeso, errores, ingratitudinem, indocilitatem et defectum reverentiae, quam tibi ubivis praesenti debebam, mihi benigne condona, et novum istud, quod jam concipio, errores commissos resarciendi propositum aequi bonique consule. Praeterea perge animam meam diligenter excolere, a peccatis repurgare, luce coelesti et virtutibus replere, sanctam orationis famem ac amorem ei inspirare, orantique divinum, quo tumet flagras, ardorem impertire. Praecipue in mortis articulo meam ne desere animam, sed tuis exceptam manibus in sinum Dei deporta.

PUNCTUM III.

Aequitas postularet, ut gratitudo, quam angelis custodibus debemus, ex aequo respondeat eorum erga nos bonitati ac providentiae. Egregium hujus rei exemplum nobis dedit junior Tobias, dum angelo Raphaeli, qui peregrinantem a mille periculis defendit et salvum reduxit in patriam, sincere dixit: *Si meipsum tradam tibi servum, non ero condignus providentiae tuae.* (Tob. 9, 2.)

Quodque Tobias, desiderio ardens perfectam angelo exhibendi gratitudinem, ad patrem suum dixit, idem prorsus ad excitandam erga custodem angelum gratitudinem nobismetipsis occinamus, dicentes: *Quam mercedem*, anima mea, *dabimus ei? aut quid dignum esse poterit beneficiis ejus? me duxit et reduxit sanum, daemonium compescuit* et a me avertit, *meipsum a devoratione piscis* stygii *eripuit, lumen coeli videre fecit, et bonis omnibus per eum repleti sumus. Quid illi ad haec poterimus dignum dare?* (Tob. 12, 2. 3.)

Idem toto cordis affectu tibi dico, angele mi custos, protector, dux, magister et consolator amantissime; eadem enim officia in me contulisti omnia. Si de via coeli non deflexi, tibi, fidissime dux, in acceptis refero: si daemonem triumphavi, tuae id protectioni debeo: si meis satisfeci obligationibus, tu me eas docuisti: si solatiis diffluxi, tu cordis tristitiam expulisti, pacem et solatia reddidisti. Qua igitur ratione gratum tibi animum demonstrabo? nimirum frequenter cogitabo de te, in omnibus adversis confugiam ad te, totam collocabo fiduciam in te, universam tibi sacrificabo libertatem meam. Ad ista en! paratum cor meum, paratum: id certe peto supplex a Deo, atque etiam, ut spero firmiter, per intercessionem tuam impetrabo.

Feria VI.

De providentia Dei in reparatione hominis.

PUNCTUM I.

Considera imprimis, quam admirabile Deus per suam providentiam medium invenerit reparandi genus

humanum, quod peccato Adami perierat. Nullo prope negotio poterat Adam et sibi et universae posteritati suae originalem, in qua conditus fuerat, conservare justitiam, utpote a rebellione carnis contra spiritum et rationem, a miseriis vitae mortalis, et a persecutionibus pravorum hominum immunis: quae tria sunt ordinaria nostrae in bono perseverantiae impedimenta. Ipsi adeo daemoni tunc fas non erat Adamum, uti nos hodie, interius oppugnare, sed exterius solum, proponendo objectum delectabile, cujus illecebris resistere facillimum in tanto gratiarum cumulo erat.

Quanta ergo culpa in protoparente residet, quod se voluntarie seduci permiserit, et mandatum Dei violando secum posteros omnes privarit bonis, quibus frui cum ipso poterant, si non peccasset! Quis non hoc peccatum et damnum judicasset irreparabile? Reparavit Deus per misericordiam suam, scilicet per ineffabile incarnationis Filii sui medium. Ne ego jure cum Ecclesia exclamo: *Felix culpa, quae talem ac tantum meruit habere Redemptorem!*

Hic enimvero demonstras, o Deus, peculiare admirabilis providentiae tuae medium ac viam totum resarciendi damnum. O clementissime Pater, quo amplius poterat omnipotentia tua progredi, quam ut Filium tuum unigenitum traderes in mortem pro vita et salute servorum? O Fili divinissime, qualenam magis luculentum sapientiae tuae specimen poteras edere, quam mortale corpus induendo, ut totum gratia tua vivificares hominem, qui ob culpam fuerat mortuus? O sanctissime Spiritus, poterasne gloriosius infinitam caritatem tuam demonstrare, quam dona tua liberaliter effundendo in peccatores, non nisi supplicia promeritos? O adoranda Trinitas, quae tuam in nobis imaginem reparasti, ah! noli unquam permittere, ut denuo per peccatum deformetur. Destrue in me, quidquid de vetere Adam est reliquum, ut posthac sola vivam novi hominis vita.

PUNCTUM II.

Uti secundus Adam Christus Jesus in omni genere perfectionum infinite antecellit primum Adam, ita bona

et dona, ab illo in nos profecta, citra comparationem pretiosiora sunt ac utiliora iis omnibus, quae jure haereditario a primo Adam, si non peccasset, in nos descendissent; quid enim per Adami inobedientiam amisi, quod non per obedientiam Jesu Christi cum foenore recepi? In statu innocentiae natus fuissem in gratia, nec passionum rebellioni, nec aerumnis vitae mortalis, nec morti obnoxius. At per Christum in baptismo renatus majorem longe ac excellentiorem accepi gratiam. Passiones meae sunt mihi seges victoriae, meriti, gloriae. Imbecillitates meae jam in honore ac felicitate reponuntur, postquam illas ipse Dei Filius sustinuit. Quin ipsa mors, per Christi mortem sanctificata, sit mihi fons et principium gloriae ac vitae immortalis. Bene igitur Apostolus: *Non sicut delictum, ita et donum* (Rom. 5, 15.); istud enim tanto praestat delicto, quanto Christus Adamo.

O amabilissime ac liberalissime Redemptor! Adam non poterat mihi tantum inferre mali, quantum tu contulisti boni. Quam copiose meam reparasti jacturam! Humillimas tibi grates ago ob eximiam caritatem et paternam de salute ac perfectione mea sollicitudinem, qua in eo statu me collocasti, qui mihi non tam laborem, quam media et occasiones praebet sublimiorem assequendi sanctitatem. Optabilius mihi esse debet perpetuo tecum vivere in statu pugnae contra indomitas passiones meas, quam sine te in statu pacis; pax enim sine te uno die periit: pugna vero, cui tu ades, semper parit pacem in saecula duraturam; atque solida haec pax, qua per gratiam tuam fruimur in terris, semen est beatae illius pacis, quae nos debet beatos reddere in coelis.

PUNCTUM III.

Innumera sunt bona, quae in nos redundant ex persona Christi, utpote *qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio.* (I. Cor. 1, 30.) Et sane nobis est 1. *sapientia* per suas illustrationes ac lumina, ut nos per vias sapientiae coelestis et divinae, non terrestris ac mundanae, dirigat. 2. *Justitia*, suam nobis communicando, ut nos faciat justos et ab omni peccato puros. 3. *Sanctificatio*, quia nullam

possumus sanctitatem adipisci, quam non de plenitudine ejus acceperimus. 4. *Redemptio;* ejus enim solius est nos e servitute peccati et daemonis in libertatem et adoptionem filiorum Dei asserere.

Consideremus frequenter Filium Dei 1. veluti largissimum fontem, unde salutares gratiarum aquas haurire oportet. 2. Veluti adorandum caput fidelium, ex quo in illos tamquam membra mystici corporis omnis benedictio coelestis descendit. 3. Veluti universale spiritualis vitae principium. At recordemur simul, quod nullum opus supernaturale, nisi huic capiti uniamur, possimus efficere, neque actiones nostrae ullius apud divinum Patrem valoris ac meriti essent, nisi suo eas spiritu et gratia Filius animaret.

O increata Dei sapientia, Jesu Christe, qui tua nos doctrina instruis et exemplo: da mihi cor docile ad illam rite intelligendam, cor fidele ad istud sedulo imitandum. O justitia et sanctificatio mea, tuas mihi virtutes communica: *sanctifica me in veritate, sicut pro me sanctificasti te ipsum,* in mortem te tradens, *ut et ego sanctificarer in veritate.* Applica mihi merita pretiosissimae mortis, per quam mea es *redemptio.* Fac, ut passio tua novo me spiritu animet, et veluti per gratiam tuam resuscitatum dignum reddat, qui te in gloria aeternum possideam.

Sabbato.

De providentia Dei in fundanda Ecclesia.

PUNCTUM I.

Aeterna Dei *sapientia aedificavit sibi domum* (Prov. 9, 1.), h. e. *domum Dei, quae est Ecclesia* catholica (I. Tim. 3, 15.), in quam omnes filios suos seu fideles congregat. Hos suis cumulat bonis et donis, erudit per Scripturas, nutrit per sacramenta, omnibus instruit mediis vivendi in gratia ac aeternam merendi gloriam. Tantopere nimirum electos divina amat sapientia, ut *in omni providentia occurrat illis.* (Sap. 6, 17.)

Quid autem amplius, quam alii sine numero, nos Deo praestitimus, ut prae illis mereremur in domum adeo sanctam, bonis omnibus et gratiis abundantem, intromitti? Quas ob hanc praerogativam Deo reddemus grates? Aut quid ea nobis proderit, nisi ad aeternam confusionem, si ex spiritu *servorum* agamus in domo *filiorum?* si neque ex doctrinis, neque ex alimentis, quae ibi recipimus, proficiamus, imo si media ad salutem nostram tam liberaliter data negligamus?

Summa nimirum foret miseria ac infelicitas mea, o Deus, tuis abuti beneficiis, tuumque, ut me sanctificares, laborem ac sollicitudinem frustrari. Tantum a me, filio tuo, malum averte. Cor mihi largire tot beneficiorum semper memor, cor ardens zelo perfectionis meae, quam facillimo labore consequi datur in domo, ubi omnia in sanctitatem meam conspirant.

PUNCTUM II.

Media, quae Deus in Ecclesia sua consequendae sanctitati utilia nobis suppeditat, reduci possunt ad septem, ceu totidem *columnas* fundatae domus: *excidit columnas septem.* (Prov. 9, 1.) Sunt autem 1. donum *fidei*, *ut cognoscamus solum Deum verum, et quem misit Jesum Christum.* (Joan. 17, 3.) 2. Purissima *Evangelii lex*, omnia complectens praecepta et consilia ad obtinendam sanctitatem necessaria vel utilia. 3. *Religio*, seu supremus *latriae* cultus, qui Deo exhibetur praecipue in sacrificio Missae per oblationem corporis et sanguinis Filii ejus. 4. Septem *sacramenta*, ceu totidem fontes salutis et gratiae. 5. *Virtutes* tam theologicae, quam morales: item dona Spiritus Sancti, quae sunt interna animarum ornamenta. 6. Amplissimae *promissiones* a Deo justis factae de consequenda temporali ac aeterna felicitate. 7. *S. Scriptura*, ubi, *quaecunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt* (Rom. 15, 4.), et ad nostram consolationem, quia ibi omnes, quas primum enumeravimus, salutis vias clare videmus.

Post consideratam sanctae hujus domus opulentiam in nosmetipsos descendamus paulisper, et videamus quomodo tot mediis ad sanctificationem nostram collatis

utamur. Innumeri idololatrae magna hodie fulgerent sanctitate, si vel minimam gratiarum, quas Deus in me congessit, partem nacti fuissent. Hi in die judicii meam mihi exprobrabunt socordiam, et amplius abusum gratiarum. Saltem imposterum majorem ex illis fructum colligere contendamus, et juxta intentionem divinae providentiae diligentius utamur gratiis, quas nobis Deus contulit et confert quotidie, ut veri fideles evadamus.

Quanto mihi, Domine, honori est tuos inter domesticos habere locum! quanto simul emolumento est mihi thesaurorum domus tuae participem esse! Laudent te omnes angeli ob paternam, qua me, ingratum licet servum, prosequeris, benevolentiam. Quam propterea debeo, gratitudo novus est favor, qui reliquis favoribus cumulum adderet, meque tibi, o Deus, adamantino amicitiae vinculo uniret. Hunc ergo favorem a te efflictim peto. Quodsi gratiam adjicias sancte posthac utendi bonis spiritualibus, quae mihi impertiris, aliud desiderabo nihil, quam ut in aeternum possim tuas decantare et celebrare misericordias.

PUNCTUM III.

Porro haec Ecclesia seu domus Dei viventis est *unica* tantum, ita, ut, quemadmodum tempore universalis diluvii *unica* erat arca, in qua *octo* dumtaxat *animae*, quae erant in arca, *salvae factae sunt* (I. Petr. 3, 20.), et extra quam omnes perierunt, sic *unica* solum detur *Ecclesia*, ubi salutem licet consequi. Praeterea sicut unicum solummodo erat *ostium arcae*, ita hanc Ecclesiam ingressuris unicum patet ostium, quod est Christus Jesus: uti ipse Judaeis declaravit, dicens: *Ego sum ostium: per me si quis introierit*, *salvabitur*. (Joan. 10, 9.)

Ex ista consideratione magis intelligam, quantas Deo meo grates debeam, eo quod per baptisma dignatus sit mihi hoc ostium aperire, quod non modo innumeris infidelibus, quotidie in diluvio suae infidelitatis pereuntibus, sed et quam plurimis Christianorum infantibus, qui ante baptismum moriuntur, clausum est.

Quid autem, misericordissime Deus, quid reperisti in me, quod te impelleret, ut tot infelicibus me praeferres? Quando me a communi hominum massa tam benevole

segregabas, necdum existebam: eram *filius irae*, quando tuam executurus praedestinationem me ad sacrum baptisma perduxisti: quando ibi in filium tuum fui adoptatus, nondum poteram te meum vocare Patrem. Ah! Pater amantissime, cujus bonitati unice in acceptis tantum refero beneficium, quas tibi propterea grates reddam? eas nimirum, quas tibi sancti omnes referunt in coelis: utque illis meas quoque possim conjungere, adeo mundum et fidelem conserva me in Ecclesia militante, ut merear aeternum regnare tecum in triumphante.

Dominica XVIII. post Pentecosten.

Christus sanat paralyticum.

(Matth. 9, 2. sq.)

PUNCTUM I.

Paralyticus quidam adeo omnibus membris captus, ut se movere non posset, in lecto suo jacens deportabatur ad Jesum, qui protinus ei dixit: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.*

Consideremus *praevenientem* Christi bonitatem, dum non rogatus aegrum ab omnibus absolvit peccatis, ad fiduciam excitat, et verbis solatio plenis alloquitur. O quantum peccatoribus solatium ista Servatoris ratio agendi affert! Non est, cur ex parte ipsius vel repulsam vel inclementiam timeant. Solum opus est, ut cum fiducia eum adeant, qui miserum prior solatur: *Confide fili.* Jure quidem poterat Servator ipsum reprehendere, quod majorem de obtinenda *corporis* quam animae salute sollicitudinem ostenderit. Siluit Christus, nec, quam miser petiit, gratiam negavit; imo, quam petere nunquam ausus fuisset, ultro concessit.

Non absimilis huic paralytico innumeris ego gravatus peccatis minus sentio et curo eorum pondus, quam morbi etiam levissimi: et quando vota nuncupo precesque fundo ad te, Deus, ut ab illo liberer, vix mentem subit rogare, ut liberer ab onere peccatorum. Tu tamen misereri pergis modicae fidei meae: pergis tua me praevenire gratia, mihique mentem injicere, ut tuam implorem misericordiam.

O bonitatem infinitam, qua tam parum me dignum reddidi, mirabiles tamen ejus effectus copiose experior! Quid tibi in signum grati animi rependam? id nempe, quod a me quotidie exigis; assiduas, dum vivam, gratiarum actiones, et perpetuam in tuo servitio constantiam: utrumque, tua fretus gratia, sancte polliceri ausim.

PUNCTUM II.

Cum Jesus, qui cordis intima habebat perspectissima, *vidisset* blasphemas scribarum *cogitationes* et temeraria de se judicia, ac si peccata remittendo auctoritatem divinam sibi arrogare intendisset, *dixit: Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris? quid est facilius dicere: Remittuntur tibi peccata tua; an dicere: Surge, et ambula?*

Quanta Servatoris inimicos reprehendentis sapientia est! Poterat illos merito objurgare ut temerarios et blasphemos: parcit famae ac verecundiae eorum, contentus eos suaviter de divina potestate sua convincere manifestando secretas eorum cogitationes: ex quo, si rationi potius quam suae passioni voluissent obsecundare, poterant, imo debebant concludere, Christum, qui habebat potestatem corda perscrutandi, pollere etiam potestate peccata dimittendi, cum utraque soli Deo sit propria. Deinde ut suum de Christo temerarium damnarent judicium, efficacius nihil et opportunius esse poterat, quam ipsa paralytici persanatio, repente subsecuta.

At enim frustra eos laboras illuminare, Servator mi, quia ipsimet *volunt* esse caeci, atque ad claudendum oculos, ne veritatem videant, ultro obstinati. Ah! Domine, noli unquam permittere, ut in caecitatem adeo funestam delabar; hanc enim excipit obduratio cordis, plerumque certus reprobationis aeternae prodromus.

PUNCTUM III.

Ut autem sciatis, adjecit Christus, *quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam.*

Pro! quantum discrimen inter hunc aegrum, verbis Christi mox obtemperantem, et inter obstinatos scribas,

nulli cedentes rationi, nulli miraculo! Nisi supremum infidelitatis apicem attigissent, de Christi divinitate convicti potestatem peccata dimittendi in eo fide humili agnovissent, et plenam eorum veniam ab ejusdem bonitate impetrassent.

Me quod attinet, licet maximus sim peccator, firmissime credo, Domine, quod potestatem habeas, enormia quaevis remittendi peccata: spero pariter, quod eandem velis exercere in me; tua enim misericordia aequat potentiam. Supplex ergo et ardentissime peto, ut eadem me gratia et consolatione bees, dicens: *Fili, remittuntur tibi peccata tua.* Ne autem in ea porro relabar, funestam in me paralysin sana, omnium originem peccatorum: paralysin longe periculosiorem, quam fuerit aegri, hodie a te sanati. Dic pari efficacia ad me: Surge, languorem excute, ambula per semitas justitiae. Ego vicissim summo grati animi affectu tibi dicam: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum* (Ps. 118, 32.), tamdiu tristitia et timore oppletum, quia immani peccatorum onere praegravatum.

Feria II.

De providentia Dei, homines vocantis ad fidem et justificationem.

PUNCTUM I.

Vocatio est quaedam interna illustratio, motus, seu inspiratio coelestis, qua Spiritus Sanctus animam praevenit, excitat, et adjuvat, ut gratiam justificationis vel acquirat, vel amissam recipiat. Est autem mere gratuitum Dei donum, non cadens sub meritum. Ita Christus: *Nemo potest venire* aut reverti *ad me*, *nisi Pater*, *qui misit me*, *traxerit eum*. (Joan. 6, 44.) Porro vox Dei vocantis est efficax, et quasi imperium de peccato surgere jubentis, fere ut Christus Lazarum jussit prodire de sepulchro. Confert simul ea vox 1. donum *fidei*, *sine qua impossibile est placere Deo.* (Hebr. 11, 6.) 2. Virtutem *spei*, per quam salus intrat. 3. Spiritum *timoris*, qui ad caritatem ducit.

Ejusmodi vocem producere superat vires totius naturae. Conciones etiam ferventissimae aurem dumtaxat penetrant: cor penetrare et poenitentiae spiritum imprimere solius est Dei, *qui nos vocat vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum et gratiam, quae data est nobis in Christo Jesu.* (II. Tim. 1, 9.)

Aeterne Deus, Pater D. N. Jesu Christi, benedicta sit in aevum bonitas tua, quod in mei gratiam audieris clamantem Filii tui sanguinem, et ideo me dignatus sis singulari sanctae vocationis tuae gratia et honore. Nisi tu me vocasses, etiam nunc jacerem in sepulchro peccatorum: et nisi tua me praevenisset inspiratio, excitasset gratia, subvenisset omnipotens manus tua, hodie adhuc essem inter mortuos, qui te non possunt laudare. A te solo spiritualem recepi vitam, tibi ergo soli vivere statui: et sicut tuae soli gratiae eximium hunc favorem debeo, ita per eandem fore spero, ut digne vocationi tuae respondeam.

PUNCTUM II.

Licet variis Deus modis ac mediis vocet homines, nemo tamen unus est omnium, quem non aliquo modo vocet jam per universale et omnibus commune lumen naturae, quo docemur odisse peccatum et amare virtutem: jam per illustrationes quasdam singulares, quibus eos praevenit, cum ipsemet sit illa *lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* (Joan. 1, 9.)

Anima mea! Quam plurimis obtingit gratia vocationis, imo omnibus; at pauci eam sequuntur. Quodemumcunque modo te vocarit Deus, gratia est immerita. Si modo speciali te ante alios vocavit, cui, quaeso, id debes, quam purae ejus misericordiae? si universali, non minor est favor, quia communis pluribus. Si denique prae aliis te reddidit vocationi suae fidelem, nonne singularis haec gratia te obstringit, ut majori fervore illi pariter servias?

O aeterna sapientia, quae *in plateis das vocem tuam, in capite turbarum clamitas, in foribus portarum profers verba tua* (Prov. 1, 20. 21.), ubique omnes invitans praetereuntes ad domum tuam et convivium, quod eis adornasti, grates tibi ago immortales ob generalem hanc

providentiam ac bonitatem, qua omnes vocas: at quas tibi grates referam pro singulari benevolentia, qua me propria veluti manu tua in ipsum convivii locum introduxisti? Adauge, obsecro, Domine, in dies et horas felicem horum convivarum, qui tuae assident mensae, numerum: cumque ad eandem me invitare dignatus es, noli permittere, ut istam sine ornatu gratiae et nuptiali caritatis veste praesumam accedere.

PUNCTUM III.

Caeterum motiva, tituli et nomina, quae ad sequendam Dei vocationem nos debent impellere, sunt praecipue quatuor. 1. Infinita Domini, ad sibi serviendum vocantis, excellentia, et quidem ad sibi serviendum nostro dumtaxat, non suo commodo. 2. Nostra vicissim prope infinita vilitas, quae tamen Deum deterrere non potuit, quin indignos vocaret. 3. Summa bonorum, quae promittit, praestantia. 4. Ipse modus vocandi non solum *suaviter* per promissa, verum etiam *fortiter* per minas, adeo, ut blanditiis et amori vocantis resistentibus ultima intentet supplicia.

Ratione profecto et sensu careat oportet, qui harum consideratione veritatum non commovetur: et qui Deum adeo bonum repellit, meretur sane ab eodem reprobari. Tales erant, qui invitati, at nolentes venire ad coenam, audire debebant: *Nemo virorum illorum, qui vocati sunt*, at non comparuere, *gustabit coenam meam.* (Luc. 14, 24.) Anima mea: ne, quaeso, te periculo expone funestam hanc incurrendi poenam, sed jugo Domini cervicem tuam et voluntatem submitte, certa, magis liberam te, magisque beatam haud fore, quam cum ejus mandatis fueris subjecta et obediens.

Subjicio me ex toto corde, o Deus, nec alia cupio libertate frui, quam quae tibi perfectissime obediat. Affatim honoris est vili, qualis ego sum, creaturae a te solo dependere, tuisque consecrari obsequiis: tantus honor mercedis loco mihi foret, atque etiam sufficeret, si alia, quam sperarem, non esset. Hunc animi sensum mihi et omnibus imprime: et quoniam nos omnes eum in finem condidisti, ut cognoscamus te et amemus, adeo

claram perfectionum tuarum cognitionem nobis infunde, ut toti amore tuo accendamur.

Feria III.

De providentia Dei, homines vocantis ad diversos status.

PUNCTUM I.

Quia Deus per eminentiam *Pater noster* est, ideo, postquam nobis vitam naturae et gratiae dedit, ulterius paternam sollicitudinem suam ac providentiam demonstrat, assignando cuilibet statum convenientem, in quo securius salutem possimus consequi. Ista vocationum diversitas est effectus divinae providentiae; *sicut enim* in homine *corpus unum est, et membra habet multa* (I. Cor. 12, 12.), quorum diversa sunt munia, ita in mystico Ecclesiae corpore alii sunt velut *caput*, qui gubernent alios per sapientiam: alii velut *oculi*, qui reliquos illuminent per scientias: rursus alii velut *manus* in vita activa, alii velut *cor* in secreto vitae contemplativae: tandem aliqui velut *pedes*, humilioribus intenti ministeriis. Sive autem abjecta, sive honorifica sint munia nostra, ut ea sollerte ac hilari animo obeamus, sufficit, quod a Patre coelesti distribuantur, qui omnium optime novit, quid singulis conveniat.

Ad eum igitur confugiant necesse est, qui necdum certum vitae genus elegerunt: et certi sint de impetrando coelesti lumine, quo divinam agnoscant vocationem suam ac media eam tuto sequendi. Qui autem ex divina providentia in statu aliquo constituti jam sunt, horum felicitas in eo sita est, ut status sui obligationes rite adimpleant, molestias vero patienti animo perferant, tranquille *permanentes, in qua vocatione unusquisque vocatus est.*

O mi Deus, quantum doleo sortem ac vices illorum, qui te inconsulto statum eligunt, mille taediorum in isto, damnationis aeternae feracem in altero orbe! O palmarem stultitiam et caecitatem munus aliquod ac vitae genus adeuntium amore commodi, aut ex caeco passionum animique impetu! Quanto prudentior est atque felicior, qui tuae se committit providentiae, omnesque sortes suas tuis concredit manibus! Sane beatum me, quod tibi

plenam status mei electionem permiserim! huic meae resignationi copiose benedixisti; summa, qua fruor, animi tranquillitas ejus est fructus, eritque, dum vixero, ita, ut cum vate regio possim exultare: *Dominus regit me, et nihil mihi deerit: in loco pascuae ibi me collocavit.* (Ps. 22, 1. 2.)

PUNCTUM II.

Divinae providentiae suavitas mire elucet ex variis, quas homini ad certos et particulares status indidit, propensionibus, ita, ut status non sit adeo vilis et abjectus, quem non aliqui sponte amplectantur et praeferant honoratiori. Immensas propterea laudes et grates meretur Deus; haec enim inclinationum diversitas mundo utilissima est ad hos fines, ut omnia administrentur officia, omnia inter se uniantur membra, mutua conservetur partium subordinatio. Huic Dei providentiae debemus, quod nunquam desint, qui nos sponte defendunt in bello, gubernant in pace, mores instruunt, virtutes inserunt, animos nostros scientiis, agros vero aratris excolunt. Quis, amabo, praeter Omnipotentem hominibus inspirare posset amorem status, a quo tota abhorret natura? Status, inquam, religiosi, quem tot reges et principes ultro amplexantur majore sua voluptate, quam mundus in suis gustet deliciis?

Tanta autem in hominibus temperamentorum, gustuum, ac propensionum diversitas tuae, o Deus, opus est sapientiae, quae sola potest certum cordibus imprimere pondus, quo naturaliter ad statum sibi magis convenientem trahuntur. At majus adhuc gratiae tuae prodigium est, quod illis, quos de grege et communi hominum turba secernis, certas inspires illecebras, quibus eos supra se ipsos elevas, et ad amorem crucis et opprobriorum Filii tui pertrahis. Perfice in illis, Deus cordis mei, ordinationes providentiae tuae: in his electis misericordiae tuae operibus tuum glorifica nomen: eorum semper adauge numerum, et fac, ut tua omnipotens gratia ubique triumphet de nostra imbecilli natura.

PUNCTUM III.

Providentia Dei non contenta ad certum statum nos vocare, de mediis quoque prospicit ad eum ferendum,

et ad ejus obligationes implendas necessariis. Sic impertit 1. *conjugibus* per sacramentum matrimonii specialem gratiam ad perferendas christiana fortitudine molestias et onera statui propria. 2. Per sacramentum ordinis *sacerdotibus* Spiritum Sanctum ad obeunda digne ministeria. 3. *Religiosis* gratiam et vires, ut efficaciter tendant ad perfectionem statui suo congruentem.

Doctrina haec, quae mirum in modum solatur omnes, qui vocanti Deo fideliter sunt obsecuti, non exiguum horrorem debet illis incutere, qui restiterunt vocanti; sicut enim primi in via, quam coelum eis designavit, copiosas invenient gratias et subsidia electo statui accommodata, ita postremi, quoniam a via sibi monstrata declinarunt, sine duce et protectore palantur, et re ipsa experiuntur divini veritatem oraculi: *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus coelestis, eradicabitur.* (Matth. 15, 13.)

An ergo his desperandum est? minime gentium; abundat enim Deus gratiis et mediis ad certos fines reconditis, quibus omnem jacturam resarcire et errantes in viam bonam potest reducere per tramites, sibi soli cognitos.

Ita est, Pater misericordiarum! nostri te miseret, si a via aberramus, nostrisque peccatis ac erroribus uteris ad nos in orbitam reducendos, si exemplo filii prodigi per poenitentiam in tuum Patris sinum nos projicimus. Quodsi autem ille adhuc Pater filiis rebellibus, multo magis patebit illis, qui tuis semper obsequentes imperiis nec statum nec officium inierunt, nisi ad quod eos vocasti. Te duce et protectore securi, omnes tibi possunt confidenter dicere: *Proba me, Domine, et tenta me: ure renes meos, et cor meum.* (Ps. 25, 2. 3.) Impone mihi onus laborum pro libitu tuo; *quoniam misericordia tua ante oculos meos est* semper, ipsa tantum augebit gratiam et vires, quantum tu augebis onus et labores.

Feria IV.

Providentia Dei in status religiosi institutione.

PUNCTUM I.

Instituit Deus in Ecclesia sua ordines religiosos 1. tamquam publicas *academias*, ubi addiscitur christiana

perfectio. 2. Tamquam *gymnasia*, ubi docemur nos conformare Christo Jesu, omnium exemplari virtutum. 3. Tamquam *asyla* et *domos refugii*, ubi procul mundi periculis securiorem reddamus salutem nostram. 4. Tamquam *paradisum voluptatis*, ubi Filio Dei possint *esse deliciae* et familiaris conversatio *cum filiis hominum* ante alios dilectis, ut sua illis revelet arcana, spirituales conferat thesauros, et hac ratione illos in coelestes convertat homines.

Si Deus ad statum adeo felicem me dignatus est vocare, num finem ejus bene intelligo? num perpendi, me hominem esse ad summam perfectionem destinatum? contendine Christo assimilari imitando ejus virtutes? Mundo ereptus an in corde pariter extinxi spiritum mundi? nihilne superest in me, quod necessariam cum Deo familiaritatem ac unionem impedire possit? Tot mortalium socius angelorum num angelicam quoque vitam duxi? Hae nimirum meae erant obligationes: studuine adimplere?

Equidem hunc in finem, Domine, nihil mihi deerat, nec media, nec exempla, nec gratiae: defuit animus et fidelitas. En me ad pedes tuos prostratum, ut me ipsum confundam coram te, at simul testificer sincerum, quod jam foveo, desiderium majori posthac fervore currendi viam consiliorum tuorum, ut ad status mei perfectionem denique pertingam. O Pater misericordiarum, siquidem ad illum tanta me bonitate vocasti, ne permittas, quaeso, ut illo me reddam indignum per mores profanos degenerando a sanctitate professionis meae: cumque per inspirationem tuam illum amplexus sim, fac, ut per gratiam tuam omnes ejus obligationes fideliter adimpleam.

PUNCTUM II.

Instituit autem *plures* ac *diversos* ordines religiosos, quia unus dumtaxat per easdem regulas et aequalem vivendi normam nec ad exercendos tot diversos actus caritatis erga Deum et proximum, nec ad imitandas omnes Jesu Christi virtutes suffecisset. Praeterea cum adeo diversae sint hominum propensiones, ingenia, facultates corporis et animi, non poterant unam omnes, eandemque

ingredi viam, sed plures aperire necesse erat, ut quilibet posset eligere aptiorem ad fines suos.

Contemplare jam cum gaudio, anima mea, mirabiles divinae providentiae inventiones ac vias, ut Ecclesiae filios ad sanctitatem suaviter perducat. Ipsam quoque Ecclesiam admirare, a Davide comparatam *reginae in vestitu deaurato*, *circumdatae varietate* colorum (Ps. 44, 10.), h. e. ordinum religiosorum, qui exornant sponsam Jesu Christi; sponsum vero coelestem mire glorificant; alii quidem in silentio ac solitudine per vitam *contemplativam*, alii in publico per *activam*, alii vero per *mixtam*, Marthae labores uniendo quieti Mariae.

O sapientia ineffabilis, quae *omnia attingis fortiter et suaviter* (Sap. 8, 1.), grates tibi ago quas possum maximas, eo quod Ecclesiae tuae tot religiosos ordines suppeditaveris ceu totidem columnas domus tuae, aut mensam variis refertam eduliis, omnique hominum gustui explendo parem. Tu, Domine, super unam ex his columnis me firmasti, uno ex deliciosis hisce ferculis aluisti, in unam ejusmodi sanctam domum, ubi unica omnium cura et studium est tibi placere, me perduxisti. Adeo singularem gratiam obliviscar nunquam, sed grata per omnem vitam memoria recolam.

PUNCTUM III.

Vocare ad statum religiosum solius est Dei; ob suam enim sublimitatem tantum excedit humanas vires, ut nemo, nisi peculiariter vocatus, ad eum aspirare possit. Ita de castitate, uno ex tribus substantialibus religiosi status votis, loquens Christus dicebat: *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est.* (Matth. 19, 11.) Item ad Apostolos: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* (Joan. 15, 16.)

Imaginare tibi, anima mea, quod Deus iisdem verbis te blande alloquatur: et summa animi gratitudine eorum veritatem agnosce: fatere Deo candide, quod nec digna fueris ab eo eligi, nec apta, quantum in te erat, acceptandae adeo beatae conditioni, qua ad ei serviendum per religionis vota adstringeris. Omnes roga coelites, ut Deum ob hanc incomparabilem gratiam tecum laudent: imo et tu toto grati cordis affectu lauda, dicens:

Deus cordis mei! qui adeo singularem potui gratiam mereri? Quid, obsecro, reperisti in me tanta dignum praerogativa et electione tua? Grates tibi ago immortales, divinissime magister, quod in discipulum tuum elegeris me prae innumeris, quos praevidebas longe majorem, quam ego faciam, tibi honorem et gloriam fuisse allaturos. Egone de statu, quo tam indignus sum, vel somniare unquam potuissem, nisi ejus amorem ac desiderium mihi inspirasses? aut an illum petere a te aliquando fuissem ausus, nisi spem impetrandi fecisses? Profecto tua, Domine, misericordia me ad statum religiosum elegit, tuaque providentia felicissime perduxit.

Feria V.

De bonis et commodis status religiosi.

PUNCTUM I.

Eximit hominem a periculis mundi et occasionibus peccandi. Unde, quaeso, in mundo tanta peccandi proclivitas? Nimirum saeculares perpetuis versantur in periculis peccandi, *quoniam omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitae.* (I. Joan. 2, 16.) Dantur equidem in saeculo, qui ab his praepotentibus salutis nostrae inimicis se expediunt: attamen quantillus horum est numerus? Taceo, quantis hi ipsi amittendae innocentiae periculis sint expositi tam ob bona temporalia, quae famem et cupiditatem accendunt, quam ob mala sociorum exempla, qui cohabitantibus saepenumero contagionem peccati affricant.

Quantus igitur Dei favor et gratia est de medio hujus contagionis extrahi! Quanta religiosi felicitas, ex Aegypto translati in sacram solitudinem, ubi vix occasio est Deum offendendi! Quid enim (te ipsam appello, anima mea) quid ibi avaritia possit quaerere, ubi solemni voto strictam profitemur *paupertatem?* Quid libidini poterit blandiri, ubi omnibus carnis voluptatibus per votum *castitatis* nuntium remisimus? Quis ambiat honores, ubi perpetuam subjectionem juramus per votum *obedientiae?* Quid mali timeamus a societate aliorum, ubi

sancta dumtaxat eorum exempla nostris continuo obversantur oculis?

Felix enimvero, mi Deus, milliesque felix est anima, quam de mundo transtulisti in domum tuam, ubi sub umbra alarum tuarum habitantem protegis, et impenetrabilis instar clipei ab omnibus mundi jaculis immunem conservas. Non aliter meam quoque amasti animam, tot nominibus tibi devinctam, quot in mundo sunt pericula et vitia, a quibus eam praeservasti. O terque quaterque felix momentum, quo mihi, ut olim Abrahamo, dixisti: *Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et veni in terram, quam monstrabo tibi.* (Gen. 12, 1.) De loco contagione infecto translatus sum in regionem sanam ac salubrem, ubi omnia sanctitatem spirant. E domo lutea, quae sua me ruina tumulandum minabatur, eductus vivo jam in domo Patris coelestis, quam sapientia divina sibi aedificavit, nullo unquam casu concutiendam.

PUNCTUM II.

In gradu eminenti omnia bonorum genera affert: 1. Bonum *honestum*, quod complectitur omnes, quae in statu religioso exercentur, virtutes theologicas et morales. 2. Bonum *utile*, seu omnia media ad consequendam perfectionem ac salutem opportuna. 3. Bonum *delectabile*, seu *pacem Dei, quae exuperat omnem sensum* (Philip. 4, 7.): item gaudium Spiritus Sancti. quo perfunduntur religiosi, quia assidue cum Deo conversantur, ei placere satagunt, et sanctum ejus amorem perfecte possident.

Nonne haec omnia, et quidem in gradu eminenti, reperire est in statu religioso? Numquid ipsamet experta es, anima mea? An non verissime id totum, quod Salomon de sapientia, tu dicere poteris de statu religioso: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illo?* (Sap. 7, 11.) Nimirum fons est inexhaustus omnium thesaurorum, et ex eo tempore, quo hunc statum jactura bonorum temporalium comparavi, coelestibus jam frui mihi videor.

Et sane ditior nunquam fui, o Deus, quam cum amore tui omnia reliqui. Non amisi divitias, voluptates, libertatem, sed cum foenore in melius commutavi. Pro

caducis bona accepi solida: pro terrenis, turpibus, vanisque voluptatibus obtinui spirituales, puras, animam exsaturantes. Gaudebam prius libertate, verum inconstante, millenis obnoxia vicissitudinibus, perpetuo virtutem inter et vitium fluctuante: nunc vero libertatem possideo stabilem ac fixam per vota, quae Deo me individue alligant, et felicem mihi neccessitatem imponunt solum amandi Deum. Amplissimas, Deus cordis mei, tibi grates ago ob tantam bonorum affluentiam, quibus in domo tua me cumulas, ubi jam inchoasse mihi videor possessionem regni tui, *quod est justitia, et pax, et gaudium in Spiritu Sancto.* (Rom. 14, 17.)

PUNCTUM III.

Reliqua vitae religiosae emolumenta reduci possunt ad tres bonorum classes, quae Christus religiosis promisit in persona Petri; hic enim cum diceret ad Jesum: *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te: quid ergo erit nobis? Jesus dixit illis: Amen dico vobis:* 1. In extremo judicio *sedebitis* in throno gloriae *super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* 2. *Et omnis, qui* vestro exemplo *reliquerit domum, vel fratres aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet* in hoc mundo, et 3. *vitam aeternam possidebit* in altero. (Matth. 19, 27—30.)

Magne Deus! quanto erit honori et gloriae religiosis, qui nunc ab omnibus despiciuntur, tunc cum Apostolis in sublimi throno mundum judicare in terribili judicio, ubi principes et magnates orbis metu contabescent! Quantum religiosi solatium, salutis suae securum esse, et quidem ex ore veritatis aeternae! Quantum gaudium, jam nunc delicias coeli praegustare possidendo centuplum a Christo promissum! Gaude et laetare, anima mea, quod Deus ad statum tam felicem te elegerit. O beata conditio! o cambium coeleste, pulvisculum mutasse cum aeternis coeli thesauris!

Nonne autem, Domine, modicum illud, quod propter te reliqui, abunde spiritualibus compensaretur deliciis, quibus affluo, si quid amore tui ago patiorve? Cur insuper tam magnifica polliceris praemia vili servo, qui nihil dedit

tibi, nisi quod innumeris aliunde tibi debebatur titulis? Quando mea tibi bona, corpus, animam, libertatem consecravi, ipsum hoc sacrificium erat gratia, quam a tua bonitate accepi: et tu inter merita reputare dignaris. Liberalissime Deus, quam dulce est tibi servire tuaque in domo vivere! Verissime *melior est dies una in atriis tuis super milia, quam habitare in tabernaculis peccatorum*. (Psal. 83. 11.)

Feria VI.

De fine hominis et mediis ad finem consequendum.

PUNCTUM I.

Creatus est homo ad hunc finem, ut Dominum Deum suum laudet ac revereatur, eique serviens tandem salvus fiat. Verba sunt S. Ignatii, imo verba Apostoli (Rom. 6, 22.): *Servi facti Deo habetis fructum vestrum* seu finem proximum ac immediatum *in sanctificationem, finem vero* mediatum ac ultimum *vitam aeternam*.

Porro ad obtinendum hunc finem universale medium est bonus creaturarum usus: harum autem finis, in quem Deus creavit eas, est hominem juvare ad consequendum finem: id quod triplici modo mihi et cuilibet homini praestant. 1. *Auxilio*, dum meis inserviunt necessitatibus et commodis: per quod ad gratitudinem tot bonorum largitori debitam excitor. 2. *Exemplo suo*, dum omnes et singulae Deo obsecundant fidelissime: et hac ratione me trahunt ad servanda exacte ejus mandata. 3. *Instructione*, siquidem me ducunt in cognitionem perfectionum Conditoris, cujus sunt veluti speculum et vestigia, atque adeo totidem incitamenta ad eundem amandum; *invisibilia enim Dei per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur*. (Rom. 1, 20.)

Oportet igitur nulla uti creatura, quin grates agam Creatori, nec promptam earum intueri obedientiam, quin meae in servandis legibus me pudeat negligentiae, nec illarum contemplari pulchritudinem, quin amore in eum exardescam, cujus amabilitatem et perfectiones, quamvis obscure, illae mihi detegunt.

Tune creaturis hoc modo uteris, anima mea? Num thesauros et opes intuendo ad illum, qui tui gratia eas creavit, mentem erigis, saepius cum tribus pueris in fornace Babylonica exclamans: *Benedicite omnia opera Domini Domino* etc. (Dan. 3, 57.)? Quomodo exactam creaturarum obedientiam imitaris? earumne amabilitas, ex qua Dei bonitas et pulchritudo elucet, summum, ut par est, Conditoris amorem debitamque gratitudinem in te excitat? Heu me! quanta perversitas, quantae inordinationes, Domine, et abusus in meo creaturarum usu! Sunt illae evidentia tuae erga me bonitatis specimina: et istud ne quidem considero unquam. Illae, quamvis ratione et sensu careant, promptissime tuis morem gerunt imperiis: me lumen rationis ac naturae eo nequeunt pertrahere, ut tuae obsequar voluntati. Quando creaturis utor, iis inordinate adhaereo, in iis quiesco, et ultimum finem colloco. Vah! amorem divido; quin prodigo in creaturas, quem totum tibi debeo Creatori.

Ah! quanto me pudore simul ac dolore suffundit haec mea nunquam satis deploranda inordinatio! En, Domine, eam coram te humillime fateor, ut ejus veniam a tua impetrem misericordia, gratiamque melius posthac utendi mediis, ad consequendum finem meum tam liberaliter a te mihi concessis.

PUNCTUM II.

Ut autem usus creaturarum sit bonus, votis ac intentioni Creatoris respondens, haec servanda est regula et norma recti. Oportet me omnino indifferentem esse circa usum omnium creaturarum, nec divitias paupertati, aut honores opprobriis, aut sanitatem morbo, aut vitam longiorem brevi anteponere: et sic de aliis loquendo. Verbo: nulla prorsus inter creaturas distinctio facienda est, nisi quando una magis quam altera conducit ad Dei honorem et meam salutem promovendam, adeo, ut ista duo debeant unica esse ratio aut amandi aut aversandi creaturas, cum prudenti solus *finis debeat esse regula agendarum rerum*, et tota ratio eligendi media ad consecutionem finis opportuna.

Itane comparata es, anima mea? certe non fuisti hactenus; hinc illae lacrimae, defectus tui, peccata

omnia. Repeto. Num saltem hodie indifferens es circa usum creaturarum indifferentium? Ut aequum de te feras judicium, te ipsam ingredere, cor perscrutare, rerum creatarum amorem et affectiones tuas discute. An divitias, voluptates honores, amicos etc. ita amas, ut te ad Deum, ad tuam salutem possint perducere?

Imo tuum est, Domine, rimari intimos cordis mei recessus, arcanas ejus scrutari propensiones, hasque mihi detegere, ut ad tuum eas beneplacitum dirigam. Evelle igitur de corde meo, quidquid ibi latet tuae contrarium voluntati: omnem elimina amorem, cujus tu centrum aut motivum non es: Disrumpe vincula, maxime illa, quae amor proprius nectit, ut a tuo amore me retrahat.

PUNCTUM III.

Nihil aliud me potest fine ultimo privare, quam sola voluntatis meae inordinatio; solum, inquam, peccatum, quod in illa consistit, praesertim *mortale*; hoc enim solum directe fini meo adversatur, ac aeterna, ad quam creatus sum, beatitudine me facit excidere.

Ita est. Conjurent in perniciem meam creaturae omnes; nil mihi timendum, si solum timeo et devito peccatum. Quanto id solatio est homini, qui corde sincero possessionem Dei et suam salutem desiderat! Irruant in me pleno agmine omnia simul mala et miseriae, dolores, morbi, infortunia. Accedant insuper ingenii ruditas, ignorantia rerum naturalium, humilitas generis ac natalium, perfidia amicorum, persecutio omnium: nihil horum a Deo, a beatitudine, a fine ultimo me vel latum unguem poterit avertere, potest autem sola et unica lethalis culpa.

Teste Apostolo peccaminosis dumtaxat *factis Deum negamus* (Tit. 1, 16), adhaerendo idolis: puta divitiis, honoribus et carnis voluptatibus, atque ita a te, o Deus, a fine ultimo recedimus. Vah! quam demens forem, si falsis ejusmodi numinibus thus adolerem cum jactura obsequii, obedientiae, honoris ac amoris tibi solum debiti! Millies potius me in nihilum redige, quam ut in corde meo adeo funestam omnique adversantem rationi patiaris servitutem.

Sabbato.

De peccati mortalis gravitate ex poenis desumpta.

PUNCTUM I.

Ex poena angelorum. Consideremus 1. perfectiones, excellentias et dotes cujuslibet angeli, illis expressas verbis: *Tu signaculum similitudinis* (Dei) *plenus sapientia, et perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti: omnis lapis pretiosus operimentum tuum.* (Ezech. 28, 12. 13.) Per *lapides pretiosos* denotantur innumera naturae et gratiae dona, quibus angelum dotavit Conditor: scilicet natura pure spirituali ac immortali, intellectu prorsus sublimissimo, voluntate perfectissime libera et actionum suarum domina, cumulata rerum naturalium scientia, universali in omnes creaturas inferiores potestate ac imperio, gratia et sanctitate eminenti, felicissimo coeli empirei domicilio. Superi! quantus gratiarum cumulus! 2. Quanta vicissim (pro hominum, superumque fidem) ingratitudo angeli, quod tantae oblitus munificentiae contra Deum cristas et *cor suum*, divino rebellis imperio, *elevarit in decore suo*, quem una secum Deo, tamquam bonorum omnium fonti, unice debebat gratus in acceptis referre! 3. At ecce poenam superbiae! in ictu oculi e coelo in Orcum praecipitatus est, nullo poenitentiae loco aut tempore relicto. Quam terribilis es, Domine Deus! quam horribilia sunt judicia tua!

At enim quam terribilis es erga angelos, tam misericors es erga homines, in illis *exemplum eorum, qui impie acturi sunt, ponens.* (II. Pet. 2, 6.) Si enim *Deus* (ita cum Apostolo debemus nosmetipsos adhortari) *angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos* aeternum (ib. v. 4.), quanto magis et aequius in vilissimos homunciones, in sceleribus suis obstinatos, animadvertet?

Et vero aequius nihil est, Domine, quam extremum, nisi tua e misericordia proficiamus, in nos rigorem exerere. At en! fixum est resipiscere, et ex poena angelorum debitam tibi obedientiam discere.

PUNCTUM II.

Ex poena Adami. Consideremus pariter 1. dona et gratias, quibus Adamum cumulavit Deus. Condidit eum ad imaginem et similitudinem suam: dotavit justitia originali: immunem reddidit a necessitate moriendi, a rebellione passionum, et ab omnibus, quas nos, pro dolor! experimur, miseriis: collocavit in paradiso voluptatis, tandem in aeternam beatitudinem transferendum, ubi Deus omnes magnificentiae suae thesauros perpetuo ostentabit. 2. Ex his concludam, quanta extiterit Adami ingratitudo, dum amore uxoris eique placendi studio summum benefactorem suum et Conditorem Deum graviter offendere non dubitavit mandatum ejus transgrediendo. 3. Quis jam miretur, quod Deus, adeo enormi exasperatus ingratitudine, Adamum subito privarit justitia originali, carnis subjecerit rebellioni, imo morti corporis et animae, nec non omnibus, quae ex peccato pullulant, miseriis, ac denique ex paradiso voluptatis in perpetuum ejecerit? Quis ista miretur, inquam? Nemo, Domine, nemo unus. Qui rite intelligit, quantum sit nefas tuis non obedire mandatis, facile capit, supplicium haud esse, quod tuae praevaricator legis non mereatur.

Haeredes criminis paterni, haeredes quoque sumus omnium, quas sine numero in omnes posteros suos protoparens transfudit, calamitatum. Vah! maledictum millies peccatum, ob quod *natura filii irae* nascimur, tot tantisque aeternum pereundi periculis obnoxii!

Anima mea, primum hoc peccatum detestaris: et jure quidem meritissimo. Cur ergo peccata, quae tu quotidie committis, non detestaris? an quia Deus tua pari rigore non punit? Ergone Deum offendis, quia erga te misericors est? Magne Deus, quanta autem haec injustitia! quanta iniquitas, adeo bonitate tua abuti! Id enimvero agnosco, nec minori dolore quam rubore fateor: at simul cum gratia tua firmiter propono emendationem.

PUNCTUM III.

Ex poena particularium personarum. Oculis fidei, qui nec falli possunt, nec fallere, in Orcum descendam, ibique contemplabor innumeros ob avaritiam, ob in-

justitias et perjuria, ob superbiam, gulam, luxuriam damnatos, et quidem plures ob *unicum* lethale peccatum damnatos.

Subin me ipsum ingressus, ita mecum discurram: hoc ipsissimum peccatum, ob quod, licet unicum, hi infelicissimi sempiternas luunt poenas, ego quoque admisi, et forte saepius. Cur ergo Deus tam clementer mihi pepercit? qua de causa majorem mei, quam illorum, rationem habuit? Illi unius solum gravis noxae rei, iisdem mecum christianae fidei dogmatis imbuti etc. majore forsan, quam ego, fervore per plures annos Deo servierunt: nunc sine ullo salutis remedio aut spe ardent in Orco, aeternum arsuri. Cur non et ego suppliciorum sum consors, qui fui scelerum? millies prae illis damnari meritus?

Ah! in tuo solum corde, mi Deus, hujus rei ac peculiaris erga me bonitatis tuae causam reperio, atque adeo causam aeternae gratitudinis meae. *Misericordiae Domini, quia non sumus consumpti.* (Thren. 3, 22.) Ita est: *Confitebor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo, et glorificabo nomen tuum in aeternum, quia misericordia tua magna est super me, et eruisti animam meam ex inferno inferiori.* (Psal. 85, 12. 13.)

Et sane, si Deus hodie animam inde erueret, et corpori reunitae certum poenitendi tempus concederet, quantis illa non exsiliret laetitiis! quas non grates suo ageret liberatori! ad quas non poenitentiae austeritates sese ultro damnaret! Tuam fidem imploro, anima mea: an forte minor laetitiae seges et materia tibi videtur, quod in illud gehennae barathrum delapsa non sis, quam si ex illo redimereris? putasne, te minus obligari ad amandum praeservatorem tuum, qui in limine Orci jam haerentem retraxit? Num fervore minori ad opera poenitentiae festinandum tibi?

Praeterea quid mihi durum ad expiationem peccatorum videri possit, Redemptor mi, quando te ad illa expiandum intueor multo graviora passum? Ah! si in sanctis poenitentiae operibus justo mitior essem ac indulgentior, quantus Nemesis divinae rigor, quanta me Patris tui severitas maneret? Si enim *proprio Filio*

innocenti *non pepercit*, *sed* ob aliena, quae in se transtulit, peccata *tradidit illum* in mortem atrocissimam, quanta severitate plectet servum nocentem? *Si haec in viridi ligno fecit*, *in arido quid fiet?* (Luc. 23, 31.)

Dominica XIX. post Pentecosten.

De invitatis ad nuptias et coenam.

(Matth. 22, 2. sq. et Luc. 14, 16. sq.)

Vide medit. Dom. II. post Pentecosten. Part. I. pag. 400.

Feria II.

Gravitas peccatorum ex multitudine et repugnantia cum ratione.

PUNCTUM I.

In conspectu Dei humillime prostratus, meam ingrediar conscientiam, et eodem, quo rex Ezechias, animi sensu dicam: *Recogitabo tibi*, Domine, *omnes annos meos in amaritudine animae meae.* (Isa. 38, 15.)

Id saltem confuse ut fiat, animo percurram omnes actae retro vitae meae aetates; omnia, in quibus vixi, loca; omnia, quae obii, officia et occupationes et ubique diligenter advertam, quid, et quomodo in praecepta Dei et Ecclesiae, in status mei et officiorum obligationes deliquerim. Mox, ubi ingens peccatorum numerus meis se oculis stiterit, intimo doloris sensu tactus cum Davide *confitebor adversum me injustitiam meam Domino.* (Psal. 31, 5.) Quodsi vero cognitis a me peccatis *ignota* mihi et *occulta* adjiciam, quae error, ignorantia, oblivio, amor proprius, exigua mei ipsius cura, peccatorum subtilitas, daemonis astutia memoriae aut cognitioni meae subduxerunt, tum enimvero cum eodem rege exclamare oportebit: *Iniquitates meae multiplicatae sunt super capillos capitis mei* (Psal. 39, 13.), ad quas tamdiu patienter sustinendas opus fuit tota et infinita Dei longanimitate ac misericordia.

Ah mi Deus! si terrenum principem toties ego et tam graviter offendissem, quis sat carnificum et tormen-

torum ei posset subministrare, ut condignis me afficeret suppliciis? Imo vel unica ejus injuria atrox est et sufficeret, ut justitiae et carnificum manibus me traderet. Tu solus, Domine Deus misericordiarum, ob clementiam aeternum laudari et amari mereris.

PUNCTUM II.

Ex tanta multitudine aestimabo jam gravitatem peccatorum et hunc in finem quasdam comparationes in s. Scriptura usitatas adhibebo.

Si ergo peccatum est 1. velut *mola asinaria*, quam diabolus collo peccatoris alligat, ut eum praecipitet in gehennam, cur tanto peccatorum pondere depressus in eam necdum rui? 2. Si est *catena*, ex tot ferreis composita annulis, quot peccatis, cur me in Orcum non detraxit, cum tamen *unicum* in coelo peccatum ejusmodi catenam efformaverit, quae rebelles angelos velut *rudentibus detractos in tartarum* praecipitavit, mea autem ex *innumeris* peccatorum annulis contexta fuerit catena?

Profecto, Domine, immensa caritate, infinita longanimitate tua et misericordia opus erat, ut me, peccatorem maximum, tamdiu sustineres, quem peccata innumera ad imum usque inferni detrusissent. O quantas, Pater misericordissime, tibi grates debeo, quod mihi peperceris! Perfice opus coeptum, qui nihil facis imperfecti: et postquam enormem malitiam meam tamdiu tolerasti, eam in corde meo funditus destrue, ut nec vestigium remaneat praeter unicam et sinceram voluntatem tibi posthac fideliter serviendi.

PUNCTUM III.

Peccatum ex se et natura sua res est adeo turpis et abominanda, ut sola ejus cognitio ingerat horrorem. Est, inquam, inordinatio omnibus rationis et honestatis legibus ac principiis contraria, quae hominem de gradu naturalis suae dignitatis dejicit: est infamia, quam nostrae inferimus nobilitati: stigma, quod gloriosae inurimus nostrae origini; ex filiis enim Dei adoptivis, cujus imaginem gerimus, per peccatum *jumentis insipientibus comparamur et similes bestiis* evadimus naturam earum imitando: evadimus non modo passionum, queis morem gerimus, sed et daemonis mancipia, cui obsecundamus.

Haec esse verissima, o Deus, nimiopere experior et durissimum istud ac ignominiosissimum jugum sentio, ex quo tempore gloriosum ac suave legis tuae jugum èxcussi, ruptis, quae tibi me uniebant, amicitiae vinculis. In locum Domini infinite boni, cui serviebam, qui nihil imperabat, nisi conforme rationi: cujus jugum erat suavissimum: in hujus, inquam, Domini locum successerunt tyranni, quorum leges sunt iniquae, jugum intolerabile. Ah! amabilissime Servator, pristinae libertati me restitue. Et vero restituar, si me per gratiam tuam reduxeris in viam obedientiae et subjectionis tibi debitae.

Feria III.

Gravitas peccati ex vilitate peccantis.

PUNCTUM I.

Quid est homo, si spectetur *quoad corpus?*

Est vas stercorum ex luto compactum, cui dictum: *Pulvis es et in pulverem reverteris.* (Gen. 3, 19.) Ejus vita est *vapor ad modicum parens* (Jac. 4, 15.): imo teste Job (14, 1. 2.) *fugiens velut umbra et nunquam in eodem statu permanens*, *repleta multis miseriis.*

Ecce hominem, qui non reformidat Deum lacessere, contra Dominum suum insurgere, ejus obedientiam detrectare! *Unde* autem *et quid superbis terra et cinis?* (Eccli. 10, 9.) Vas luteum *et testa de samiis terrae*, quomodo audes *fictori tuo contradicere* (Isa. 45, 9.), qui te quovis momento in pulverem et antiquum nihilum potest redigere?

Anima mea, hominem pertimescis, qui solum mortale corpus, brevi in sepulchri pulveres suapte resolvendum, potest diruere: et non times Deum offendere, qui, postquam occidit corpus, cum eodem *animam* immortalem *potest* aeternum *perdere in gehennam?* (Matth. 10, 28.) Ah! clementissime Deus, vilissimo terrae vermiculo parce, qui coram te humiliatus firmiter statuit ex consideratione vilitatis suae tandem addiscere, quantum vereri posthac et revereri debeat infinitam majestatem tuam.

PUNCTUM II.

Quid est homo consideratus *quoad animam?*

Est ens oppido exile, cujus origo fuit *nihilum*, in quod singulis recideret momentis, nisi Deus omnipotenti manu illud conservaret: conceptum praeterea in peccato seu altero *nihilo*, in quod continuo revolveretur per pondus corruptae naturae ac vehementiam tentationum, quibus intra et extra se homo obnoxius est, nisi gratia Redemptoris praeservaretur; *nullum* enim, recte ait S. Augustinus, *peccatum est, quod unquam fecerit homo, quod non possit facere alter homo*, si auxilio providentiae destituatur et gratiae.

Geminum istud originis et peccati *nihilum* et naturalem in utrumque relabendi inclinationem rite ponderans, Domine, adeone subjectionis tibi debitae possit oblivisci, ut tuis etiam mandatis ausit resistere?

Itane vero? Nihilum ego, et nihilum omni supplicio dignum, ego corrupta omnium peccatorum scaturigo, contra te ausus sum caput erigere, insurgere, rebellare? neque tamen me repente in nihilum redegisti fulmine? Ah! quid prius magisque admirer? tuamne infinitam, Domine, bonitatem, an meam enormem impudentiam? imo utramque obstupesco aequaliter: ast illam simul laudo, amo, glorifico: hanc detestor. Geminum hunc animi sensum conserva in me, ut perpetuo vivam in amore tui et contemptu mei.

PUNCTUM III.

Quid est homo *comparatus toti mundo?* tot hominibus, qui fuerunt, sunt eruntque in terra? tot angelis in coelo? et quid denique sunt haec omnia, si cum Deo conferas? *Omnes gentes, quasi non sint, sic sunt coram Deo et quasi nihilum et inane reputatae sunt ei.* (Isa. 40, 17.)

Eheu! quid igitur ego solus sum, si conferar cum Deo? infinite minus atomo: sum nihilum, quod, ut stellae sole praesente, ita praesente Deo totum evanescit, quasi non esset. Talis ego possumne mea magni facere et jactare talenta, in quibus vane et falso mihi complaceo? In iis nihil est solidum, nihil grande, bonum nihil; *quia nemo bonus, nisi solus Deus.* (Luc. 18, 19.) Ipsae, quas

Deus creaturis contulit, perfectiones tam parum, tam nihil sunt, ut vix nomen boni mereantur.

Ah! anima mea, si rite percepisti, *quid sis*, potesne simul capere, quam enormis tua fuerit protervia, quod divinam majestatem offendere non dubitaveris? Et tamen offendunt te homines, o Deus: quin et ego, omnium abjectissimus, te offendi toties. Profecto jam non sum dignus conspectu tuo, nisi cum Job dignam *agens poenitentiam in favilla et cinere.* (Job 42, 6.) Plura loqui vetat dolor et pudor.

Feria IV.

Gravitas peccati ex persona offensa.

PUNCTUM I.

Peccatum graviter offendit Deum in omnibus suis perfectionibus, maxime in tribus, quas directe oppugnando peccator graviorem Dei offensam reddit.

Prima est infinita *Dei bonitas*, ob quam non tantum summo, verum etiam *infinito*, si possemus, amore deberemus *infinite amabilem* prosequi. Et hunc ego Deum omni amore dignissimum odi per peccatum, offendi, injuria affeci. Detestandum sane facinus, o Deus, te hactenus non amasse! imo toties graviter offendisse!

Secunda est *immensitas Dei*, qua replet omnia mihique, dum peccabam, erat intime praesens. Omnino, Domine, quoties peccare decrevi, ita decrevi coram te, in tuo conspectu, intra omnisciam immensitatem tuam. In oculis terreni principis, qui aliud non est, quam pulvis et caduca majestas, non auderem eum offendere: et effrons non dubitavi in conspectu supremae majestatis tuae tua transgredi mandata, calcare leges, ridere minas? Quanta haec mei tuique oblivio! quam impudens mea temeritas!

Tertia est *omnipotentia Dei*, ad omnes creaturarum actiones tam necessario *concurrens*, ut sine eo concursu nec moveri, nec aliud quidquam vel minimum possint agere. Tu igitur, o Deus, omnipotentem manum tuam mihi ad agendum porrexisti: et ego ea contra te ipsum abusus sum: tua in te converti arma et beneficia, ut

merito conquereraris: *Servire me fecisti in peccatis tuis: praebuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* (Isa. 43, 24.) Ah! cur non potius me et rebelle cor meum redegisti in nihilum? Domine, saltem viva peccatorum contritione illud frange et contere.

PUNCTUM II.

Peccatum non modo infinite *amabilem*, verum etiam infinite *nos amantem* offendit Deum atque hoc summo benefactori suo reddit peccator loco amoris, quem deberet infinite amanti rependere.

1. Amantissimus iste Deus *creavit me* et innumeris naturae donis cumulavit. Singulis vitae momentis *conservat me* et plus quam paterna *gubernat* providentia. An non igitur eandem cum Israelitis objurgationem peccator sum meritus: *Haeccine reddis Domino, popule stulte et insipiens? Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te et fecit et creavit te?... Deum, qui te genuit, dereliquisti et oblitus es Domini Creatoris tui.* (Deut. 32, 6. 18.)

2. Idem *redemit me.* Quod existam, Patri debeo Conditori: quod salvus fiam, debeo Redemptori Filio, ejus incarnationi, laboribus, passioni ac morti. Vah! quam enormis igitur est ingratitudo, tam male tanto respondere amori et *mihimet ipsi* adeo beneficum *rursum crucifigere* Redemptorem!

3. *Sanctificavit me* in baptismo, ubi Spiritus S. copiosa gratiae dona in animam meam profudit. Eandem sanctificationis gratiam in me jam toties per alia renovavit sacramenta et auget quotidie, si tantisper ejus bonitati et gratiis respondeam. Superi! quanta haec est gratia et favor! Sed quae tua vicissim est gratitudo, anima mea?

Domine Deus, si nihil boni unquam accepissem a te, imo si statuisses firmiter in aeternum boni nihil mihi conferre, tu tamen, quia in te ipso infinite amabilis, meos infinite mereberis amores et obsequia. Nunc autem, cum infinitae amabilitati tuae infinita adjicias dona ac beneficia, profecto qui te non amat, sed loco amoris te offendit, monstrum sit oportet plus quam belluinae ingratitudinis.

PUNCTUM III.

Quid autem ad peccandum me impulit? procul dubio enim injuriae magnitudo crescit, si *levi* de causa irrogetur. Quam igitur ob causam infinite amabilem ac infinite liberalem meum benefactorem tam graviter offendi? an, ut regnum aliquod, aut mundum lucrarer universum? Imo tam graviter *violabant me*, respondet ipse Deus, *propter pugillum hordei et fragmen panis* (Ezech. 13, 19.); propter (infandum dictu) propter rem nauci, flocci, nihili: propter honoris punctulum, propter vile unius nummi lucellum, propter modicam et (pudet eloqui) ipsis daemonibus erubescendam carnis voluptatulam.

Et hi ipsi, o Deus, mei quoque erant dii ac idola, quibus te, eheu! postposui. O palmarem stultitiam! Quod latroni Barabbae Filius tuus a Judaeis fuerit posthabitus, ipsus jure indignor et facinus Orco dignum pronuntio: et levius mihi videatur ac venia magis dignum, si nulla provocatus injuria divinam majestatem tuam rebus vilissimis et nihilo postponam? certe non exhorresco. Heu! quantum haec mea insensibilitas me confundit!

Quam juste coelis imperas, Domine, ut *obstupescant et portis ejus, ut desolentur vehementer propter duo mala, quae fecit populus tuus:* scilicet *quod dereliquerint te fontem aquarum viventium et foderint sibi cisternas, cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas!* (Jerem. 2, 12. 13.)

De me scelesto peccatore non minus conqueritur propheta, quam de ingrato Israelis populo; similia enim commisi peccata: ergo mihi pariter ut coelis impera, ut dolore rumpatur cor meum, dolore peccatorum tam vivo, ut tandem per gratiam tuam emolliatur.

Feria V.

Gravitas peccati ex suppliciis, quibus illud Deus castigat.

PUNCTUM I.

Supplicia et poenae temporales, quas Deus peccato infligit, sunt quam plurimae numero, quam maximae atrocitate, attamen exiguae, imo nullae, si comparentur cum gravitate peccati. Omnium jactura bonorum, morbi,

bellum, fames, pestis enormia sunt peccatoris flagella in hoc orbe: nihilominus unum dumtaxat peccatum illis infinite majus est malum, quia suo modo malum est ipsius Dei: omnes autem poenae malum sunt solius creaturae.

O deplorandam hominum caecitatem! omnia timent, praeter peccatum: hoc tamen solum est malum, quod jure timendum. Age, anima mea: te ipsam subintra et vide, an non ex eodem sis numero. Quantum non laboras, ut dolores corporis, ignominias et alias vitae miserias amoliaris a te? Quid autem agis, ut peccatum, unicum illarum fontem, evites et obstruas? ubi, quaeso, mens, ubi ratio tua?

Illumina, Domine, coelesti luce tua cor meum, ut verum, quod formidare et abominari oportet, malum agnoscam. Expelle frivolos timores meos, qui frustra mentem discruciant et da mihi gratiam nihil timendi in mundo, praeterquam ne te offendam.

PUNCTUM II.

Omnia hujus vitae mala, si divo Gregorio credimus, leves tantummodo divinae Nemesis velitationes sunt, quibus peccatorem oppugnat, plenam in illum ultionem in orbe altero effusura, quando vel unius peccati gravis reum ad sempiternos inferni rogos damnabit.

Quantumvis autem atrocissimae sint inferni poenae, ad puniendum tamen peccatum ordinantur a Deo justissimo, qui ultra meritum non punit. Ita est, anima mea; injuria, quam vilis creatura Deo infert peccando, velut infinitae est malitiae, atque adeo castigari pro meritis non potest, nisi poena durationis infinitae. Qui contempsit Deum seu ens infinito amore dignum, in nihilum redigi meretur.

Haec utique terribilis est poena, sed, ut ait Augustinus, *amantibus te, o Deus, poena est, non contemnentibus* et induratis. O quam merito saxo durioribus his cordibus ignes minitaris, ut ea redigas in pulverem et cineres! Ah! si cor meum aeque foret lapideum, tuorum, quaeso, metu judiciorum illud emolli, imo in carneum cor transmuta, quod tuo respondeat et, ne in aeternitate tuo privetur aspectu, tibi in tempore serviat constantissime.

PUNCTUM III.

Quod mirum videri possit, attamen verissimum est: peccatum incomparabiliter majus est malum, quam ipsae inferorum poenae. Hoc ita certum est, ut, si quis unius mortalis peccati reus nullum in Orco pateretur tormentum, alius vero omni noxa purus sensibiles damnati poenas sustineret, ille prae isto multis partibus foret miserior peiorque.

Veritas haec ita evidens erat S. Anselmo, ut diceret: Si ex una parte omnia inferni tormenta, ex altera unicum intuerer mortale peccatum: mihique alterutrum necessario foret eligendum, sine mora et ulla haesitatione mallem purus gehennam ingredi, quam in peccatum lethale consentire.

O Deus, tibi sint laudes infinitae, quod eodem modo comparatus jam sim ab illo tempore, quo intellectum meum illuminasti, cor tetigisti. Igitur coram divina majestate tua sanctissime protestor, nullum seu in tempore, seu in aeternitate malum esse, quod non malim potius sustinere, quam tuae jacturam amicitiae. Cum fideli Eleazaro (II. Mach. 6, 23.), nonaginta annorum sene, *malim praemitti in infernum*, quam legem tuam transgredi. At memento, Domine, cor meum instabile prorsus et inconstans esse, mutandum in momenta, nisi amoris tui vinculis illud figas conservesque suis in propositis.

Feria VI.

De proprietatibus mortis.

PUNCTUM I.

Prima mortis proprietas est, quod sit *certissima* et inevitabilis, quia *statutum est hominibus semel mori* (Hebr. 9, 27.), statutum lege universali totius naturae, statutum immutabili lege Dei. Hac ipsa lege fixus est dies et hora, adeo, ut vel momentum mortis praeveniendi aut protelandi nullus homini sit locus aut facultas.

Frustra igitur, anima mea, satagis tuam longius protrahere vitam immoderata hujus rei curâ et studio; *numerus* enim *mensium*, dierum, horarum ac momentorum vitae nostrae *apud Deum est: constituit terminos*

ejus, qui praeteriri non poterunt. (Job 14, 5.) Tantum abest, ut inordinatus vitae amor illam proroget, ut saepe diminuat. *Viri sanguinum,* ait David, *et dolosi non dimidiabunt dies suos,* h. e. dimidium aetatis suae non attingent. (Psal. 54, 24.) Sed esto, quod praefixum a Deo vitae curriculum absolvant integrum, quid longior ipsis vita proderit in fine, nisi eam amori ac obsequio Dei impenderint? Cui bono tunc erunt tot implexae machinationes et consilia? tot quaestuosae negotiationes? tot vastae et ardui moliminis cogitationes? Haec omnia sub vitae finem in auras et fumum abibunt: sola pietatis opera sibi constabunt.

Nec longam ego, Domine, nec felicem, qualem mundus desiderat, vitam a te peto, sed solum ferventem tui amorem, verum me ipsius contemptum, accuratam legis tuae mearumque obligationum observationem: ista unice peto a te, contentus, si vel unico dumtaxat die mihi daretur vivere, ac eum christiane, religiose, sancte, tua exequendo mandata et consilia, transigere.

PUNCTUM II.

Secunda mortis proprietas est, quod aeque sit *incertissima* quoad *tempus, locum et modum* moriendi. Moriar: ita fides docet: nihil certius. At quando? ubi? quomodo moriar? incertum, nihil incertius. Mysterium est, Domine, nobis absconditum, tibi patens soli. Id unum scimus: *Qua hora non putamus,* mors et *filius hominis veniet* (Luc. 12, 40.) sicut fur, qui nocte et improviso hominibus supervenit, nil tale somniantibus.

Ex hac veritate quam conclusionem oportet deducere? illam nimirum, quam Christus ipse nobis utilissimam deduxit: *Estote ergo parati* quovis tempore, ne mors repentina imparatos occupet. Atque haec vera est sapientia, ita modo vivere, quales nos vixisse optaremus in morte: omnem vitam bonis operibus insumere et lucernas ardentes semper in manibus habere: hac ratione mors nunquam opprimet imparatos.

Anima mea! quando coelestis sponsus fores tuas jam pulsat per fatalem morbum, tunc tempus non erit amplius comparandi oleum: de hoc in vita tibi est pro-

videndum. Oleum istud *caritas* est, quam cordi meo infundere, infusum constanter fovere, tui solius est, Domine.

PUNCTUM III.

Tertia mortis proprietas est, quod *semel* tantummodo subeunda sit juxta illud Pauli: *Statutum est omnibus hominibus semel mori.* (Hebr. 9, 27.) Si morior in statu gratiae, aeternum felix sum: si in statu peccati mortalis, aeternum infelix sine omni remedio aut spe remedii. *Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* (Eccl. 11, 3.)

Examinemus nos ipsos frequenter cum S. Bernardo: Si Deus hanc arborem (me) modo succideret, quam in partem caderet? num in partem coeli, quod per austrum denotatur? an ad latus inferni, per aquilonem adumbrati? Quanti igitur momenti est, o Deus, toto vitae curriculo hanc arborem tota virium contentione in partem bonam inflectere, atque adeo continuam naturae et propensionibus meis vim inferre! Quanta autem stultitia est, *momento, a quo pendet aeternitas*, non omnem curam, non omne vitae momentum impendere!

Si *bis* mori daretur, possem forte unam mortem discrimini, meque exitio objicere: at statutum est *semel* dumtaxat mori: et haec unica mors de aeterna mea felicitate decisionem faciet. Imprime, o Deus, profunde cordi meo hanc summi momenti veritatem, ut imposterum pro regula omnium actionum mihi serviat.

Sabbato.

De iis, quae solent morientem angere.

PUNCTUM I.

Praeterita: nimirum *tempus*, quod perdidit: *gratiae*, quas neglexit: *peccata*, quae commisit. Quantos eheu! terrores Christianis, qui impie vixerunt, incutient integra peccatorum agmina, moribundis obverrantia! Ah? si ex infelici horum sim numero, tunc enimvero illud vatis regii in me implebitur, *circumdederunt me dolores mortis; et torrentes iniquitatis conturbaverunt me.*

Dolores inferni circumdederunt me: praeoccupaverunt me laquei mortis. (Psal. 17, 5. 6.)

Adeo opportunam me amplius perturbandi occasionem sedulo captabit daemon et in turbido piscaturus ex una parte gravitatem peccatorum exaggerabit in immensum, ex altera misericordiam Dei in animo meo supra modum diminuet, ut me in desperationis barathrum impellat. Tunc ad commune peccatorum asylum, ad tua, inquam, Servator amantissime, vulnera tantis in angoribus confugiam: at hos praevertendi medium jam nunc oportet arripere, h. e. angorum fontes seu peccata obstruere aut saltem imminuere, lacrimis delere, poenitentia expiare.

Ita firmiter quidem statuo, Domine: tuum vero, qui hanc mihi mentem inspiras, est his animi decretis efficaciam addere. O quanto illa sunt modo, quam tunc, securiora et ad salutem utiliora! tunc forte nascentur ex solo timore servili: hodie autem proveniunt ex perfecto tui amore, ex sincero tibi solum placendi studio; hinc tua, quam spero, gratia fretus illa fideliter exequar.

PUNCTUM II.

Praesentia, seu necessitas deserendi omnia mundi bona; *non enim deseritur sine dolore, quod cum amore*, praesertim si fuerit inordinatus, *possidetur*. (S. Greg.)

Deserenda autem erunt 1. divitiae, dignitates, officia, voluptates, cunctae possessiones. 2. Parentes, consanguinei, omnes amici, quos vel naturali, vel alio, seu licito, seu illicito amore dileximus. 3. Hoc, quod adeo delicate fovisti, mollissime tractasti, ad insaniam usque deperiisti, hoc ipsum corpus tuum, anima mea, deserere oportebit et vermibus in escam transcribere.

Heu! quanto dolore ac violentia cordi humano, quod inordinate tot bonis affixum est, omnia simul auferentur invito! *O mors, quam amara est memoria tua homini, pacem habenti in substantiis suis!* (Eccli. 41, 1.) Ob id ipsum moerens rex Agag in morte exclamavit: *Siccine separat amara mors!* (I. Reg. 15, 32.) Ita sentiunt et lamentantur in mortis articulo innumeri saeculares.

Felices sane illos, anima mea, qui amore Jesu Christi ante mortem se ipsos ultro omnibus mundi bonis

exspoliarunt, parentibus et amicis renuntiarunt, continuam suo corpori vim intulerunt et nulli creaturae adhaeserunt! Quam tranquille, quam feliciter tales moriuntur!

Ad hunc autem tranquillitatis statum ut perveniamus, opus est praesentem examinare statum et, si ulli creaturae agglutinati sumus, confestim vincula disrumpere. Imo te supplex rogo, Domine: rumpe omnia, quibus creaturae affixi sumus, vincula: illa vero, quae tibi nos tuoque amori alligant, validius adstringe.

PUNCTUM III.

Futura, seu ingens timor cum impendentis aeternitatis, tum irrevocabilis sententiae, ob conscientiae perplexitatem et salutis incertitudinem oppido terrificae. Cogita, quantum contremiscat, qui in momenta decisivam expectat sententiam litis, in qua vertitur tota ejus substantia, honor, vita. Sed quid ista sunt ad tuos in morte angores, anima mea? tunc incerta, an aeternum felix aut infelix sis futura, in quantas animi angustias conjicieris, nisi ista te incertitudine, qua licet, per continua perfectionis opera eximas? Quanta (per Deum immortalem!) stultitia est tanti ponderis negotium ultro negligere et in eo conscientiae statu vivere, in quo non auderes mori!

Et sane amplus hanc rem pensiculatius considerandi campus se mihi aperit: coram Deo mature expendendum, quid possim, quid debeam agere, ut salutem meam in tuto collocem. Neque tamen in re momenti infiniti meae ego prudentiae, studio, aut viribus nimium confido, Servator amantissime, sed unice tuis in illustrationibus et gratiis: illae illuminabunt me, ut cognoscam: istae vero me animabunt, ut cognita arripiam media tuum adimplendi beneplacitum: ambae vero per tuam misericordiam mihi tranquillam mortem conciliabunt.

Dominica XX. post Pentecosten.

Jesus filium reguli sanat.

(Joan. 4, 46. sq.)

PUNCTUM I.

Erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum. Hic cum audisset, quia Jesus adveniret

a Judaea in Galilaeam, abiit ad eum et rogabat eum, ut descenderet et sanaret filium ejus; incipiebat enim mori, licet adolescens fuerit aetate florens, nobilitate conspicuus, haeres parentis longe ditissimi ac potentissimi. Adeo nulla aetas, conditio, nobilitas, opulentia nos morte immunes reddit. Testem habemus quotidianam experientiam. Videas adolescentes aeque ac senes, nobiles ac opifices, opulentos ac pauperes nullo discrimine efferri ad tumulum. qui hodierno die hos suscipit, in crastinum expectat illos: et tamen vivimus ceu moriendum non esset.

An non eadem ego stultitia et caecitate laboro? Quoties vidi omnis aetatis et conditionis homines mori? Quid fructus ex hujusmodi spectaculis, quae alias cordis intima percellunt, ego hausi? Nonne continuam mortis memoriam fovere oporteret? Numquid, uti nullus non dies poterit esse postremus, ita quilibet deberet esse praeparatio ad bene moriendum?

Libera me, Domine, a fatali hoc fascino, quod mentis oculos excaecat, ne illam veritatem seria consideratione dignissimam aspiciant. Per tuam fac misericordiam, ut mors, uti mandata tua, semper *sit in corde meo, et mediter eam sedens in domo mea et ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens.* (Deut. 6, 6. 7.) Fac, ut mors assidue me commone faciat de necessitate ita vivendi, ut merito a tua bonitate possim sperare gratiam bene moriendi.

PUNCTUM II.

Dixit Jesus ad regulum, antequam ad sanandum vel non sanandum filium suam condixerat operam: *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis.*

Haec Servatoris verba videntur duriuscula: at genuina sunt argumenta bonitatis ac misericordiae. Pater temporalem solum mortem a filio amoliri satagebat, neutiquam sollicitus de vita aeterna sibi ipsi comparanda per fidem in Christum. Credidit equidem filium ab eo sanari posse, *si descenderet* in domum suam! hinc iterato petiit: *Descende.* At fides haec ob adjectam hanc conditionem erat valde imperfecta. Hunc igitur errorem ac imperfectionem Christus voluit corrigere et

incredulum disponere, ut perfecte crederet, absolutam nullique affixam loco aut conditioni potestatem sanandi inesse Christo.

Etiam nobiscum durius subin agere videris, Servator amantissime, cum tamen summam erga nos misericordiam exerceas. Nostram exprobras nobis perfidiam, ut fideliores reddas: modicam fidem, ut facias perfectiorem: nostrum teporem et supinam in tuo servitio negligentiam, ut nos excites ad fervorem, quo insigne amoris tui donum mereamur. Laudetur aeternum tua, Domine, adeo salutaris providentia, qua nos gubernas. Ejus admiror vias, adoro dispositiones, amplector gubernationem et in ejus brachia more infantis, qui in matris sinum convolat, me totum sine ulla exceptione projicio.

PUNCTUM III.

Dicit patri *Jesus: Vade: filius tuus vivit.* Credensque regulus *sermoni ibat:* et postquam in via ex servis intellexit, filium convaluisse, *credidit ipse et domus ejus tota.*

En geminum, quod Jesus simul patravit, miraculum. Filium liberavit a febri, quae miserum ad extrema jam deduxerat; patrem vero ab incredulitate, fidem ejus adeo perfectam reddendo, ut totam domum suam ad firmiter credendum pertraxerit. At duplicem pariter doctrinam vide, directoribus animarum et patribusfamilias perutilem. Discant illi ex prudente ac suavi Servatoris modo agendi nullum rejicere eorum, qui minus perfecte dispositi ad eos confugiunt, sed ad melius disponendos incumbant, illos suavissime alloquendo et potentiora suggerendo motiva, quibus ad perfectam conversionem inducantur. Patresfamilias vero, in quorum exempla ac mores formari solet familia, discant se peculiariter obligari, ut bonis solum exemplis praeluceant, pro animabus severam Deo rationem, severiores poenas daturi, si vel unicam pravo seducant exemplo. *Animam pro anima.* (Deut. 19, 21.)

Atque istud ingentem omnibus praepositis horrorem merito incutit, o Deus. Eorum munus ac dignitas essentialiter secum fert obligationem vitae ac morum probitate

suis praelucendi subditis. Quot autem sunt, qui eam adimplent? O quam pauci! Quam strictam vero rationem ab illis exiges, Domine! Quantum contra honoris et gloriae tibi procurarent, si fideliter suo satisfacerent muneri, ac tanti momenti officio! Subditos omnes ad tuum pertraherent servitium. Nemo inferiorum amaret vitia, quae laudabilis superiorum damnaret vita. Quodsi ipsimet ex virtutis praescripto vitam agerent, summus virtuti honor et aestimatio accederet. Tuam, Domine, promoverent gloriam principes in suis ditionibus, superiores in communitatibus, magistratus in civitatibus, patres- et matresfamilias suis in domibus. Verbo: totus terrarum orbis sedulo tibi serviret, te coleret, te amaret.

Feria II.

De judicio particulari.

PUNCTUM I.

Huic judicio quatuor personae assistent. 1. *Anima*, quae judicanda est, et quidem regis perinde ac rustici, *sola*, omnibus spoliata creaturis praeterquam *operibus* suis, quae sola comitabuntur eam et juvabunt sola: et tamen haec sola modo negliguntur. 2. *Angelus custos*, gaudiis exultaturus, si anima sit *justa* et in statu gratiae: sin? tristitia et moerore plenus. 3. *Cacodaemon* ira et furore contabescens, si moriens decedit in gratia; ferox et insultans, si in peccato mortali. Cui ex his duobus obtemperasse tunc optares, anima mea? 4. *Deus judex*, qui, invisibilis licet, manifesta suae praesentiae dabit signa, sceleratis ingentem incutiendo horrorem, immensis contra solatiis recreando justos.

Cogitabo jam, me huic assistere judicio et ad pedes judicis prostratus varios eliciam affectus, nunc timoris ob ejus justitiam, nunc spei et fiduciae ob misericordiam: utque mihi reddam propitium, rogabo supplex, ut pro me et peccatis meis dignetur acceptare merita et satisfactiones Filii sui, exaudire preces b. Virginis, pro me intercedentis et utriusque intuitu benignam in me sententiam proferre.

O quantum prodest sub tanta protectione vixisse!

quam provide agit, qui bonis operibus illam mereri satagit!

PUNCTUM II.

Expendam *locum* et *tempus* judicii particularis.

Tempus erit illud momentum, quo anima solvitur a corpore, momentum infiniti sane momenti, perpetua *meditatione* dignum, quod (si quid fidei et rationis mihi superest) ut bene succedat, singula vitae totius momenta oportet impendere.

Locus autem hujus judicii erit ille, in quo me mors occupabit, probabiliter in meis aedibus, cubili, lectulo, quae omnia saepius quotidie intueor. Superi! quam efficax est eorum aspectus, ut fidei meae languorem tollat et teporem vitae mutet in fervorem pietatis.

Hoc in cubili (ita me ipsum frequenter alloqui oportet) isto in lectulo particulare judicium subibo. Sumne autem ad id paratus? Nihilne, si hodie foret obeundum, me angeret? Ah! ita singulis vivamus momentis, ut, quo judicabimur, momento divinus judex aeternae felicitatis portas nobis reseret.

PUNCTUM III.

Quinam et quot erunt accusatores mei? Hi tres. 1. *Diabolus, accusator fratrum nostrorum.* (Apoc. 12. 10.) Accusabit me de veris, quae admisi, peccatis: veris miscebit falsa: his speciem veritatis inducet, illis auxeses. Si vera evito peccata, non est, quod timeam, quae falso daemon finget, quia judex est sapientissimus, qui falli non potest. 2. *Conscientia mea*, testis contra me futura; sicut enim in s. tribunali poenitentiae quilibet sui ipsius est accusator simul et testis, ita et in particulari judicio erit, hoc tamen discrimine, quod nos sponte primum tribunal accedamus, ut a peccatis solvamur: alterum vero subire cogamur, ut condemnemur ob peccata, quae primo tribunali noluimus subjicere. Ah! quanto nobis erit solatio illa apud sacrum judicem cum vera contritione deposuisse! 3. *Angelus custos*, ad nostram alias tutelam destinatus. Si nunc amicis ejus consiliis ac inspirationibus surdas aures praebeamus, horrendum de peccatis, quae ex hac inobedientia profluxere, nos accusabit, futurus ex protectore inimicus.

Hoc noli, quaeso, permittere, o Deus, qui illum voluisti esse custodem meum usque ad tuum tribunal et, ne ab illo deserar in morte, gratiam mihi largire, ut ipsi perfecte obediam in vita.

Feria III.

Continuatio de judicio particulari.

PUNCTUM I.

Examen judicis erit horribile, quia instituendum de omnibus totius vitae actionibus, desideriis, cogitationibus etiam secretissimis, imo *de omni verbo otioso*, ut ipse judex praemonuit. (Matth. 12, 36.)

Infinita judicis lux, quam nihil potest effugere, examen reo facit clarissimum evidensque. Tunc manifeste omnia videbo et singula, quae commisi peccata: quae omisi opera bona, et quae amor proprius per malam intentionem corrupit.

Deum immortalem! quantus horror, quanta confusio me opprimet, quando ingens peccatorum agmen, quorum partem minimam in vita olim cognoveram, simul animo et oculis obversabitur: tot ingratitudines erga Deum, tot negligentiae in rebus et exercitiis spiritualibus, tot actus superbiae in ipsis operibus bonis, tantus torpor et frigus in usu sacramentorum, tantus gratiarum abusus, tot inspirationes Dei sine fructu! Heu me, Domine! Si, de quo fas non est dubitare, *tempore illo scruteris Jerusalem*, quae est typus justorum, *in lucernis* (Soph. 1, 12.), ut non solum scelera sua, sed minimas quoque labeculas manifeste agnoscant, Babyloni, quae mei et impiorum figura est, quid fiet? Ah! clementissime Deus, *non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* (Psal. 142, 2.)

Verum enimvero quantum animabus tepidis horroris, tantum solatii ferventibus istud examen afferet, cum viderint a judice tam liberali quam justo minima quaeque opera bona, cogitationes, desideria, lacrimulas, obolos et calicem aquae frigidae, amore Dei proximis datae, annotari, in lucem produci, large compensari. Ah! quis non libenter et hilari mente serviat tali Domino?

PUNCTUM II.

Quanta autem verecundia, pudor, desperatio peccatores tunc obruet, ex ore divini judicis audientes irrevocabilem aeternae damnationis suae sententiam et videntes se omnibus donis supernaturalibus exspoliari atque ita crudelissimis carnificibus tradi! Ut rudem hujus rei imaginem tibi formes, anima mea, sacerdotem aspice, ob crimen enorme ad rogos condemnatum. Ab episcopo singulatim omnibus indumentis sacerdotalibus spoliatur, sicque degradatus saeculari traditur potestati, meritas ignis poenas daturus.

En rudem at tristem hominis scelerati imaginem, qui se nomine et charactere *Christiani* reddidit indignum. De sublimi dignitatis, quam in s. baptismate acquisivit, gradu dejicitur et paganis in Orco immixtus e continuis horum irrisionibus majores semper poenas sentiet. O te mentis inopem dicent, si nos, ut tu, christiana lege fuissemus imbuti, te melius tanta usi fuissemus gratia: nec profanis moribus sanctitatem status unquam inhonorassemus, nec inter tot salutis media periissemus etc. Quid autem tam justae exprobrationi reponet Christianus et a fortiori religiosus, sua dumtaxat culpa tantas in miserias delapsus?

Tantum a me malum averte, o Deus misericordissime. Mille potius suppliciis et omni confusione imaginabili me plecte in vita. Tuam, dum vixero, laudabo justitiam, modo extremum ejus rigorem in me non exeras post mortem.

PUNCTUM III.

E contrario quantum exultabit anima justi, audiens suavissimam judicis sententiam: *Euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* (Matth. 25, 23.) Eodem momento daemon fugam capesset, angelus vero custos inter mille gratulationes animam suscipiet, ut, quemadmodum olim anima Lazari in sinum Abrahae deportetur.

Quantum, o Deus, discrimen tunc erit inter animam impii ac reprobati atque inter animam justi et electi! quanta illius confusio ac terror! quanta vero hujus

consolatio, gaudium ac gloria! quantum discrimen! tantum videlicet, quantum fuit inter utriusque vitam: *quae enim seminaverit homo, haec et metet.* (Gal. 6, 8.)

Heu, quantae miseriae sequuntur fallacia saeculi gaudia! contra quanta animi gaudia excipiunt lacrimas poenitentiae! Imprime mihi, Domine, has tanti momenti veritates et tam alte cordi meo imprime, ut nec possint unquam obliterari, nec unquam sterilescere.

Feria IV.

Quid corpori anima destituto eveniat.

PUNCTUM I.

Quale post animae discessum remanet corpus?

1. Destitutum omni membrorum motu, sensuum usu et omni delectatione, quam olim ex pulchris aut amoenis sensuum objectis poterat capere. 2. Pallidum, deforme, ac foetidum redditur, ad nihil jam utile, quam ad ciendum horrorem ac nauseam. 3. Grave, ac ob foetorem intolerabile domesticis, amicis, consanguineis, solum relinquetur in cubiculo, omnibus interea vehementer urgentibus, ut quamprimum terrae mandetur, ne homines aut aërem inficiat.

Studeamus modo, dum vivimus, cum merito praevenire, quae certissime et forsan brevi nobis violenter et sine fructu post mortem evenient: mortificemus, inquam, sensus nostros: moriamur voluptatibus carnis: consideremus nos, non quales nunc sumus, sed quales tunc erimus: praecogitemus nos jam mortuos et cadavera esse; et certo nos ipsos despiciemus, nec curabimus, si ab aliis despiciamur, si ab amicis deseramur etc.; dicemus cum propheta: *Qui videbant me, foras fugerunt a me: oblivioni datus sum tamquam mortuus a corde, factus sum tamquam vas perditum; quoniam audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu.* (Psal. 30, 12—14.) Atque istud vocatur *mors spiritualis*, *sibi* nempe *mori* et toti *mundo crucifigi*, a qua morte adeo abhorret caro et natura: ad illam nihilominus contendere et eluctari debemus, tamquam ad statum omnis veri

Christiani; neque enim Christo vivet, qui sibi non moritur.

Igitur dulcissime Jesu, qui in hunc mundum venisti, ut nos qua verbis, qua exemplis hanc moriendi legem doceres, hanc mortem redde mihi suavem et fac per gratiam tuam, ut continuo mihi et mundo mortuus vere cum Apostolo possim dicere: *Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus.* (Gal. 2, 20.)

PUNCTUM II.

Quales erunt *vestes*, *lectus* et *habitatio* defuncti corporis?

Vestes erunt vilissimus cento seu linteum: vel si quid pretiosi addatur, auferetur, antequam corpus tumulo inferatur. 2. *Lectus* erit dura humus *et subter corpus sternetur tinea et operimentum ejus erunt vermes.* (Isa. 14, 11.) 3. Sex septemve pedum fossa erit tota habitatio et cubile.

Quanta ergo vanitas et dementia est affectare splendorem vestium, lecti mollitiem, habitationis magnificentiam! Quanta majoris hominum partis imprudentia est molliter exornare ac fovere corpus, quod paulo post erit esca vermium!

At vero debet religiosus sibi vehementer gratulari, quod, postquam divitiis et voluptatibus mundi nuntium remisit, *vitam in Deo absconditam* vivat: aut verius immortales tibi grates debet, Domine, quod ipsum mature periculis, in quibus tot incauti pereunt, eripueris: amica vi a mundo, qui tot caecos seducit, avulseris eique tot opportuna suppeditaveris media continuo moriendi spiritualiter.

Singularem vocationis meae gratiam, o Jesu, confirma et fac, ut omnibus status mei obligationibus et votis quam perfectissime satisfaciam. Largire mihi spiritum et amorem *paupertatis*, quo animatus nulli rei cor affigam et viliora in omnibus eligam. Largire *castitatem*, quae ab omnibus naturae oblectamentis abhorreat. Largire *obedientiam* adeo perfectam, ut propriae voluntati moriar totus. Talem vitam tu, Domine, olim duxisti: talem et ego tuo ducere exemplo ardentissime desidero.

PUNCTUM III.

Quo deveniet corpus mortuum?

E lectulo mortuali ad quoddam cubiculum, e cubiculo ad Ecclesiam, ex Ecclesia deportabitur in tumulum, ut ibi computrescat et vermibus in praedam cedat. Ex ista consideratione o quam salubria possum documenta elicere! Quoties mane surgam, recordabor, me aliquando e lecto efferendum, sed nunquam eo rediturum. Domo egrediens, plateas obambulans, templum intrans, preces super tumulos fundens, eadem memorabo mihi aliquando obventura. Perinde mihi erit, sive odio, sive amore alii me prosequantur, honorent aut contemnant, exaltent aut deprimant; mundi enim honores et gloriam sub pulvere sepulchri contumulo.

Tota imposterum gloria mihi erit despici in oculis hominum, ut placeam oculis Dei. Eheu! vita mea dilabitur et rapidissimo cursu ad finem properat. Quid proderit tunc nomen meum immortalitate inter homines donasse, si libro vitae insertum non sit? Ne sapienter hoc Aristoteli epitaphium magnus Dei servus posuit: *Condoleo tibi, Aristoteles, qui laudaris, ubi non es et cruciaris, ubi es.*

Feria V.

De mortis memoria: Memento homo, quia pulvis es etc.

Vide medit. die cinerum Part. I. pag. 165.

Feria VI.

Quae mala nascantur ex oblivione mortis.

(Luc. 12, 19. sq.)

PUNCTUM I.

Triplex deceptio nascitur ex oblivione mortis, ut clare patet in parabola et exemplo divitis epulonis. 1. Longam sibi promisit vitam, dicens: *Anima mea, habes multa bona posita in annos plurimos.* 2. Diuturnam bonorum temporalium et quietam sibi usuram pollicitus est: *Requiesce, comede, bibe, epulare.* 3. Hac ratione curam animae et coelestium neglexit.

Eadem deceptione implicantur tot divites saeculi. Tanta apud illos mortis oblivio est, ut sibi persuadeant, se esse immortales et falsa hac persuasione freti, nescio quas sibi fingunt et moliuntur chimeras. *Anima*, dicunt, *habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, epulare* etc. Omnem corpori fovendo curam consecrant, nullam animae. Verum quem exitum solet habere tanta inordinatio? Nimirum carnales istae et curvae in terras animae subito rapiuntur a morte, ut temporalia simul ac aeterna amittant bona.

Tu vero, anima mea, consilium sapientis sequere et *ne glorieris in crastinum* (Prov. 27, 1.): forsan dies hodierna est vitae tuae ultima. Praefer laborem quieti, comessationibus jejunia, lacrimas deliciis; vitam animae cura prae corporis vita, quae citius opinione tua finiet.

PUNCTUM II.

Triplicem illam deceptionem nisi ante mortem deponamus, in mala gravissima incidimus.

Primo in *stultitiam;* ubi enim mors ac jam obversans oculis aeternitas fascinum removerit nostrasque deceptiones retexerit, tunc demum, at sero nimis, cum veritate ejulabimus: *Nos insensati!* Et sane fuit *insania* in labili vita spes suas ponere et ex falsa spe longioris vitae negligere artem bene et pie vivendi. Fierine possit, ut fugam adeo periculosae deceptionis differam in extremum mortis discrimen, dum audiam terribile illud *stulte*, eo quod nugas curaverim, summum vero salutis meae negotium neglexerim?

Secundum mortem obliviscentis damnum est, quod *noctu* abripiatur e vita: *Hac nocte*, h. e. in ipsis peccati tenebris, in ipso passionis cujusdam aestu, in medio pravae consuetudinis opere, ut ab internis et temporalibus animi tenebris *ad exteriores* aeternasque *tenebras* transferatur.

Ne simili malo involvar, Domine, frequenter animo recolam salutare monitum, quod a te accepi: *Ambulate, dum lucem habetis, ut non vos tenebrae comprehendant.* (Joan. 12, 35.)

Tertium damnum est, quod ii, qui mortem obliviscuntur, aegre, inviti ac velut coacti moriantur: *Animam*

tuam repetent per vim *a te.* Quam horrendum est ita mori! At quam beata, Domine, est mors eorum, qui in manibus suis semper animas suas gerunt, quia nunquam non parati eas tibi reddere.

Imo unice in manibus tuis est anima mea, Domine: a te eam accepi; eandem tibi plene resigno: et, dum illam in morte repetes a me, eam reddendo feliciter consummabo mei oblationem, in vita quotidie tibi a me factam.

PUNCTUM III.

Diligenter expendam ultima Dei verba ad hominem mortis et mortalitatis immemorem: *Quae autem parasti, cujus erunt?* Haeredum scilicet, qui te irredebunt. Tuis illa usibus parasti: at illis uti non poteris; dives enim, *cum interierit, non sumet omnia neque descendet cum eo gloria ejus.* (Psal. 48, 18.) Si totidem spiritualia virtutum et sanctorum operum bona congessisses, ea tecum auferres; *opera enim* justorum *sequuntur illos.* (Apoc. 14, 13.) Hae verae sunt opes ac thesauri, qui omni studio congregari merentur, nec ab ipsa morte, communi alias thesaurorum praedone, auferendi.

Quodsi autem saecularis interrogatur: *Quae parasti, cujus erunt?* Nonne aequitas postulat, ut ego quoque, praesertim si religiosus sim, ex mea quaeram anima, quales sint thesauri, quos colligit quotidie? suntne spirituales ac aeterni? Si ita est, quam dives ero in morte! Si vero mere naturales sint spuriique foetus amoris proprii, pabulum erunt ignis et suppliciorum, quae in orbe altero me manent.

Post examen hoc rite institutum ulterius progredi oportet ad hanc interrogationem: Cujus autem ipsa erit anima mea post mortem? Corpus meum debetur et tradetur terrae, ex qua prodiit: eritne anima mea coeli, ad quod possidendum creata est? eritne tua in aeternum, o Deus? Ah! quis alius, nisi tu, illam sibi jure vindicet? Infinitis tua est titulis, o sanctissima Trinitas. Tua est, Pater aeterne, titulo creationis: tua est, Fili unigenite, titulo redemptionis: tua est, Sancte Spiritus, titulo sanctificationis, vi cujus illam jam in baptismo possedisti. *Tuus sum ego,* Pater, Filii et Spiritus S. *salvum me*

fac (Psal. 118, 94.): nec permitte unquam, ut in potestatem daemonis veniam.

Sabbato.

Causae judicii universalis.

Vide medit. Feria II. post Dom. I. Advent. Part. II.

Dominica XXI. post Pentecosten.

De servo debitore 10.000 talentorum.

(Matth. 18, 23. sq.)

Vide medit. Feria II. post Dom. XI. post Pent. Part. II. pag. 92.

Feria II.

Resurrectio mortuorum, adventus judicis etc.

Vide medit. Feria III. post Dom. I. Adventus. Part. II.

Feria III.

Sententia judicis.

Vid. medit. Feria IV. post Dom. I. Advent. Part. II.

Feria IV.

De inferno. In illa verba: In locum tormentorum.

(Luc. 16, 22. sq.)

PUNCTUM I.

Infernus est locus seu carcer vastitate, tenebris, squalore horribilis, malis omnibus sine ulla boni admixtione cumulatus: uti coelum e contrario est locus lumine, deliciis et omnibus bonis sine ulla mali admixtione affluens.

Quantumcunque in hoc orbe furor Dei in hominem desaeviat, nunquam tamen toto pondere illi incumbit, nec omnibus simul malis et doloribus corpus, nec animam omnibus, quarum capax est, miseriis simul obruit. Solo in Orco divina Nemesis omnia simul mala, quae fingi possunt, in damnatum pleno alveo depluit.

Hominum totius orbis miserrimus nunquam non aliquid solatii bonive aut habet, aut undeunde accipit:

prorsus nullum damnatus. 1. Non a *loco*, ubi nihil videt, nisi squalorem carceris, horrorem tenebrarum, volumina ignium, carnifices atrocissimos, supplicia sine numero. 2. Non a *sociis*, qui sunt daemones ac damnati. 3. Non a *proprio corpore*, quippe flammis undique penetrato. 4. Non ab *anima sua*, quia objectis ac ideis, desperationem cientibus, plene immersa. 5. Non a *praeteritis*, uti serio, ita sero identidem recolens, quam facili negotio aeternas, quibus sese implicuit, poenas effugere potuisset. 6. Non a *praesenti*, quod omni ex parte horribilibus eum suppliciis excruciat. 7. Non a *futuro*, quod omnem ipsi redemptionis aut remedii spem adimit. 8. Non ab ulla *Creatura*, quia aut solari nequeunt damnatum, aut excarnificare jubentur. 9. Non denique ab *ipso creatore*, cujus vindex brachium insolito quodam modo super damnatum aggravatur.

Superi! qualis locus! Videlicet locus est omnium, qui in vita Deum non amarunt: qui, ut Deo obedirent, nullam sibi vim intulerunt: qui in peccato indurati obierunt. Ah! tuus quoque, anima mea, procul dubio locus jam esset, ni Deus per infinitam bonitatem suam de corruptela saeculi te expediisset, ubi cum innumeris tot infelicium torrens te una secum rapuisset in gehennam: totis ergo viribus contende asylo, in quod providentia Dei te transtulit, bene uti, sanctum peccati horrorem, salutarem judiciorum Dei timorem, nec non firmam in ejus misericordia fiduciam aut acquirere aut conservare.

PUNCTUM II.

Infernus est locus terribilis, ubi damnatus non modo *omnia simul* tormenta sustinet, quae homo sibi valet imaginari, sed etiam *continua* sustinet, nullo, ne minimo quidem intervallo temporis interrupta. Sunt in mundo, qui patiantur acutissimos calculi, arthritidis, podagrae et mille morborum dolores, non tamen sine omni remissione patiuntur. Tulerint sancti martyres diuturna et atrocissima prorsus tormenta: nonnullum tamen per intervalla respirandi spatium ipsis indulgebatur a tyrannis. Si mortalium sceleratissimus ad rotam condemnatur, nebulonis membra non simul aut continuo, sed paulatim

confringuntur. Verbo: nullum in orbe datur malum, quod non per intervalla nonnihil remittat. Sola inferni supplicia nullam habent, nullam damnato concedunt quietem.

Num autem rite intelligis, anima mea, quam funestus, quam terribilis sit damnati status? Dolor et malum quodcunque, etiam leve, etiam levissimum (esto acus punctura) at diu noctuque premens assiduissime, fit prorsus intolerabile: quam atrox igitur, quam immensum erit malum sine ulla intermissione in flammis ardere, a daemonibus, novo identidem furore armatis et in novas semper poenas ingeniosis tortoribus continuo excarnificari? Per duo et amplius milia annorum clamans clamat in Orco dives epulo, ut Lazarus saltem *extremo digiti in aquam intincti* ardentem siti *linguam suam* vel ad instans temporis *refrigeret, quia* immensum *cruciatur in hac flamma:* at nec guttulam hactenus obtinuit, nec in aeternum obtinebit.

O inexorabilem Dei omnipotentis justitiam! Quis non omnibus contremiscat artubus, si recordetur, quanto rigore in suos animadvertat inimicos? Nostine autem, anima mea, quid sit Dei inimicum esse, quidve mereatur homuncio, qui a Creatore suo innumeris cumulatus beneficiis eo ingratitudinis prolabitur, ut ejus mandata, imo et amicitiam spernere non reformidet? Ah! iste, qui rite ponderat capitque malitiam divina misericordia abutentis, facile capiet aequam severitatem justitiae punientis.

Ita est, Domine, et ita esse vel damnatus debet fateri: quod ad excessum usque sis bonus et misericors in tempore: at *justus* quoque et *rectum judicium tuum* in aeternitate. (Psal. 118, 137.)

PUNCTUM III.

Infernus est *locus tormentorum*, quae finem non habebunt. Sunt *universalia* quoad extensionem, *continua* quoad applicationem et, qui supremus est infelicitatis apex, *aeterna* quoad durationem. En veritates nostrae fidei, quas humana ratio capere non potest.

Si atrocissimae inferni poenae finem haberent: si post annum: sed quid annum dico? si post mille annos

spes redemptionis affulgeret damnato seque solari posset, tormenta sua *aeternum* haud duratura, infernus non amplius esset infernus. Imo eo dementiae procederent scelesti, ut riderent infernum et tranquille suis immorerentur sceleribus. At vero hanc aeternam veritatem nunquam non ante oculos habent. Hic ardebo aeternum et post mille milliones annorum hic ardebo adhuc, ceu nunquam arsissem prius! hoc enimvero damnatis infernus est inferni, quod singulis momentis eorum cervicibus tota mole impendeat infelix aeternitas.

Porro in id, ut damnatorum infelicitas sit *aeterna*, conspirant omnia. 1. *Locus*, qui est centrum terrae: *terra autem in aeternum stat.* 2 *Ignis* nunquam extinguibilis; nam *flatus Domini sicut torrens sulphuris succendet eum.* (Is. 30, 33.) 3. *Carnifices*, qui ignem semper fovent, sunt daemones utique aeterni ac immortales. 4. *Vermis eorum* rodens conscientias *non moritur* atque adeo torquebit aeternum. 5. Ipsa quoque *culpa* erit aeterna; nullus enim poenitentiae locus esse potest: ergo nec remissioni, nec satisfactioni: nec ipse sanguis Christi illuc penetrat; hinc illud: *In inferno nulla est redemptio* aut spes redemptionis.

Heu me! quam *horrendum est incidere in manus Dei viventis!* (Hebr. 10, 31.) Quam palmaris stultitia iram Dei provocare, nec tremenda ejus formidare judicia!

Itane vero, anima mea, pro voluptate momentanea te ipsam perdere aeternum? nullam tibi, naturae, voluntati tuae vim inferre? nullam tui curam gerere? formidare levem et brevem poenitentiae rigorem et non metuere aeterna et atrocissima vindicis Dei supplicia? Quanta haec foret insania? quanta caecitas?

Utramque a nobis aufer, misericors Deus, et assidue oculos nostros luce et flammis inferni collustra, ut earum aspectus salutari timore nos compleat et intra justitiae orbitam contineat. O Pater misericordiarum, tuam erga nos clementiam exerce, et, si ad salutem nostram utile aut necessarium est, noli parcere in vita, sed mille nos poenis castiga. Et tu, Redemptor dulcissime, hic nos humilia, *hic nos ure*, *hic seca*, *modo ibi parcas in aeternum*. (S. Aug.)

Feria V.

De peculiaribus damnatorum suppliciis.

PUNCTUM I.

Uti corpus et anima sociam jungunt operam in peccatis, ita jungent quoque in tolerandis suppliciis, quae tam externis, quam internis sensibus inferentur, prout auctores aut complices fuerint peccati. *Oculi* ob illicitos aspectus non nisi horribilia videbunt spectra daemonum, damnatorum etc. *Aures* in poenam voluptatis, quam ex obscoenis cantibus aut verbis hauserunt, non nisi blasphemias, mutuas sociorum imprecationes et ejulatus percipient. *Odoratus*, *gustus et tactus* sua quisque peccata luent; nam *per quae peccat quis*, *per haec et torquetur*. (Sap. 11, 17.)

O vanae et breves sensuum voluptates! quam care damnato, vestris seducto illecebris, constatis! Ah! quanto consultius et homine, praesertim Christiano, dignius est juxta totum Evangelii rigorem periculosas fugere voluptates, licitis moderate uti aut subin abstinere, ut discamus vetitas respuere: nec non sensus mortificare, ne periculum subeamus atrocissima Orci tormenta incurrendi.

Quis jam enarrare possit horrendas, quibus *phantasia* damnati torquebitur, imagines? iram ac rabiem, quae cor dilacerabunt? pavores et taedia, sanguinem exsugentia? extremas perturbationes, in quas effrenis passionum impetus et pugna infelicem conjiciet? rabiem ac desperationem omnium sensitivarum facultatum? Hunc finem consequitur earundem abusus. O quantum praestat illas brevi tempore tibi, Domine, et tuis impendere obsequiis, dulci ac suavi legum tuarum jugo subjicere, quam frena illis laxare cum evidenti periculo aeternum infelicem incurrendi servitutem!

PUNCTUM II.

Praecipuum, quo divina Nemesis ad excruciandos damnati sensus utitur, instrumentum est *ignis*, cujus tres proprietates attente sunt considerandae. 1. Adeo tenaciter adhaeret damnato homini et diabolo, ut, quocunque demum eant, eos sequatur et torqueat, quia

totam utriusque substantiam intime penetrat. 2. Unus licet idemque sit, inaequaliter tamen cruciat singulos pro ratione meritorum, imo et eundem damnatum crudelius torquet in ea parte, qua amplius peccavit, quam in alia minus sonte. 3. Ardet, sed non lucet: urit, sed non comburit, nunquam consumit corpus, ut miserum et atrocius et aeternum torqueat.

Quam horrenda sunt haec divinae Nemesis prodigia! ultrici igne utitur, cui perspectissima est tota peccatoris et peccati malitia ac meritum: quodque ante omnia stupendum, igne utitur, qui semper urit et, quod urit, semper conservat, ut nunquam non illud urat. Quam horrendum est vivum uri igne, *quem flatus Domini sicut torrens sulphuris succendit* (Isa. 30, 33.): et ita uri continuo sine ulla interruptione: et quodammodo exuri, ac mori, at eodem renasci momento atque in ista poenarum vicissitudine per totam aeternitatem semper uri, nunquam vero exuri, *semper mori ad vitam et semper vivere ad mortem!* (S. Bern.) Quam horrendum hoc est!

Quam atrox pariter malum est peccatum, siquidem Deus infinite misericors hominem, ad sui imaginem conditum, pretioso Filii sui redemptum sanguine, adeo atrocibus tormentis excarnificari sine ullo commiserationis sensu intuetur! Vah! maledictum sane peccatum! quam amari sunt fructus tui! quam funesti effectus!

O peccator! si ad peccandum sollicitaris, te ipsum ingredere et cogita, cui te discrimini objicias. Digitum igni admove. Experire, an modicum hunc et levissimum ignem, qui cum infernali comparatus pictura est, umbra est, ros est, tolerare valeas: at vide simul, an et qui sustinere possis ignem inferni, a flatu Dei irati succensum: tum ausculta, quid iste Dominus dicat per prophetam: *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* (Isa. 33, 14.)

En amplissimam meditandi materiam et campum, anima mea! en validissimum libidinis et cupiditatum tuarum frenum! en efficax contra omnia peccata antidotum! en mirabile innocentiam nostram conservandi medium! Vel

obiter hunc ignem aspicere pro! quantam vim habet amoris divini flammas excitandi in corde nostro! Ah! Domine! isto, quem mittere venisti in terram inflammer igne! isto tui ardent amici: isto et ego (ita firmiter per tuam spero misericordiam) ardebo in hac vita, ne cum tuis inimicis igne furoris tui et justitiae debeam ardere in altera.

PUNCTUM III.

Longe atrocissima omnium inferni poenarum est *poena damni*, seu aeterna Dei et visionis beatificae privatio. Atrocitas hujus poenae satis modo aestimari nequit, quia non satis capimus, quid sit Deus infinite bonus, infinite perfectus, infinite amabilis. Hoc autem totum in orbe altero clarissime cognoscet anima corpore soluta, quod in vita, ne Deum clare agnosceret, ejus oculis densissimum obduxit velum: quo tunc ablato, anima etiam damnati infinitas Dei perfectiones intuebitur et naturali pondere ad illum possidendum vehementissime rapietur, at mox repellenda illo immutabilis sententiae fulmine: *Discede a me:* discede aeternum.

Quid autem? Egone discedam a te, o Deus? et discedam, nunquam amplius te visurus in aeternum? Creasti me, ut fruar te, ac aeternum possideam te. Siccine una manu me trahis ad te, repellis altera? Ad coelum et ad te fecisti me: et ego sim in inferno? aeternum separatus a te, exul a mea coelesti patria, privatus visione Christi, societate beatissimae Virginis, consortio omnium angelorum et coelitum, aeternum infensus tibi infestusque? *O infernum ipsius inferni, imo omnium infernorum!* (S. Cathar. Sen.)

Ah! malum hoc, o mi Deus, malorum pessimum averte a me. Memento, quod sim opus manuum tuarum et imago tua. Recordare, quod intellectum mihi largitus sis, qui te possit cognoscere: voluntatem, quae te solum debeat amare. Noli igitur permittere, ut tot tantaque beneficia, tot tantique tituli, quibus obligor tuus esse teque in aeternum glorificare, frustra sint. Heu! Domine, amabilis simul ac terribilis, *in inferno quis confitebitur tibi* (Psal. 6, 6.) et laudes dicet? Ego quidem te volo

laudare, benedicere, amare omnibus vitae meae diebus, ut sancta haec opera cum omnibus sanctis tuis continuare possim in saecula saeculorum. Amen.

Feria VI.

De superbia et humilitate.

Vide medit. Dom. XVI. post. Pent. Part. II. pag. 163.

Sabbato.

De gula et temperantia.

PUNCTUM I.

Gula est inordinatus comedendi et bibendi appetitus, in quo modis quinque peccatur. 1. Si comedimus cibos ab Ecclesia, aut a religiosa disciplina, aut a voti cujusdam religione vetitos. 2. Si non vetitos comedimus immoderate. 3. Si solius gulae et sensualitatis ergo cibo et potu nimis exquisito et supra statum pretioso utimur. 4. Si tempore et loco non convenienti edimus et bibimus contra prohibitionem v. g. regulae, superiorum etc. 5. Si justo avidius et indecenter nos cibo et potui immergimus.

Singula modo discutiamus puncta, visuri, qui nos in iis gesserimus: et deprehendemus, quod raro sine omni peccato comedamus bibamusque.

Vah deplorandam ingratitudinem nostram, Domine, eo quod vix unquam tuis utamur beneficiis sine abusu et tui offensa! Tu necessaria nobis liberaliter suppeditas: et nos voluptati servimus magis quam necessitati, ultro nos implicantes laqueis, quos caro et sensualitas tendit: atque ita, dum corpori debitum solvimus, nova inordinatione novum semper culpae reatum apud te contrahimus. Miserere infirmitatis meae, quam probe nosti, Domine: tot peccata, quae per gulam commisi, benigne condona et, ne porro committam, tua me gratia corrobora. Firmissime statuo operam dare posthac juxta S. Spiritus consilium, *ne sim nimius* in cibo et potu, aut sensuali appetitu. Ne permittas, quaeso, ut vel invitum me abripiat: neque enim potero illi simul et tibi satisfacere.

PUNCTUM II.

Poenae gulosi aliae sunt *ordinariae*, ceu mali fructus malae arboris; gula enim sui ipsius est carnifex et supplicium, quia laedit sanitatem, attenuat vires, innumeros progignit morbos, mortem accelerat, animam aggravat, ineptam reddit orationi aliisque spiritualibus exercitiis, coelestibus indignam consolationibus.

Aliae gulosi poenae sunt *extraordinariae*, quas Deus gulosis nunquam non inflixit, ut ostenderet, quantum detestetur hoc vitium. Adamum et Evam, eo quod de fructu vetito comederint, ejecit de paradiso voluptatis. Quia Israelitae contempto coelesti manna inordinate carnes appetierunt, *cum adhuc escae in ore ipsorum essent*, *ira Dei ascendit super eos et occidit pingues eorum*. (Psal. 77, 30. 31.) Ad perpetuam rei et supplicii memoriam *vocatus est locus ille sepulchra concupiscentiae*. (Num. 11, 34.) Quin sanctus quidam propheta, eo quod in loco, ubi Deus prohibuerat, panem comederit, et aquam biberit, a leone occisus fuit. (III. Reg. 13, 24.) Dives epulo in altera quoque vita suam luit gulam: in inferno sepultus, jam a bis mille et amplius annis unicam, qua ardentem linguam refrigeret, aquae guttam expetit: neque tamen obtinet, nec in aeternum obtinebit.

Eadem sors et poena omnes damnati epulonis imitatores manet juxta sententiam in Babylonem et omnes gulosos dudum prolatam: *Quantum in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum.* (Apoc. 18, 7.) Quanta eheu! stultitia est tanti emere voluptatem adeo abjectam, homine indignam! et tamen ejusmodi stultorum infinitus est numerus. Quot dantur hodiedum, qui cum stolido Esau pro vili esca vendunt primogenita regni coelestis! Tu vero erubesce, anima mea, quod vitio tam abjecto et hominibus pudendo toties succubueris mancipium facta appetitus, cujus domina esse debebas. Erubesce, quod, ut naturae cupiditatibus obtemperares, dona et bona gratiae amiseris et, dum vitam oportebat vivere angelicam, infra bestias, quae necessariis contentae sunt, te abjeceris.

PUNCTUM III.

Porro opposita gulae *temperantia* non minus copiosos e diametro fructus producit. Conservat perfectam sanitatem, producit vitam, allevat corpus, mentem elevat aptamque reddit ad orationem, ad spiritus exercitia, ad supernas consolationes, ad intimam cum Deo familiaritatem.

Neque indonatam hac in vita Deus relinquit temperantiam, sed singularibus remuneratur gratiis, qui per jejunium et abstinentiam suos frangunt appetitus. Testes luculenti sunt Daniel, Moyses, Elias. Horum imitatoribus easdem aut pares Deus gratias impertitur. Illis sese manifestat, amicitiam et familiaritatem suam indulget, arcanissima revelat mysteria, donum altissimae contemplationis largitur et plenam denique saturitatem in coelo, ubi suae adhibitos mensae iisdem reficit cupediis, quibus angeli vescuntur, imo ipse Deus.

Num autem omnes mundi cupediae, anima mea, cum his coeli deliciis in comparationem venire poterunt? Has mereri potes, si illas respuis. Ad sublimem in terra sanctitatem, ad ineffabiles in coelo delicias aspiras? temperantiam et jejunium cole, per quod Deus *vitia comprimit*, *mentem elevat*, *virtutes largitur et praemia.*

Amantissime Jesu, siquidem omnes, qui tua sequuntur castra, *carnem suam crucifigere* debent *cum vitiis et concupiscentiis* suis (Gal. 5, 24.), tantum animi et roboris mihi largire, quantum ad implendam hanc obligationem requiritur. Per rigidum illud jejunium, quod ipsemet observasti et praecipue per fel et acetum, quae tibi in cruce fuerunt propinata, te supplex rogo obtestorque: da, ut cibos fastidiam terrenos, amem abstinentiam, naturalem penitus vincam appetitum et hac ratione admoveri merear convivio, quod tuis paras amicis in regno coelorum.

Dominica XXII. post Pentecosten.

De numismate census.

(Matth. 22, 15. sq.)

PUNCTUM I.

Eo solum fine terribiles Christi veritates et doctrinas audiebant pharisaei, ut in ejus necem conspirarent *eumque*

caperent in sermone. Non ausi ipsimet accedere, *suos ei mittunt discipulos*, malignis instructos mandatis. Primo igitur Jesum pleno ore laudant, rati, nodosis laudum pedicis capi posse. Subin copiosam hanc ei proponunt interrogationem: *Quid tibi videtur? licet censum dare Caesari, an non?*

En malignam improborum, maxime qui Ecclesiae catholicae sunt inimici, hominum indolem ac ingenium, ut animas seducant. Hic vivis coloribus sunt expressi: 1. Suas dissimulant intentiones et consilia: omnes interim machinas occulte adhibent, ut prosperum maligna consilia sortiantur exitum. 2. Non per se ipsos agunt, sed per fideles sibi emissarios, quorum opera utuntur, ut decipiant bonos. Hunc ipsum in finem 3. nullas non adhibent blanditias, laudes, obsequia, adulationes, ut in animos se insinuent et errores inserant, quos dulci veneno condiunt, ut imbibantur facilius.

Superi! quot milia animarum per exitiosos hujusmodi magistros seducta jam perierunt et hodie adhuc pereunt! Ah! inspira, Domine, gregi tuo summum talium luporum horrorem et lumen coeleste, quo genuinos Ecclesiae tuae ministros discernant ab hypocritis, novatoribus et pseudo-ministris. Licetne ultra loqui, Domine, et rogare, ut hos pseudo-pastores, qui oves tuas seducunt et perdunt, digneris convertere? Et cur formidem id a te supplex petere, cum per excellentiam sis *pastor animarum.* Illorum conversio immensum prodesset gregi tuo, quia in illum non grassarentur amplius. Conversio ista (fateor) res est magni moliminis; sunt enim superbi, sunt obstinati, sunt arrogantes: quae vitia totidem sunt gratiae tuae obstacula: at erunt quoque totidem illustrioris victoriae, si de iis triumphet, trophaea, et ex ministris errorum zelosos efficiet praedicatores veritatis, qui ex vero animarum zelo plures ad te convertent, quam ex malitia perverterint.

PUNCTUM II.

Pharisaei intendebant Christum vel in crimen laesae majestatis praecipitare, vel in commune gentis Judaicae odium adducere. *In crimen laesae majestatis*, inquam, si inficiaretur obligationem dandi tributum Caesari: hinc ad Christum

miserunt discipulos suos una *cum Herodianis*, qui essent testes ac delatores criminis. *In odium* vero *Judaeorum*, si illam obligationem assereret, utpote libertati Judaicae injuriosam. At *cognita nequitia eorum Jesus ait: Quid me tentatis, hypocritae?*

Amantissime Servator, plane caecos fuisse oportet pharisaeos, quod tot jam argumentis et experimentis de infinita tua convicti sapientia, speraverint adhuc, fore, ut suis, quos recens tendebant, laqueis te capiant. Toties jam eorum fraudes detexeras, cordis arcana in lucem protraxeras, conatus et strategemata everteras: et tamen (o palmarem dementiam) Vatiniano erga te odio excaecati in sua obstinatione magis confirmabantur. Id permisisti, Domine, ut disceremus, partim quam maligni sint, qui pharisaeos imitantur, partim quibus armis sint repellendi, tuis nempe verbis: *Quid me tentatis, hypocritae?*

Verum post acrem hujuscemodi reprehensionem, quam suo Christus exemplo probat, istos homines dimitte, declina, fuge, anima mea. Cave, ne longiores cum ipsis sermones misceas, ni velis in manifestum seductionis periculum devolvi. Mel gerunt in ore, in corde virus, quod audientium animis instillant.

PUNCTUM III.

Subjecit Christus: *Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis Jesus: Cujus est imago haec et superscriptio? Dicunt ei: Caesaris. Tunc ait illis: Reddite ergo, quae sunt Caesaris, Caesari; et quae sunt Dei, Deo. Et audientes mirati sunt et relicto eo abierunt.*

Admirati sunt, at conversi non sunt. (S. Aug.) Admirationem extorsit stupenda Christi sapientia: conversionem impediit indurata ipsorum malitia, tanto majoribus digna suppliciis, quo longioribus producta spatiis. Quod nos attinet, divinam Servatoris admiremur sapientiam; utque ex ejus sapientissima responsione fructum capiamus, ea utamur velut regula et amussi. Sunt, quae hominibus, sunt, quae Deo praestare debemus, officia: non repugnat utraque simul exhibere: imo fidelius suis

obediet superioribus, qui perfectius divinis obtemperabit legibus.

Utique prae omnibus tibi obtemperare debeo, Domine; tuus enim mille sum nominibus: tu meus es Creator, tu principium et finis meus: anima mea ad imaginem tuam, ad similitudinem divinitatis tuae facta est; tua est.

Ita sane res se habet, anima mea. Ingens tua est gloria, quod Dei sis. At summa quoque et essentialis tua obligatio est Deo obtemperare, Deo servire, Deum amare. *Mandata ejus observa; hoc est enim omnis homo:* seu, ut explicat Hieronymus, *ad hoc natus est omnis homo.* Ne igitur vel tuae dignitatis, vel obligationis tuae obliviscaris, eandem tibimet quaestionem frequenter propone: *Cujus est imago haec?* Responsum, quod tibi ipsi dabis, certo certius debitae Deo gratitudinis ac obedientiae te commonefaciet: tuque ad mentem Servatoris, qui hominibus, quae debes, obsequia te jubet praestare, reddes Caesari, quae sunt Caesaris et, quae sunt Dei, Deo.

Feria II.

De malo luxuriae et bono castitatis.

PUNCTUM I.

Luxuria est turpis *et inordinatus voluptatis venereae appetitus*, scilicet contra ordinem a Deo praescriptum.

In hoc vitio peccatur cogitatione, desiderio, verbo et opere per diversas species. Heu! quot quantaque scelera ex foecundo hoc fonte nascuntur! quot monstra criminum, quae nominare non licet, inde pullulant!

Fierine possit, ut anima ad imaginem Dei, qui per essentiam ipsa est puritas, a Conditore creata, ad angelos, qui sunt puri spiritus, proxime accedens, purissimo baptismi fonte abluta, ab omni carne ex natura sua adeo abhorrens, per adoptionem purissima Spiritus Sancti sponsa, eo usque originis suae nobilitatem et spiritualis regenerationis sanctitatem obliviscatur, ut iis sese immergat sordibus, quarum vel meminisse nequit sine probro et pudore: nec abhorreat profanare corpus, quod est templum Spiritus Sancti?

Eheu! quanta confusio et probrum est, vel potuisse tantis inquinari sordibus! Ad delendam hanc ignominiam egone sat lacrimarum possim profundere? Non, Jesu dulcissime, non possem, licet mare lacrimarum funderem, nisi pretiosissimus sanguis tuus me ablueret. Hic vestimento innocentiae, quod in s. baptismate accepi, primum dedit candorem et amissum, ut spero, reddet per poenitentiam.

Amantissime Deus, quam felix est, qui candorem illum conservavit integrum! quantas pro favore tam eximio tibi grates debet! imo non grates solum, sed praecipue studium singulare manibus pedibusque adeo funestum, a quo tua illum misericordia immunem servavit, declinandi vitium.

PUNCTUM II.

Luxuria sui ipsius est supplicium et carnifex per ingens malorum, quae post se trahit, agmen. Ordinaria sunt morbi, jactura sanitatis, opum, famae et honoris. Extraordinarias et terribiles poenas non raro Deus adjicit, ut demonstret, quanto horrore ac odio infame hoc vitium detestetur. Universali diluvio totum fere genus humanum delevit, quia hoc vitio corruptum. Sodomam et vicinas urbes igne devastavit, quippe eadem lue infectas. Horrenda plane supplicia! at tolerabilia profecto, si cum illis comparentur, quae Deus in Orco luxuriosis infligit; ibi enim toti stagno igneo immersi horrendas, et prae omnibus damnatis intolerabiles poenas sustinebunt.

O quam facile infernali hoc igne, si solum cum nostro usuali conferatur, extinguitur ignis concupiscentiae! Profecto qui tam breves et obscoenas carnis voluptates sectatur, non amat, sed odit, et horribilibus tormentis objicit carnem suam. Satius igitur est juxta effatum Christi animam in hoc mundo perdere mortificando, quam illam inferno reservare blandiendo.

Ah! inspira mihi, Domine, hoc salutare mei ipsius odium, quod toties in Evangelio mihi inculcasti: animos et robur adde constanter exercendi christianam hanc et conservandae castitati adeo necessariam severitatem. Si autem ego nimium indulgeam et parcam meo corpori,

tu morbis illud ac doloribus obrue, ac ita frange, ut saluti meae non possit amplius obesse.

PUNCTUM III.

Admirabiles sunt praerogativae et bona, quibus castae fruuntur animae. 1. Singulari angelorum consuetudine et praesidio condecorantur. 2. Ipse rex angelorum, qui *pascitur inter lilia*, arctam cum illis amicitiam et familiaritatem contrahit, imo in fide eas sibi despondet, eximiisque complet favoribus, qui centuplo omnes conjugii voluptates excedunt, atque adeo compensant multo cum foenore delicias carnis, quibus amore castitatis renuntiarunt. 3. Praeterea insignes et heroici virtutum actus, quos casti exercent, eximia pietas, quam profitentur, bona opera et merita, quae sine numero colligunt, sunt meri partus felicis cum Deo connubii, omnium gratiarum et benedictionum feracissimi. 4. Has tamen omnes praerogativas facile superat illud castis mentibus peculiare privilegium *sequendi Agnum, quocunque ierit* et post eum cum prudentibus virginibus intrandi ad coelestes nuptias; id quod puritas vitae ipsis promeruit.

Tanta castitatis privilegia omnem profecto tuam merentur diligentiam, anima mea, studiumque per intemeratam corporis ac mentis integritatem illa promerendi. At cogita simul, hanc integritatem esse *lilium*, quod non nisi *inter spinas* conservari potest. Circumspectio, temperantia, modestia, sensuum mortificatio, praesertim assidua visus et tactus custodia sunt hujus lilii custodes, qui ejus nitorem, nives, candorem conservant, et cum a venenato stygii serpentis halitu, tum a carnis corruptione praeservant.

Imo istud efficere, tuum est, castarum sponse animarum: frustra lilii hujus conservationi invigilaremus, nisi tua illud providentia vel defendat a periculis, vel in illis protegat. Tuam quoque, Virgo virginum, opem supplex imploro, et per tuam intercessionem confido, me obtenturum gratiam posthac adeo caste vivendi, ut post mortem laureolam merear, qua Filius tuus castas virgines sponsasque suas coronat.

Feria III.

De avaritia et virtute opposita.

PUNCTUM I.

Avaritia est inordinatus bonorum temporalium appetitus, in quo peccatur 1. si contra justitiam aliena nobis usurpamus, concupiscimus, retinemus. 2. Si propriis male utimur, non elargiendo egenis, quando ex justitia aut caritate ad id obligamur. 3. Si viis illicitis aut injustis opes vel corradimus, vel conservamus. 4. Si voto paupertatis adstricti rebus utamur tamquam propriis, vel absque licentia superioris. 5. Si opera nostra principali temporalis lucri intentione peragimus, adeoque auro et argento ceu idolis thura adolemus, ut ait Apostolus: *Avaritia est simulacrorum servitus* et adoratio. (Coloss. 3, 5.)

Stricte jam cor nostrum discutiamus, an non maledictum hoc idolum in eo stabuletur. Si in mundo vivimus, dispiciamus, an non inordinate bonis terrae simus agglutinati? an non viscera misericordiae clauserimus egenis? an non sanguine pupillorum ac viduarum nostrae madeant cistae? si quid ejusmodi deprehendamus, timendum merito, ne bonorum loco haeredibus nostris maledictiones relinquamus.

Quod si religiosus sim, videndum sedulo, an non lateat in me *cupiditas, omnium malorum radix* (I. Tim. 6, 10.), quam funditus oportet evellere. Me ipsum igitur examinabo, utrum non crepundiis et nugis cor affigam, quod nuntium toti remisit mundo? utrum non superflua ambiam, aut contentus emisisse votum paupertatis, effectus ejusdem refugiam experiri?

Horum defectuum, si quid in in me deprehendero, sincere in conspectu Dei eos detestabor, statuamque firmiter votum paupertatis, cujus ille exemplar esse voluit numeris omnibus absolutum, sanctissime imposterum servare.

PUNCTUM II.

Suas hoc vitium, ut praecedentia, secum poenas circumfert. Perennes curae, sollicitudines, immodica opum desideria, irrequieti angores, ceu totidem spinae,

cor avari dilacerant, ut ipsas inter opes sit pauper et velut Tantalus mediis in undis sitiat. Quis talem opum suarum dicat dominum et non potius mancipium?

Alia insuper et horrenda Deus ultor supplicia avaris non raro inflixit. 1. *Achan*, eo quod contra praeceptum Josue quaedam spolia ex Jericho acceperit, jussu Dei lapidatus est. 2. *Nabal*, quia Davidi tunc egenti omne vitae subsidium denegavit, mortuus est, *corde lapidis instar indurato*. 3. *Jezabel* ob vineam Naboto vi ereptam per fenestram projecta, Deo ita disponente, canibus in praedam cessit. 4. *Ananias et Saphira* contra emissum paupertatis votum partem pretii, pro quo agrum vendiderant, clam Apostolis retinuerunt: et repente mortui conciderunt. 5. *Judas*, perfidus ille magistri sui proditor, infame caput et exemplar avarorum, triste daemonum ac desperationis trophaeum evasit, dum ex avaritia oblatas Christo eleemosynas furatus, crimine omnium atrocissimo suum denique magistrum crudelibus hostibus vendidit.

Heu! quid non mortalia pectora cogis, avaritia? Post adeo funesta castigatae in terris avaritiae exempla, quas non poenas avaris Deus infliget in orbe altero? Facile maxima erit omnium privatio bonorum, quibus abundabant in vita; Deus enim in Orco avaros prae omnibus aliis et memoria prioris abundantiae et miseria praesentis indigentiae horrendum torquebit.

O quanto beatius est in hac vita aliquibus carere rebus, quam in altera omnibus! Igitur, amantissime Deus, omnia mihi potius eripe, quam ut vel minimam ad bona temporalia inordinatam propensionem in me toleres: omnem eorum amorem, desiderium et cupiditatem de corde meo evelle, ut imposterum bona solum coelestia suspiret.

PUNCTUM III.

Contra amor paupertatis avaritiae oppositus ingentia sine numero bona secum adducit, illis Christi verbis comprehensa: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum* (Matth. 5, 3.); quod promissum non modo de regno coelorum in altera vita, verum etiam intelligendum est de *regno Dei* in hac vita, quod

est *justitia*, *pax*, *et gaudium in Spiritu Sancto* (Rom. 14, 17.): quo fruuntur *pauperes spiritu*, h. e.: 1. Qui retentis opibus suis cor et inordinatam affectionem non affigunt: et hic est primus, at imperfectus paupertatis evangelicae gradus: vel 2. qui una cum affectione res ipsas abjiciunt omnique jure aliquid possidendi ultro sese abdicant: et hic est secundus et priore longe perfectior paupertatis evangelicae gradus, ad quem singulariter facta Christi promissio pertinet. Haec est voluntaria et beata religiosorum paupertas, quam copiosis gratiae et gloriae bonis Deus remuneratur, eo quod ipsius amore omnia reliquerint.

O quam liberalem habemus Deum, anima mea! quam magnifice refundit, quae propter ipsum deserimus! Ita profecto ipsemet declarat his verbis: *Date et dabitur vobis: mensuram bonam et confertam et coagitatam et superefluentem dabunt in sinum vestrum.* (Luc. 6, 38.) Sane magno servimus Domino, qui liberalitate creaturarum se nunquam vinci permittit. Si vel tantillum ei dederint seu relinquendo possessa, seu in pauperes illa erogando, centuplum illis reddit in hac vita, et in altera aeternum promittit cum praerogativa in die judicii cum Apostolis super thronos sedendi, ut hoc universum judicent, ac tandem immortales in coelo gloriae thesauros recipiant.

O felix paupertas, in quam Deus tantas profundit divitias! Quantum vero tibi obstrictus sum, o Jesu, quod eam amplexandi mihi largitus sis gratiam! Da pariter, ut ejus obligationes perfecte adimpleam, rigorem lubens sustineam tuoque exemplo terrena omnia despiciam, ut aeterna obtineam.

Feria IV.

De ira et mansuetudine.

PUNCTUM I.

Ira est inordinatus vindictae appetitus, seu desiderium illatas ulciscendi injurias. In eo tripliciter peccari potest. 1. *Cogitatione*, si offendentem odio habemus: si ulcisci cupimus, aut desideramus: si de malo proximi

gaudemus, vel tristamur de ejus bono, fortuna, talentis etc. 2. *Verbo*, si ex spiritu vindictae prorumpimus in minas, imprecationes, injurias, convitia, clamores aliasque verborum rixas. 3. *Opere*, si propria auctoritate proximo damnum inferimus ex vindicta, vel hanc a magistratu flagitamus non tam justitiae amore, quam ex odio personae aut spiritu vindictae.

Deum immortalem! directe caritati oppositum hoc vitium quam commune est generi humano! quam ferax milium et grandium peccatorum! Conjicere id licet ex effectibus *impatientiae*, quae, etsi proprie *ira* seu inordinatus vindictae appetitus non sit, magnam tamen cum ira affinitatem habet. Heu! quot et quanta inde nascuntur peccata, murmurationes contra Deum, querelae contra ejus providentiam, blasphemiae contra sanctissimum ejus nomen! Quam morosum, gravem, durum et intolerabilem proximo se *impatiens* homo exhibet! Quantum saevit in semetipsum jam fastidiendo vitam, jam mortem optando, imo ex desperatione sibi eandem consciscendo! In ipsas adeo bestias et res etiam inanimatas furit *impatiens*, ut Jonas iratus in hederam.

Utique in tam enormes excessus non semper prorumpat impatientia: praecipites tamen nos agit in defectus infinitos, qui, o Deus, tibi valde displicent, nos ipsos vehementer perturbant, proximo intolerabiles reddunt, pacem animae tollunt, contemplationem divinarum perfectionum sufflaminant et coelestes nobis consolationes auferunt. Ah! Domine, tuam mihi pacem largire et tumultuosa haec vitia e corde meo expelle.

PUNCTUM II.

Iratum considera: et videbis, quod ipse suus sibi tortor et daemon sit, domus vero iratis plena infernus et cor irati velut *mare fervens, quod quiescere non potest.* (Isa. 57, 20.) Spiritus Sanctus, qui mansuetos, humiles et corde tranquillos inhabitat, turbatum iracundi cor non ingreditur, non illuminat, non ungit consolationibus suis, sed maligno relinquit spiritui, qui illud obtenebrat et mille modis perturbat. Deus praeterea, qui solus est *ultionum Dominus*, severissime eos ulciscitur,

qui jus ulciscendi inique sibi vindicant et in alios exercent: testes sunt Cain et Lamech.

Sed nil opus est antiquas irae poenas revolvere. Evangelium Jesu Christi inspice, anima mea: et luce meridiana clarius videbis, quanto Deus odio iram, quantis iracundos suppliciis in Orco persequatur. Duplici eos inferno et igne cruciat: uno, quem divina inflammat justitia: altero, quem ipse spiritus vindictae continuo accendit, cum ira et impatientia, quam nequeunt deponere, revera ignem imitetur, qui illos assidue urit, excruciat, in rabiem et desperationem agit.

O quam infelix est hujus indomitae passionis mancipium! quam prudens vero, qui eam in cunis, antequam adolescat, elidit! Nil facilius, quam statim initio scintillam extinguere: at invalescentem flammam suffocare, difficillimum; nam *a scintilla una augetur ignis.* (Eccli. 11, 34.)

Hunc in me ignem extingue, o Jesu, adeo contrarium christianae mansuetudini, cujus amorem mihi et doctrinis et exemplis tuis inspirasti. Illatae tibi atroces injuriae, convitia et enormes calumniae nullum animi vel tantillum commoti signum, nedum asperius verbulum poterant elicere: et ego ut in summam animi perturbationem, in immedicabilem cordis acerbitatem, in iram et furorem delabar, unicum sufficit durius verbulum. Ah! Domine, cordis tam parum mortificati miserere: caecos ejus impetus per gratiam tuam retunde: efficaci auxilio me adjuva, ut ad tui imitationem fiam mitis et humilis corde.

PUNCTUM III.

Qui per *mansuetudinem*, quae iram reprimit et per *patientiam*, quae illatas tolerat injurias, iram perfecte mortificant, mercedis loco *possidebunt terram*, h. e. corda omnium. 1. *Cor suum*, subjugando passiones, crudeles illos animae tyrannos. Ita enim Christus ad mansuetos et humiles: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* (Luc. 21, 19.) 2. *Cor proximi*, a quo non possunt non amari, etenim *qui in mansuetudine opera sua perficit, super hominum gloriam diligetur* (Eccli. 3, 19.); cujus omnes tamen sunt appetentissimi.

3. *Cor Dei.* Moyses ob insignem mansuetudinem suam meruit summa Dei familiaritate frui. David Deum permoturus, ut templum, quod filius Salomon ei extructurus erat, inhabitaret, per mansuetudinem suam rogavit, orans: *Memento, Domine, David et omnis mansuetudinis ejus.* (Psal. 131, 1.)

Qui hanc virtutem in gradu eminenti possidet, certo certius fruetur pace cordis sui, pace perpetua cum proximo et perfecta cum Deo unione, cujus deliciae sunt familiariter cum mansuetis et humilibus conversari.

O mitissime Jesu, qui tamquam mansuetus et patiens agnus, licet atrocibus injuriis ac opprobriis dilaceratus, aut stupendo obmutescebas silentio, aut prorsus divina respondebas mansuetudine: qui tamquam perfectissimum moderationis et patientiae exemplar, *cum maledicereris, non maledicebas, cum patereris, non comminabaris* in vita et passione tua: ah! gratiam mihi concede, qua adjutus inconcussam mansuetudinem tuam possim aemulari. Non peto tibi similis fieri virtute aegros sanandi, mortuos suscitandi et ejusmodi miracula patrandi; id unum sancte ambio, ut tuam admirabilem mansuetudinem imitari et per hoc tuus esse et haberi discipulus possim.

Feria V.

De invidia et opposita caritate.

PUNCTUM I.

Invidia est inordinata animi tristitia de bono proximi, qua nostrum excedit aut obscurat: vel *est injusta delectatio de malo proximi.*

Invidiae mater ordinarie *superbia,* comes est *ira,* atque ita actus utriusque vel causa vel effectus sunt invidiae, a qua tanto amplius debemus abhorrere, quanto magis propria est daemonis, attestante Scriptura, quod invidia stimulatus protoparentem tentaverit et de statu innocentiae ac immortalitatis dejecerit: *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum.* (Sap. 2, 24.) Eadem innocentem Abel crudelissime trucidavit, fratre Cain invidente, quod ejus sacrificium Deus acceptarit, rejecerit

suum. Nec minora orbi mala hoc vitium successu temporum invexit, commune daemonis organum, ut christianam turbet societatem, cor hominis concitet et in nefanda praecipitet flagitia.

Anima mea! an ista non sufficiunt ad incutiendum tibi summum hujus vitii horrorem? fierine vis mancipium invidiae, quae character est diaboli? O quam indignum hoc foret Christiano, cui suum Christus impressit sigillum! Christiano, qui Christum induere, imitari et moribus referre debet?

Quam abjectum, quam turpe hoc vitium est! quam indignum corde, in quo Deus caritatis habitare debet! in quo Spiritus Sanctus, amoris Spiritus, suum stabilivit regnum! Quam abominabile est cum taedio et moerore bona, felicitatem et gratias, quibus fratres nostros Deus cumulat, intueri et malis, quibus obruuntur, delectari! Eorum potius felicitatis nos reddamus participes christiane congaudendo, infelicitatis condolendo, cum filii simus ejusdem Dei, servi ejusdem patrisfamilias, membra ejusdem corporis, et erimus participes quoque gratiarum, queis proximum Deus complet.

PUNCTUM II.

Vae, ait Deus, *vae illis*, *qui in via Cain abierunt.* (Jud. v. 11.) His verbis supplicia invidiae indicantur. 1. Sibi ipsi jugis et domesticus carnifex est, cor invidi continue torquens, perturbans, exedens, dilacerans. Horrificas solum cogitationes suggerit, ad enormia incitat crimina, morbus tanto minus sanabilis, quanto magis foedus, quem propterea medico spirituali aperire erubescunt invidi. Neque solius animae venenum est invidia, sed et corporis; nam *putredo ossium*, *invidia* (Prov. 14, 30.), non raro citius corripiens invidum, quam cui iste invidet.

Quis igitur (per Deum immortalem!) quis prudenter delectari possit vitio, quod rationem perturbat, pacem animi destruit, societatem humanam evertit et per alterius felicitatem invidum reddit infelicem? quid scelerum non moliri compulit Cainum contra Abelem? filios Jacob contra fratrem Joseph? Saulem contra David? Judaeos

contra verum Dei Filium? Quid ergo mirum, quod divina Nemesis adeo horrendis saepius poenis invidos puniverit in hac, duplici autem igne in altera vita plectat crudeliter: igne ipsius invidiae et igne infernali, qui uterque simul invidum miris sed veris modis atrocissime discruciat?

Coram te prostratus, Domine Deus, vitii adeo abominandi maximopere reum me fateor: saepe saepius *in viam Cain abii.* Ob occultam, quam in animo toties fovi, zelotypiam ac invidiam merui ut Cain a conspectu tuo repelli et, quem secutus sum in culpa, etiam sequi in poena. At licet ipsi aequalis sim in malitia, nolim tamen ei aequalis esse in obstinatione. Ego certe nunquam ut Cain de tua desperabo misericordia, utpote quae criminibus meis infinite major est, desperabo igitur nunquam. Imo jam nunc meorum veniam peccatorum humillime peto a te, o Deus, et palam protestor, quod malim centies mori, quam in me vitium tolerare, tibi adeo contrarium, homine tam indignum, in Christiano tam abominabile.

PUNCTUM III.

Caritas, quae essentialiter invidiae opponitur, est fructus mortificationis, qua hoc vitium edomare allaboravimus: et hic fructus semen est gloriae coelestis, quam Deus illis praeparat, qui de bono proximi nunquam contristati, de ejus malo nunquam delectati sunt, sed potius bona omnia, quae ipsimet cupiebant, proximo semper optabant.

Isti virtutum actus quanta apud Deum in aestimatione sunt! quanti apud eum sunt meriti! quam justi et aequi in se ipsis? Quid enim? an non Deus suorum est Dominus donorum, ut, cui voluerit, majora quam tibi possit pro lubitu impertire? aut quam tibi per hoc injuriam facit? Si Deus in proximo amplius quam in te suam vult ostentare munificentiam aut majorem quaerere gloriam, quo jure, qua fronte id reprehendes? *An oculus tuus nequam est, quia Deus bonus est?* (Matth. 20, 15.) Nonne melius foret et multo consultius divinam adorare providentiam et toto corde delectari, quod suam Deus gloriam provehat, per quemdemumcunque id fiat: nec

non cum propheta Moyse desiderare, *ut omnis populus prophetet?* (Num. 11, 29.) Si ergo diabolus ignem zelotypiae ac invidiae conetur in corde nostro succendere, sine mora tentatori respondeamus, quod Joannes discipulis suis, invidia correptis, eo quod Jesus baptizaret et concursus populi ad eum fieret, reposuit: *Gaudium meum impletum est. Illum oportet crescere, me autem minui.* (Joan. 3, 29. 30.)

Nil magis quam heroicus ejusmodi actus ad sublimem virtutis gradum evehit hominem, nil majores Dei gratias meretur: scilicet non illas solum, de quibus gaudet, quod proximo fuerint collatae, sed et plures ac ampliores, quia decerpit fructus caritatis, *qui sunt pax et gaudium in Spiritu Sancto.* (Rom. 14, 17.) Imo jam nunc in terra incipit quodammodo praegustare felicitatem beatorum in coelis, qui sua contenti sorte aliorum participant felicitatem, quia de illa ex animo gaudent.

Eja igitur, anima mea, jam nunc incipe illam in terris vitam degere, quam cupis degere in coelis: promissa caritati beatitudine dignam te redde. Omnem animo proscribe invidiam: aut si zelotypia te urat, sanctos intuere et juxta Apostolum *bonum in bono aemulare semper:* imo totis viribus contende eos in bono superare, non ut amplius honoreris, sed ut Deus in te amplius glorificetur per saecula saeculorum.

Feria VI.

De acedia et fervore.

PUNCTUM I.

Acedia est quaedam pusillanimitas et taedium in exercitio virtutum et obligationum religionis.

Ejus septem numerantur filiae. 1. Immodicus *timor* difficultatum, quae virtutem comitantur. 2. *Pusillanimitas* inordinata in aggrediendis virtutum exercitiis. 3. *Languor et negligentia* in omnibus, quae ad Dei servitium pertinent. 4. Perpetua in bonis operibus *inconstantia*, vel semper illa variando, ut taedium vitetur,

vel certe ad finem nunquam perducendo. 5. Ignava usque ad desperationem *diffidentia* assequendi perfectionem status sui. 6. *Fuga* virorum spiritualium, eo quod sancta eorum colloquia, admonitiones, exempla aegre feramus. 7. *Otium* seu *desidia*, quam comitantur vel sequuntur jactura temporis pretiosissimi, dissipatio mentis, libera sensuum evagatio, vanae, periculosae, aut omnino illicitae oblectationes in lusibus, comoediis et conventiculis, levando animi taedio opportunis: item somnolentia in oratione rebusque spiritualibus et multo plures arboris malae fructus pessimi, quos funditus eradicare oportet, si velimus, ut sponsus coelestis in hortum animae nostrae descendat.

Heu me! quid ergo mirum, quod tam raro in cor meum, ubi maledicta acediae planta altas radices egit, descendat? Age igitur, anima mea, et maledictam hanc tuae tepiditatis, languoris et aliorum sine numero in oratione, sacra lectione et omnibus pietatis exercitiis defectuum radicem evelle.

Ah! quantum erubesco, Domine, tanto hactenus torpore tibi serviisse! An hoc modo servire ausus fuissem terreno principi? Millies profecto sua me aula expulisset: qui ergo in tua domo me poteras tamdiu tolerare? Tantam, quaeso, bonitatem prosequere et cor meum penitus converte. Sanctum in illo fervorem excita, qui fatalem animae torporem expellat, dejectam erigat, languentem corroboret virtute ex alto ad superandas omnes, quae in via perfectionis occurrunt, difficultates.

PUNCTUM II.

Mala et damna acediae partim sunt effectus ejusdem, partim poenae a Deo infligi solitae: utraque sane horribilia. Omnes corrumpit virtutes per negligentiam, quae totum earum nitorem offuscat. Omnibus vitiis portam aperit per desidiam, quae locum dat diabolo, ut hominem ad quaevis peccata pertrahat.

Spiritus Sanctus *pigrum* vineae seu agro comparat: *Per agrum hominis pigri*, ait, *transivi: et ecce totum repleverant urticae, et operuerant superficiem ejus spinae, et maceria lapidum destructa erat* (Prov. 24, 30. 31.);

hinc omnibus patebat viatoribus, bestiis, daemonibus.

Et hic, Domine, infelix animae meae typus et status est, undique peccatis oppletae, et mille pravis cogitationibus expositae, quae eam libere ingrediuntur, et salutis meae inimicis tradunt. Toto corpore contremisco, si recordor, in quanta me pericula hic status conjiciat. Quam merito timendum mihi, ne in caput meum cadat illa maledictio: *Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter* (Jerem. 48, 10.), seu, ut alii legunt, *negligenter!* Sed magis adhuc formidanda mihi est maledictio, quam ipsemet tepido intentas, dum ais: *Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* (Apoc. 3, 16.) Heu! supplicium terribile hominis, in quo vel minima amoris tui scintilla adhuc vivit! Omnem alium justitiae tuae rigorem exere, omnes alias (merui centies) in me poenas effunde: suave mihi, jucundum ac utile erit omne aliud supplicium, dummodo ex ore et corde tuo me non evomas. Tantum ut evitem malum, totis viribus in id incumbam, ut funesto acediae malo me expediam: ita firmiter propono coram te. Hoc ipsum animi propositum tuae effectus est misericordiae, cui ultimam impones manum et coronidem, si efficaciam adjeceris.

PUNCTUM III.

Fervor, qui acediam vincit et homini alas addit, ut omnia pietatis exercitia laetus obeat, admirabiles secum fructus affert, praecipue duos. 1. Mirabili quadam unctione laborem reddit levem, jucundum, suavem. 2. Multum auget merita: qui haec solo dimetitur labore et difficultate, vehementer hallucinatur: amoris fervor, qui jugum Dei reddit leve, illud pariter meritorium et suave reddit. Quo ferventius amavero te, mi Deus, eo amplius suavitatis, roboris ac meriti colligam. Fervens unius horae labor tantundem et forte plus mercedis referet, quam tepor totius anni, quo *pondus diei et aestus* pigre *portabo.*

Quodsi autem geminum hunc *consolationis* ac *meriti* fontem in sancto fervore non reperirem, nonne infinite magnus, cui servio, Dominus suopte merito dignissimus est, ut ferventer, prompte, alacriter ei serviatur,

qui suis nos beneficiis cumulare, imo praevenire dignatur? qui nostris haud indiget obsequiis, ea tamen benigne acceptat, tanta liberalitate compensat.

Utique dignissimus es, o Deus, ut prompte et alacriter creaturae omnes tibi serviant, illae praesertim, quae rationis capaces amare te possunt. Vae mihi, si hoc laudis, obedientiae et servitii tributum tibi persolvam tepide et veluti ejus me poeniteret! Sincere jam propono tibi servire tota virium contentione, toto cordis affectu, toto animi fervore.

Sabbato.

De fine hominis.

PUNCTUM I.

Creatus est homo ad hunc geminum *finem, ut* 1. *Deum suum laudet et revereatur:* et hic est finis proximus. 2. *Ut Deo serviens tandem salvus fiat:* et hic est finis ultimus: verba sunt S. Ignatii: imo verba Spiritus Sancti: *Servi facti* Deo Creatori *habetis fructum vestrum in sanctificationem* (Rom. 6. 22.): en finem proximum: *finem vero* (ultimum) *vitam aeternam.* His verbis Apostolus non modo finem, ad quem omnis homo debet aspirare, aeternam scilicet salutem, sed et viam, qua ad salutem pervenitur, exprimit, nimirum viam *sanctitatis*, quam nemo consequitur, nisi qui Deum laudet, revereatur eique fideliter serviat.

Hunc ergo in finem creatus sum: non, inquam, ut genio indulgeam, libidini morem geram, accumulem opes, ambiam honores: sed solummodo, ut te amem, o Deus: tuum quaeram honorem ac beneplacitum.

Hoc *meum et summum*, imo *unicum* est negotium: quod tamen (ita sane cogor non minori rubore quam veritate fateri) pro dolor! unice neglexi. Quanta autem haec dementia est! quanta caecitas! Ah! quantum me pudet mei, Domine! At quid prodest erubescere, nisi miserearis mei et aberranti tuam porrigas manum, ut me in orbitam, in viam justitiae ad te reducas? Hanc mihi largire gratiam, o Deus, quam a tua solum miseri-

cordia expecto: hac unice fretus coram coelo et terra sancte protestor, me posthac in mundo aliud, praeter te, quaesiturum nihil, nihil amaturum.

PUNCTUM II.

Ultimus autem, in quem conditus sum, finis est eadem cum et in Deo beatitudine aeternum frui. Ita est, Domine: ita omnino est. Si fidelem tibi servitutem servio, si tuis obtempero mandatis, si te super omnes creaturas diligo, te aeternum possidebo in coelis, te in omni gloria tua videbo, teque videndo similis tibi ero juxta illud Apostoli: *Scimus, quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est.* (I. Joan. 3, 2.)

Quam sublimis igitur, quam praestans et incomparabilis est finis tuus, anima mea, non nisi propter Deum creata, ut ei quodammodo fias similis, non ut humi repas et haereas in luto, sed ut eadem qua angeli, imo ipse Deus fruitur, beatitudine aeternum perfruaris.

Quid autem magni, summe Deus, terrae vermiculi praéstitere, ut eos ad tantum gloriae et felicitatis apicem deligeres? aut quid non debent agere, ut eo pertingant? O ineffabilem Conditoris bonitatem et ingratitudinem creaturae! Quam bonus es, Domine, tanta nobis decernendo bona! At quam ingrati nos sumus iis nos reddendo indignos! Ah! quanto propterea pudore simul et dolore perfundor! ast firmum pariter, nisi vehementer fallar, animi decretum sentio imposterum omnes curas et nervos eo intendendi, ut tibi fideliter serviam et merear te videre, amare, possidere aeternum.

PUNCTUM III.

Considera, quam dispar exitus maneat illos, qui a fine suo deflectunt transgrediendo legem divinam: et illos, qui eam fideliter custodiendo suum creationis finem consequuntur. Eheu! quam irreparabilem primi jacturam patiuntur, dum te, o Deus, perdunt, et una tecum pacem conscientiae, animam, coelum, omnia! E contrario quam immensa et incomprehensibilis tibi servientium est felicitas te aeternum possidere et te possidendo secure bonis

omnibus perpetuo frui! Superi! quam immensum inter utrosque est discrimen! Tuum jam est, anima mea, partem alterutram eligere. Unicum totius vitae tuae negotium est viam amplecti, quae ducit ad vitam aeternum beatam: fugere, quae ducit ad interitum. Respice continuo sublimem creationis tuae finem et toto cordis affectu eo contende.

Enimvero *fecisti nos ad te, mi Deus, et inquietum est cor nostrum*, utut angustum, *donec requiescat in te.* (S. Aug.) Tu igitur, aeterne Pater, qui illud *fecisti* ad te, nullum unquam praeter tui solius amorem in eo tolera. Et tu, Fili unigenite, qui illud *redemisti*, noli permittere, ut ulla unquam creatura illud tibi surripiat. Tu vero, S. Spiritus, qui illud in baptismo *sanctificasti*, tui amoris igne succende in tempore, ut eo feliciter ardeat in aeternitate.

Dominica XXIII. post Pentecosten.

Christus mulierem liberat a fluxu sanguinis.

(Luc. 8, 43. sq.)

Vide medit. Fer. VI. Hebdom. VI. post Pentec. Part. II. pag. 28.

Feria II.

De decalogo seu decem praeceptis Dei.

PUNCTUM I.

Considerabo in genere, quid Deus praecipiat in decalogo, quidve prohibeat: item quam juste hanc a creaturis suis obedientiam exigat, quantae vero sit insolentiae et caecitatis illam detrectare. Tria primae tabulae praecepta exigunt summum Dei cultum in spiritu et veritate, in verbo et opere. Reliqua septem secundae tabulae praecepta imperant totum id, quod debemus proximo: vetant ullam ei injuriam inferre aut nocere in bonis, in honore, aut in aliis rebus.

Quid aequius esse possit, anima mea, quam universali rerum omnium Domino homagium ac obedientiam, proximo autem ea caritatis officia praestare, quae mihi ab aliis praestari cuperem? Nonne maligno corde sit oportet, qui obtemperare renuit legi tam sanctae, tam justae,

tanta sapientia conditae, quam ut adimplerent, omnes deberent suapte natura ultro impelli, etsi nullo ad id praecepto adigerentur?

Quantum confundor, Domine, quod tuis non obediverim mandatis! Ut ea ignorarem, opus erat naturae et rationis lumen extinguere; ut violarem, voluntati meae vim inferre. Nisi mea sponte voluissem oculos claudere, cognovissem illa et diligenter observassem, nisi gratitudinem et humanam exuissem naturam. Super omnia te amassem: cor meum tibi in holocaustum, tui amoris igne semper ardens, obtulissem: proximum dilexissem et solum propter te dilexissem.

Quanta tranquillitas et quies regnat in corde, quod tibi subjectum est, Domine! quanta vero inquies et perturbatio, si jugum debitae tibi obedientiae excutit! Quam horrenda in tali corde nascuntur crimina! Quodsi autem ab his tua me praeservasset bonitas, meae erga te ingratitudinis crimen immensum augeret. Tu probe nosti, o Deus, quod falsa adoraverim idola, tuam vero majestatem contempserim: quot fallacibus tibi promissis imposuerim, quando tibi ad aram fidelitatem juravi, mox fidem datam fregi: quot dies festos opere servili aut, quod magis impium, peccando profanaverim. Praeterea quoties inhonoravi parentes et superiores, qui vices tuas gerunt! Heu me! quot peccatis te offendi! quot peccatis proximum! quoties eum ad iram verbis et operibus concitavi! Tandem sanctissimae legi tuae vim et injuriam intuli, male et falso eam interpretando, ut meam cordis malitiam excusarem.

En Domine, adeo profunda iniquitatum abysso sepultus jaceo, ut ex ea nequeam eluctari, nisi omnipotens bonitas tua me inde extrahat. Ita est, Domine Deus: *Confitebor* tibi *adversum me injustitiam meam* cum poenitente propheta! at cum eodem pariter contritus et spe misericordiae plenus ausim addere: *Et tu remisisti impietatem peccati mei.* (Psal. 31, 5.)

PUNCTUM II.

Quamvis aliam non haberemus rationem et causam legi divinae sedulo obtemperandi, quam quod probe sciamus, a Deo rerum omnium Conditore ac Domino

profectam esse, nonne hoc solum ad eam stricte servandam nos abunde obstringeret? Quis enim tantae majestatis Domino, tantae bonitatis magistro, tantae amabilitatis Patri non obediat? Caeterum lex divina tres praecipue habet proprietates, ob quas diligi a me et servari meretur. 1. *Lex Domini immaculata, convertens animas.* 2. *Testimonium Domini fidele* in suis promissis. 3. *Sapientiam praestans parvulis* (Psal. 18, 8.), h. e. fidelibus subditis, quos omni benedictione coelesti replet, ut maledictione refractarios.

Itane vero, mi Deus, ut tua servarem mandata, tantis me promissis obligare opus erat? adeo horrendis opus minis, ne legem transgrederer, a temet ipso stabilitam, legem prorsus aequissimam, nulli difficilem, nisi qui ejus suavitatem expertus non est? Ego certe, licet parum eam servarim, cum propheta sensi, quod sit *dulcior super me et favum* (Psal. 18, 11.): e contrario nullam cordis amaritudinem sum expertus, nisi quando illam violavi. Adeo verum est et fatendum, tuos dumtaxat fideles subditos in hoc orbe contentos vivere, vera animi pace frui et ab hujus vitae gaudiis ad felicitatem aeternam transituros.

Igitur probe memor esto, anima mea, divinae illius sententiae: *Homo sensatus credit legi Dei, et lex illi fidelis.* (Eccli. 33, 3.) En! inter credentem et legem mutua datur fidelitas: ille fidelis est in obediendo, ista in remunerando: hujus fidelitas dependet a tua, suis semper statura promissionibus, nisi quando iis te indignam reddideris.

Clementissime Deus! quam nullo fere negotio felices evadunt, qui tibi serviunt! Et si adeo dulce et jucundum est tuam in hoc orbe voluntatem adimplere, quam volupe erit illam implere in coelo, ubi exultabimus in te sine periculo te unquam amittendi amplius?

PUNCTUM III.

Inter media legem divinam tot benedictionum feracem diligenter observandi primum et praecipuum est illam magni aestimare et, quod consilium est Sapientis, *in tabulis cordis sui descriptam* circumferre: h. e. in tribus animae potentiis: in *memoria*, ejus semper recordando:

in *intellectu*, eam diu noctuque meditando: in *voluntate*, eam assidue amando, ut ad eam fideliter observandam continue incitemur.

Alterum et efficax medium est frequenter propositum eam observandi innovare, et cum propheta dicere: *Juravi et statui custodire* legem et *judicia justitiae tuae*, Domine. (Psal. 118, 106.) Tertium est, in exemplum obedientiae nobis proponere Servatorem Jesum Christum, qui a primo incarnationis suae momento *legem* Dei posuit *in medio cordis sui.* (Psal. 39, 9.) Dum vixit in terris, *ejus cibus erat facere voluntatem Patris sui* (Joan. 4, 34.), cui *factus est obediens usque ad mortem.* (Philip. 2, 8.)

Inspice, anima mea, et fac secundum exemplar, quod tibi in Christo fuit monstratum, qui de coelo in terras descendit, ut nobis fieret dux, magister et exemplum sanctitatis. Dic cum illo: *Non veni* in mundum *legem solvere, sed adimplere.* (Matth. 5, 17.) Et quoniam ipsa adimpletio est donum Dei et gratiae, summe necessarium est illam cum Augustino efflictim petere: *Da, Domine, quod jubes; et jube, quod vis.*

Concludamus meditationem iisdem verbis, quibus suum Ecclesiastes librum clausit: *Deum time et mandata ejus observa; hoc est enim omnis homo.* (c. 12, 13.) Istud homini in ordine supernaturali tam essentiale et necessarium est, quam ei in ordine naturae sit esse rationalem.

Ita est, Domine, vane et incassum glorior me hominem esse, anima rationali, corpore et quinque sensibus praeditum; te judice homo non sum, sed monstrum hominis, nisi obediam tibi et mandata tua fideliter observem.

Feria III.

De quinque sensibus externis.

PUNCTUM I.

Obiter ac generatim in memoriam revocabo peccata, quae ab omni retro vita quinque sensibus admisi: eorum singuli fuere instrumenta peccatorum sine numero.

Quoties eheu! peccavi 1. *oculis*, intuendo vana, curiosa, noxia, imo et obscoena etc.! 2. Quoties *auribus*, cum voluptate auscultando sermonibus et cantilenis scurrilibus, famam proximi laedentibus, contra superiores murmurantibus! 3. *Gustu*. 4. *Odoratu*, et praecipue 5. *tactu;* heu! quot quantaque commisi peccata! Si superaddo peccata *linguae*, contra Deum, proximum et me ipsum admissa: si patrata per corporis, quod templum Spiritus Sancti est, immodestias, levitates, forte et turpiores actus, quanta confusio et horror merito animum occupant!

Quam immanis autem, Domine, perversitas est potentiis, ad tibi serviendum concessis, abuti ad te offendendum! Utinam vere possem cum poenitente David dicere: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam!* (Psal. 118, 36.) Utinam tantum animi haberem et justitiae, ut, quantum injuriae tibi intulerunt sensus mei, tantundem honoris tibi eos compellerem reddere! Poteruntne autem congruentius tibi facere satis, quam si in poenam temeritatis, qua vetitis usi sunt oblectationibus, illis licitas posthac denegem?

Enimvero sensuum mortificatio potest esse libera et de consilio, ubi eorum abusus non praecessit: ad me quod attinet, qui toties et impie illis sum abusus, omnino necessaria est. Illos oportet punire ob praeterita delicta et praemunire adversus futura. Hanc mortificationis sensuum necessitatem jam declinare non possum. Neque vero declinare cupio, sed lubenti animo amplector. Quod si aliquando eam mortificationem seu obliviscar seu negligam, tu eam, Domine, in sensus meos exerce, et eorum potius usu me priva, quam ut deplorandum rursus abusum permittas.

PUNCTUM II.

Expendam pericula, quibus nos male custoditi sensus exponunt. *Sicut urbs patens et absque murarum ambitu* non potest non capi facile expilarique (Prov. 25, 28.), ita homo infernalis inimici assultibus, insidiis, direptioni patet absque sedula sensuum custodia; hi enim

sunt *fenestrae, per quas mors ascendit et ingreditur domos nostras* (Jerem. 9, 21.): h. e. mors culpae nostras ingreditur animas, ubi caritatem, vitam animae, extinguit, et dona gratiae destruit. Unicus justo liberior aspectus virginitatem Dinae, Davidi conjugalem abstulit castitatem. Adeo vera est apud plures vatis querela de visu: *Oculus meus depraedatus est animam meam.* (Thren. 3, 51.) Idem de aliis sensibus judicium esto, quos libere evagari nunquam permittes sine periculo gratiae thesauros amittendi.

Id certum, quod ista sensuum libertas destruat collectionem animi, suffocet spiritum orationis, sanctas extinguat reflexiones: verbo: totam interiorem vitam tollat, non conservandam, nisi quantum habitamus nobiscum, et non erumpimus foras. Atque hanc tot bonorum jacturam, Domine, egomet abunde sum expertus, ita, ut cum propheta possim ingemiscere: *Oculus meus depraedatus est animam meam.* Dilapsa per hanc portam a semetipsa exiit, ut creaturas insectaretur: reversa autem in se, non reperit amplius priorem sese colligendi facilitatem, nec antiquum in oratione gustum, nec delicias divinarum consolationum. Infelix libertas sensuum, quae mihi et animam meam, quae exiit a me foras, et Deum meum, qui recessit a me, et omnes abstulit spirituales thesauros, quibus me inimici salutis et perfectionis meae exspoliarunt!

Ne porro expilationi tam funestae me exponam, saepius mente recolam monitum S. Spiritus: *Sepi aures tuas spinis, et linguam nequam noli audire, et ori tuo facito ostia et seras, et attende, ne forte labaris in lingua, et cadas in conspectu inimicorum insidiantium tibi, et sit casus tuus insanabilis in mortem.* (Eccli. 28, 28. 30.)

PUNCTUM III.

Et plurima et ingentia secum bona affert et mortificatio et custodia sensuum. Dum cor praecludit omnibus, quae pacem ejus perturbare et gratiam Dei possent imminuere, liberrimum Spiritui Sancto aditum aperit, ut plenam cordis possessionem adire, illudque sibi inaugurare possit in templum, ubi resideat, dona sua dis-

penset, suumque regnum stabiliat. Inde proveniunt amor orationis, puritas animae, coelestium abundantia luminum et saepe donum altissimae contemplationis. Nimirum coelestis sponsus *hortis* delectatur *conclusis*, ibique non solum flores bonorum desideriorum, sed et fructus solidissimarum virtutum producit.

Praeterea haec sensuum modestia et mortificatio miram boni odoris et sanctitatis fragrantiam late diffundit, proximum aedificat, ad se et interiorem vitam revocat, ad devotionem pertrahit: hinc Apostolus monuit: *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus* (Philip. 4, 5.), ut omnes Christi lucremini.

Denique praeter dona ingentia, quibus sensuum mortificationem Deus remuneratur, singularem cuilibet sensui gloriam ac beatitudinem in coelo reservat, si amore Dei mortificetur.

Munificentissime Deus, quam liberaliter compensas vel minimam sensuum mortificationem, amore tui factam! Quod si et istud abesset, singulari studio illam nihilominus colerem in honorem et memoriam cruciatuum, quos Servator meus pertulit pro me. Ah! quam care tibi, amabilissime Jesu, meorum stetit petulantia sensuum! Ut eam expiares, singuli tuorum sensuum in monte Calvariae singulari supplicio fuerunt excruciati, *aures* blasphemiis, *oculi* sputis, *nares* foetore cadaverum, *gustus* felle et aceto, *tactus* spinis et clavis. O quantum ista cogitatione commoveor ad deflendum praeteritam sensuum proterviam, et ad refrenandum in futurum, ut eos sub arcto modestiae jugo contineam!

Feria IV.

De internis animae potentiis.

PUNCTUM I.

Considerabo vitia et peccata, quae propriam sedem habent in *intellectu*. Sunt praecipue septem. 1. Crassa eorum, quae ad salutem scitu necessaria sunt, *ignorantia*, sane fatalis, cum Apostolus dicat: *Qui ignorat, ignorabitur* a Deo. 2. *Inconsiderantia* in agendo, ex qua innumeri defectus ac errores in omnibus virtutum ma-

teriis oriuntur. 3. *Temeritas* in judicando proximum, et ejus existimationem apud nosmetipsos violando. 4. *Inconstantia* judicii, qua fit, ut bona proposita facile mutentur et executioni non mandentur. 5. *Pertinacia* proprii judicii, quae flecti nescia in plures gravissimos errores nos praecipitat. 6. *Prudentia* carnis, *quae inimica est Deo* et verae sapientiae. 7. *Curiositas* inordinate sciendi vana et inutilia cum detrimento solidae, salutaris et ad salutem necessariae scientiae.

Vides hic, anima mea, deplorandam noctem ac tenebras, quibus peccatum originale nostram intelligendi facultatem involvit, tot luminibus in sua creatione illustratam, ut Deus eam in via justitiae lucis et ducis loco esse voluerit: at eheu! lux modo est subobscura, dux plane caecus, in foveas et abyssum nos praecipitaturus, nisi Spiritus S. caecitatem suis septem donis abstergat. Haec ab ipso ardentissime petam: suspirabo saepius: O divinissime Spiritus, largire mihi tua septem dona adversus septem intellectus mei vitia: donum *sapientiae* contra *ignorantiam*, donum *consilii* contra *inconsiderantiam*, donum *intellectus* contra meam *temeritatem* ac imprudentiam in judicando, donum *scientiae* contra judicii mei *pertinaciam*, donum *fortitudinis* contra animi *inconstantiam*, *donum pietatis* contra mundi et carnis *prudentiam*, donum *timoris* contra *curiositatem*. Supple, quam amisi, intellectus perspicaciam divinis illustrationibus, ut secure in semita salutis et perfectionis ambulem.

PUNCTUM II.

Pari modo expendam vitia et peccata *voluntatis* meae, h. e. *voluntatis propriae*, quae sibi soli proprioque dumtaxat arbitrio satisfacere studet, parum curans interim aut omnino rejiciens quamcunque aliam, sive Dei, sive proximi voluntatem. Ex *propria voluntate* nascuntur 1. *inobedientia* et imperii divini detrectatio, seu Deus illud per se ipsum manifestet, seu per superiores declaret. Et haec inobedientia pestis ac ruina est totius christianae subjectionis et necessariae tam in statu ecclesiastico, quam religioso subordinationis. 2. *Prava intentio*, quae etiam sanctissimas corrumpit actiones et in malas convertit, eo

quod a voluntate propria nascantur, non ab intentione Deo placendi et divinam ejus voluntatem implendi: de quo Deus conqueritur: *Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra.* (Isa. 58, 3.) 3. Inexplebilis *proprii interesse* et commodi *sitis*, ipsas justitiae et caritatis leges conculcando. 4. Summa *in bono* et sanctis propositis *inconstantia*. 5. Denique infelix *proclivitas* ad omne id, quod carni blanditur, libidinem fovet, animam in mille pericula adducit.

Haec fere sunt *voluntatis propriae* vitia et quasi fontes omnium prope peccatorum, quae ex illa velut universali matre nascuntur, adeo, ut S. Bernardus dixerit: *Cesset voluntas propria et infernus non erit*, nec in hac nec in altera vita, quandoquidem infelix haec voluntas est causa omnium poenarum, quas damnati post mortem perferent in inferno, et quas miseri patiuntur in vita, ubi propria eorum voluntas sibi ipsi est quidam infernus; quidquid enim miseriarum est in hoc orbe, tantum affert tristitiae et afflictionis, quantum per propriam voluntatem Deo, qui illas immittit, nos opponimus, cujus sanctissimae voluntati nostram subjicere et penitus conformare oportet, ut eas facilius tolerare possimus.

Quam stolidus hucusque fui, Domine Deus, quod ultro me instar mancipii excaecatae huic et tyrannicae voluntati meae subjecerim! Mille solatiis, summa animi pace, vera libertate, paradisi deliciis praegustando poteram frui, si tuae obsecundassem voluntati: reperissem in hac veram virtutem, status mei perfectionem et praecipue gloriosam Filii tui imitationem, qui, ut ipsemet asseverat, *descendit de coelo, non ut faceret voluntatem suam, sed voluntatem ejus, qui misit ipsum.* (Joan. 6, 38.)

Ego quoque hoc excellentissimum perfectae subjectionis exemplar imitari statuo, nec aliam posthac in quovis rerum articulo, quam divini magistri, tesseram ore et animo volvere: *Pater, non mea voluntas, sed tua fiat.* (Luc. 22, 42.) Sanctissima haec voluntas meam corriget depravatam, sistet inconstantem, continebit vagam, eritque unica actionum mearum regula et primum mobile.

PUNCTUM III.

Nec leviora sunt vulnera, inordinationes et peccata *phantasiae et appetitus sensitivi*, quae sunt *materiales* animae facultates.

Imaginatio est potentia levis, inconstans, vaga, in omne objectum libenter effusa, in animo hominis, quidquid a sensibus percipit, depingens: puta, ideas et imagines vanas, inutiles, profanas, nec raro foedas, quibus sine peccato intellectus *morose* non possit inhaerere. *Appetitus sensitivus* est velut mare vehementissimis continuo agitatum fluctibus undecim passionum: videlicet *amoris et odii*, *desiderii et fugae*, *tristitiae et gaudii*, *spei et desperationis*, *timoris et audaciae* et tandem *irae*. Hae passiones, ut recte ait S. Ambrosius, arma sunt, quibus daemon utitur ad oppugnandam et expugnandam hominis innocentiam. Imo domestici daemones sunt, qui continenter ad peccandum nos sollicitant, *unusquisque enim tentatur a concupiscentia sua*. (Jac. 1, 14.)

Unicum te contra illam tuendi, anima mea, remedium superest tibi, perpetuam ei vim ac bellum inferre, ejus appetitus per mortificationem jugulare, id, quod desiderat, ipsi negare, rationis et gratiae legibus subjugare. Nullo fere negotio passionibus dominabitur, qui, antequam invalescant, mature ac tempestive eas subigit: grave contra periculum, ne perenne earum mancipium evadat, subit omnis, qui initio fasces et dominium ipsis cedit.

Hanc ipsam ego praeduram servitutem nunc, Domine, sentio in poenam indulgentiae, qua appetitui meo, quidquid, etiam inordinate, desiderabat, concessi. Adverto jam, at sero nimis, ad veram libertatem non perveniri, nisi vim sibi inferendo. Ut meo satisfacerem genio, sponte perdidi veram felicitatem, animae pacem et laetitiam, quibus nemo fruetur, nisi qui diu suas passiones mortificaverit.

Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus? (Rom. 7, 24.) Tua id praestabit et sola praestare poterit omnipotens manus tua, *Domine, firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus.* (Psal. 17, 3.) Cum autem velis, ut et ego, tua adjutus

gratia, partem laboris in me transferam, quo a molesta servitute corporis liberer, omnes intendam vires et hos *persequar inimicos et comprehendam illos: et non convertar donec deficiant* (Psal. 17, 38.), tuis substrati pedibus; utque sanctum hoc bellum, ad quod me obligas, majore animi fortitudine suscipiam, nunquam mente elabi sinam illud S. Spiritus consilium: *Fili! post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere. Si praestes animae tuae concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis.* (Eccli. 18, 30. 31.)

Feria V.

De examine conscientiae generali et particulari.

PUNCTUM I.

Expendam uberes fructus ac utilitates examinum conscientiae, si diligenter instituantur; damna vero, si negligantur. Ista ut rite intelligamus, notandum, duplici quotidie titulo nos obstringi Deo: uno *gratitudinis* ob innumera, quae in dies ab eo accipimus, beneficia: altero *poenitentiae* ob innumera, quibus tantum benefactorem offendimus, peccata. Utrumque debitum examinibus (nocturnis saltem) solvimus; prius *gratiarum actione*, posterius *dolore.*

Quid mirum, o Deus, tot ingratos reperiri in mundo, totque impoenitentes, cum tam pauci sint, qui se ipsos ingrediantur, ut et tua agnoscant beneficia, et suam ingratitudinem malitiamque. Num tu saltem, anima mea, adeo sanctam utilemque devotionem diligenter exerces? tune statis temporibus et horis coram Deo appares, ut ob accepta beneficia grates agas, et ob admissa peccata veniam petas?

Id sane David, vir secundum cor tuum, Domine, noctu facere consuevit. *Meditatus est nocte cum corde suo, et exercitabatur, et scopebat spiritum suum* intima cordis penetralia scrutando (Psal. 76, 7.), et omnes animae facultates ad sanctum hoc exercitium applicando. *Memoria* recoluit cum beneficia, quibus eum cumulasti: tum peccata, quibus te offendit, o Deus. *Intellectu* suas

expendit obligationes laudandi te ob beneficia, contrito corde deprecandi ob peccata. *Voluntate* sanctos excitavit affectus gratitudinis erga te, justae indignationis contra se. Tunc suas tibi confitebatur miserias et peccata: tuam supplex implorabat misericordiam: sancte contestabatur, se novam et meliorem vitam postridie inchoaturum. Idem ego, Domine, singulis vitae meae diebus imposterum faciam, et cum eo fiducia plenus dicam quotidie: *Dixi: nunc coepi* tandem serio: *et haec mutatio* erit opus *dexterae tuae.* (Psal. 76, 11.)

PUNCTUM II.

Ut majore cum fructu istud examen v. g. noctu obeam, methodum adhibebo, quam S. Ignatius *quinque* punctis comprehensam tradidit. In puncto *primo* in memoriam revocabo omnia, quae Deus a primo vitae instanti, et praesertim hodie, seu communia seu peculiaria mihi contulit, beneficia, et pro omnibus summas ex toto corde gratias et laudes ei dicam, et cum laudibus uniam, quas angeli et sancti omnes eidem in aeternum decantabunt.

In *secundo* petam lumen et gratiam cognoscendi peccata mea detestandique. Dissipa (ei dicam), dissipa, Domine, luce tua tenebras meas, et simul amoris tui igne inflamma cor meum, ut delicta mea et agnoscam, et sincero animi dolore defleam.

In *tertio* me ipsum coram divino judice meo stricte discutiam, et neutiquam contentus perfunctorio cogitationum, verborum, operum et omissionum examine, singulas eorum circumstantias, et praecipue intentiones, fervorem etc. in jus vocabo.

In *quarto* enitar me in conspectu Dei humiliare et, quem possim maximum de commissis peccatis dolorem concipere: dicam ei: En, Domine, tot delicta tuis rependi beneficiis! At pudore simul ac dolore suffusus meam coram te confiteor detestorque malitiam: *Tibi soli peccavi, et malum coram te feci* (Psal. 50, 6.): ast iterum, iterumque ex toto corde doleo etc.

In *quinto* denique firmissimum emendationis seriae propositum concipiam, ideoque cum poenitente David

dicam: *Juravi, et statui* imposterum *custodire judicia justitiae tuae, Domine.* (Psal. 118, 106.) Confirma, quod per gratiam tuam operatus es in me. Ita per sanguinem Filii tui supplex te obtestor, et per ejus merita a tua bonitate et peccatorum veniam et vitae emendationem firmissime spero.

PUNCTUM III.

Uti *septem* illae gentes, populi Israelitici hostes, non simul omnes, sed separatim et *per partes* caesae ac profligatae fuerunt, ita salutis et perfectionis nostrae inimici singillatim oppugnari debent expugnarique: idque fit per *examen particulare*, cujus hunc modum S. Ignatius tradit.

1. Postquam *mane* surrexero, et debitas Deo grates pro nocturna quiete, pro conservatione a corporis ac animae periculis exsolvero, nec non contra omne peccatum serio protestatus, omnes meas cogitationes, verba et actiones in unione meritorum Jesu Christi Deo per sanctam intentionem consecravero, firmiter proponam omnia quidem peccata, at *speciatim* illud vitium, quod eradicandum suscepi, vitare penitus: id facilius ut obtineam, oportebit occasiones in illud relabendi animo praevidere et, ne relabar, Dei gratiam implorare.

2. *Circa meridiem* ante mensam me ipsum diligenter excutiam, quoties in particulare illud vitium lapsus sim, ac pro numero et gravitate relapsuum erubescam, dolebo, proponam coram Deo emendationem.

3. *Vespere* idem examen repetam, eosdemque confusionis et contritionis actus; novos quoque resumam animos et spem die postero melius vitandi relapsus, quia *septies cadet justus, et resurget.* (Prov. 24, 16.)

Porro sub finem hebdomadae oportet diem cum die conferre, ut deprehendam, an, et quantum hostem, quem oppugnavi, debilitarim, tamdiu oppugnandum, donec penitus expugnetur. Ad id seria applicatio, aut verius serium Deo placendi desiderium requiritur: isto qui ardent, nulli parcunt labori, quo divini amoris et honoris inimicos exterminent. Mundi asseclae tantum temporis, imo et sumptuum impendunt nugis, ornando corpori, quod erit esca vermium, purgandae aut conservandae a

maculis pulchritudini vultus: idque solum, ut mundo placeant; et mihi, ut placeam Deo, nimium videatur bis terve (intra diem) interiorem animae statum inspicere, et sordes, divinae majestati summe displicentes, abstergere? Sane parum fidei, reverentiae ac zeli pro Dei gloria haberem, nisi quotidie cum propheta regio dicerem: *Vespere, et mane, et meridie narrabo, et annunciabo* miserias meas Deo: *et exaudiet vocem meam*, meque ab illis liberabit. (Psal. 54, 18.)

Feria VI.

De sacramento poenitentiae.

PUNCTUM I.

Considerabo praestantiam beneficii, quod Deus suae contulit Ecclesiae instituendo sacramentum poenitentiae. Justitia divina aliquando terribile eriget tribunal, ubi Dei filius ipsas *judicabit justitias* et virtutes. Hujus tribunalis severitatem ut vel praevertamus, vel omnino evitemus, divina bonitas aliud erexit tribunal, nimirum *clementiae ac misericordiae*. In isto non praesidet in forma aspectabili; secus terreret nos et absterreret: hominem suffecit sibi, at vi sui characteris divina instructum auctoritate ac potentia, qui tamen natura imbecillis, et peccatis aeque ac nos obnoxius, ut benignum se et clementem nobis exhibeat, solum opus habet se ipsum et proprias infirmitates intueri.

O admirandam amoris tui, Deus, inventionem in benigno hoc tribunali, in quo peccata, numero licet et gravitate enormia remittuntur, modo peccator homo se reum sistat homini peccatori.

Cumulus autem tuae bonitatis est, Domine, quod in hoc misericordiae tribunali *semper* et *ubique* per sacerdotes a peccatis quibuscunque nos absolvas. De hac veritate locus dubitandi non superest, postquam Petro, quoties proximo ignoscendum, dubitanti respondisti: *Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies* (Matth. 18, 22.): h. e. toties, quoties necessitas postulaverit.

Hoc sacramentum est ille *fons patens domui David* seu Ecclesiae a Deo promissus, *in ablutionem peccatoris.* (Zach. 13, 1.) Hunc igitur fontem, anima mea, cum omni fiducia, quam Deus adeo bonus nobis inspirat, accedamus, ut *ex hoc Salvatoris fonte hauriamus aquas* salutis (Isa. 12, 3.) et abluamur in sanguine ejus. In nostra potestate situm est ibi acquirere certum nostrae cum Deo amicitiae pignus, et velut certitudinem, me a Deo non amplius judicandum esse: sunt expressa Apostoli verba: *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.* (I. Cor. 11, 31.)

PUNCTUM II.

In sacramento poenitentiae non solum veniam peccatorum, sed et novos obtinemus thesauros *meritorum* per eximias, quae ibi simul exercentur, virtutes: scilicet 1. per *fidem*, quae tunc viva et efficax est. 2. Per *spem*, impetrandae peccatorum remissionis. 3. Per *caritatem*, qua vehemens de peccatis dolor concipitur. 4. Per *humilitatem*, nostras aperiendo infirmitates, defectus, peccata etiam gravissima. 5. Per *obedientiam*, qua nos homini, vicario Jesu Christi, plene subjicimus. 6. Per *zelum justitiae*, dum ad satisfaciendum Deo nostri ipsorum *accusatores*, *testes* et *judices* sponte efficimur, imo et *executores* sententiae ab illo, qui Christi vices gerit, latae. 7. Per *magnanimitatem*, qua homo se ipsum et naturalem peccata sua occultandi propensionem vincit, secretissima et turpissima animae vulnera ingenue pandens.

Utique fatendum est, Domine, ad gloriam misericordiae tuae, quod filius Adae protoparentis, qui primus post peccatum se abscondit, actu heroico se debeat vincere et congenitam se excusandi inclinationem calcare, ut se ipsum accuset, homini omnes suas iniquitates aperiat, se ejus judicio caeca obedientia subjiciat, imo latam ab eo sententiam secundum omnem rigorem exequatur.

At quam mirabile pariter et diversum a judicio humano est judicium sacerdotis! In profanis tribunalibus confessio culpae condemnat reum, in sacro tribunali absolvit, enormium licet criminum reum. Simul ac sacer-

doti, ut David prophetae Nathan, vere contrito corde dixerit: *Peccavi Domino;* ocius verba solatii plena audiet: *transtulit quoque Dominus peccatum tuum.* (II. Reg. 12, 13.)

Anima mea, quam merito singulare hoc divinae misericordiae beneficium tuam postulat gratitudinem, ut magno cum fervore ad hoc sacramentum accedas et per insignes virtutum actus ad illud te praepares! Sic, quantum debitis et peccatis onusta accesseris, tantum gratiis impleta recedes.

PUNCTUM III.

Fructus, quos rite dispositi ex hoc sacramento referunt, sunt iidem, in quibus regnum Dei constituit Apostolus, dum ait: *Regnum Dei est justitia, et pax, et gaudium in Spiritu Sancto.* (Rom. 14, 17.) Hoc sacramentum, inquam, confert 1. vere poenitentibus *justitiam* seu gratiam sanctificantem, Deo gratos et amicos facientem: justis vero augmentum gratiae, internae pulchritudinis et gloriae in coelis. 2. Utrisque supernaturalem animae *pacem*, expellendo timorem divini judicii et gehennae. 3. Atque adeo *gaudium in Spiritu Sancto*, qui dilatat corda eorum, ut jam tunc praelibent fructus victoriae, quam a se retulerunt delicta sua cum humilitate manifestando. Ita est, Domine, cum a peccatis fuero absolutus, *auditui meo dabis gaudium et laetitiam: et exultabunt ossa humiliata.* (Psal. 50, 10.)

Anima mea, quot emolumenta et fructus ex unica confessione nascuntur, quae sane difficilis non accidit, nisi illis, qui eam non frequentant! quam exiguo contra labore constat frequentantibus! Quod si nihilominus grave mihi videretur sacris poenitentiae undis me abluere, ne quadraret in me, quod ad Naaman, remedio ad curandam corporis lepram praescripto uti nolentem, dixerunt servi illius: *Etsi rem grandem dixisset tibi propheta, certe facere debueras: quanto magis, quia nunc dixit tibi: Lavare* in Jordane *et mundaberis.* (IV. Reg. 5, 13.)

Nihil pariter difficultatis, Domine Deus, in tuis est mandatis: et si nescio quantum laboris ac molestiae, ut adimpleantur, foret exhauriendum, tam abunde compensas, ut pro nihilo debeant reputari. Exiguam peccata

investigandi diligentiam, exiguum in iis aperiendis pudorem pro! quanta remuneraris gloria, pace, gaudio ac animi voluptate!

Sabbato.

Repete praecedentem meditationem.

NB. Si pauciores quam sex hebdomadae fuerint inter Epiphaniam et Septuagesimam, meditationes ibi omissae huc transferantur et ante ultimam Dominicam post Pentecosten assumantur.

Dominica XXIV.

seu ultima post Pentecosten.

Signa judicium praecedentia.

(Luc. 21.)

Vide medit. Dom. I. Advent. pag. 293.

Feria II.

De partibus sacramenti poenitentiae.

PUNCTUM I.

Deus voluit, ut actus ipsius hominis essent partes hujus sacramenti. Sunt autem tres. Prima est *dolor animi*, eo quod Deum offenderimus. Dolor imperfectus seu *attritio* procedit ex timore inferni aut alterius poenae, ab ultore Deo infligendae, aut ex motivo spei coelum obtinendi. In isto dolore *imperfecto* non sistendum, sed cura omnis adhibenda, ut ad *perfectum* enitamur, qui ex caritate Dei super omnia nascitur et *contritio* nuncupatur. Permagni autem, ut major in nos fructus redundet, interest, esse ardentissimam et inflammatam attenta consideratione bonitatis Dei, aliarumque sine numero et fine perfectionum ejus, quem toties et tam graviter per nostram ingratitudinem et malitiam offendimus.

Si autem hoc motivum contritionem non eliceret, profecto exiguum Dei amorem, exiguam erga eum gratitudinem, imo cor haberemus saxo durius.

Ita plane est, mi Deus: si vel mica fidei adhuc residet in me: si credo, quod Patrem amantissimum, quod Deum infinite bonum, infinite amabilem tam atro-

citer offenderim, oportet sane, ut summum dolorem eliciam et viduae instar *luctum unigeniti faciam mihi et planctum amarum.* (Jerem. 6, 26.) Deinde si rite perpendo, quod peccata mea fuerint causa passionis ac mortis amantissimi Servatoris mei, num minus lacrimarum ego fundam, quam filiae Jerusalem, dum euntem ad Calvariae montem intuebantur? Id certe fieri non potest, Domine, ut motivis adeo efficacibus ad lacrimas non commoveatur cor meum, etsi adamante foret durius. Tu, o Pater misericordiae, tu illud emolli sanguine Filii tui et ex durissima hac rupe salutares poenitentiae lacrimas elice.

PUNCTUM II.

Altera hujus sacramenti pars est *confessio*, quae necessario debet esse 1. *integra*, nihil celando; 2. *simplex et candida*, nihil excusando; 3. *humilis et generosa*, naturalem superando verecundiam, quae difficilem solet reddere manifestationem quarundam circumstantiarum, quae nos confundunt magis, peccati vero speciem mutant.

Ad hoc autem facilius exequendum expedit cum hauriendi ex vera confessione ingentis solatii meminisse, tum ad complanandam statim initio difficultatem ex mente S. Bonaventurae confessionem auspicari a peccato, cujus maxime nos pudet. Hac ratione viam ad reliqua facilius detegenda sternemus et potentissimo inimicorum prostrato debiliores haud aegre profligabimus: uti caeso Goliath reliquas Philisthaeorum phalanges David nullo negotio profligavit.

Anima mea, quam foecundus pacis, solatii et tranquillitatis fons tibi est talis confessio! Quantum angelis gaudium, Deo honorem parit! Imaginare tibi, ut olim a a Josue ad Achan, dici ad te: *Fili mi, da gloriam Domino Deo et confitere, quid feceris: ne abscondas.* (Jos. 7, 19.)

Hanc tibi gloriam dabimus, Domine, et nostra confitebimur peccata, at feliciore quam Achan eventu; iste enim post furti sui confessionem lapidibus fuit obrutus, me vero post meam clementissime dignaris absolvere

et datam a sacerdote, vicario tuo, absolutionem eodem momento in coelis ratam habere.

Hominem igitur, ad cujus pedes sarcinam scelerum meorum depono, intueri oportet non ut hominem, sed ut ministrum Jesu Christi, divina ejus auctoritate insignitum. Tibi, Servator amantissime, peccavi: *tibi confitebor adversum me injustitiam meam* (Psal. 31, 5.): tu per os ministri tui clementissimam pronuntias sententiam: *Ego te absolvo* et antiquam me inter et Patrem tuum restauras amicitiam.

PUNCTUM III.

Ultima et ad sacramenti integritatem necessaria pars est *satisfactio*. Ad hanc debito modo praestandam opus est, ut, antequam confessarii tribunal accedam, paratus sim omnia exequi, quae mihi injunxerit seu ad medicinam peccato faciendam, seu ad satisfactionem offenso Numini praestandam. Medicus est ac judex: aequum igitur est, quidquid praescribit, exequi.

Davidem ergo imitare, anima mea, dicentem Deo: *Ego in flagella paratus sum* (Psal. 37, 18.), quibus tua misericors justitia me castigabit. Ut autem aequiore animo illa feras, meminisse juverit acerbissimae illius poenitentiae, quam Christus in passione sua pro tuis subiit peccatis.

Quis enim rigor poenitentiae meae possit, o Jesu, comparari crudelissimae *flagellationi*, quam ad expiandas voluptates meas sustinuisti? *coronae spineae*, qua in poenam superbiae meae redimitus fuisti? ponderi *crucis*, quam portasti ad satisfaciendum pro mea effraeni licentia, qua onus mearum obligationum excussi? Tu ipsa eras innocentia: et pro nocentibus voluisti atrocissima quaeque et mortem sustinere: ego nocens, ut propria expiem peccata, nihil pati velim? Ah! lubens patiar et, quamcunque mihi poenitentiam minister tuus imposuerit, perlibenter adimplebo, ut justitiae Patris tui satisfaciam. Id sane desidero et hoc armatus desiderio, nec non tuo (ausim ita loqui) animatus exemplo id unum timeo, ne justo indulgentius habear.

Feria III.

De gratiarum actione post confessionem.

PUNCTUM I.

Amat Christus nobis beneficia conferre: at cupit quoque gratitudinem a nobis referre. Decem olim sanavit a lepra: at aegre tulit, quod ex decem mundatis unicus redierit gratias Christo agens. Hujus exemplo, postquam a lepra peccatorum fuerimus mundati, revertamur ad sanationis auctorem Christum, humillimas pro tanto beneficio grates persoluturi. E sacro tribunali, ubi gratiam reconciliationis cum Deo feliciter accepimus, sine mora ad templum properemus, ubi supremus pacis mediator residet. Ibi ad pedes ejus per tempus aliquod prostrati, pro eximio absolutionis beneficio tota virium et gratae mentis contentione illi et divino ejus Patri Davidicum illud canticum laudis persolvamus:

Benedic, anima mea, Domino, et omnia, quae intra me sunt, nomini sancto ejus. Benedic, anima mea, Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus: qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas: qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in misericordia et miserationibus: qui replet in bonis desiderium tuum: renovabitur ut aquilae juventus tua. Miserator et misericors Dominus, non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis. Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras. Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum. (Psal. 102, 2—14.)

Hi mei sunt sensus et affectus de tua in hoc sacramento misericordia, o Deus: et quae possit esse major, quam tuis gratiae donis cumulare ingratum, uti me cumulas? Ne autem daemon illam auferat, tua eam protectione conserva: sic immortalem reddes et tuam liberalitatem et meam gratitudinem.

PUNCTUM II.

Gratiarum actionem excipit *satisfactio* seu injunctae persolutio poenitentiae: hanc prompte et fideliter ex-

solvere non obscurum grati animi argumentum est; differre, ambiguum; quis enim grato esse animo illum asserat, qui negligit solutionem debiti, quod Deus partem plurimam nobis remittit, contentus, si levi poena aeternas Orci poenas redimamus? Profecto ingratissimi essemus, Domine, si praescriptam a misericordia tua solutionem procrastinaremus.

Peragenda autem haec satisfactio est ex motivo poenitentiae, humilitatis, obedientiae ac amoris: ita nempe comparatus est, qui vere sua peccata detestatur et omnes ejus reliquias cupit abolere. Certe ista animi dispositio sanctum sui ipsius odium producit in poenitente, eumque ad majora, quam imposita fuerint, poenitentiae opera impellit, ut illatas Conditori suo injurias suo in corpore ulciscatur.

Accende, o Deus, in corde meo sanctum hunc ultionis spiritum: debilem naturam in sacris poenitentiae operibus corrobora, ut ea constanter persequar et tuae satisfaciam justitiae solvendo saltem aliquam ingentis, quo tibi obstrictus sum, debiti partem: ad hoc paratus sum: at *patientiam habe in me: et omnia reddam tibi.* (Matth. 18, 26.)

PUNCTUM III.

Circa tertium gratitudinis actum, seu firmum animi propositum non peccandi de caetero, cogitandum, quod Christus nobis, ut olim sanato apud piscinam, dicat: *Ecce sanus factus es: jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* (Joan. 5, 14.)

Et vero, teste quotidiana experientia et vetere paroemia, *pejor est morbo recidiva morbi*, illa praesertim, quae immediate confessionem sequitur. Quanta autem animae ingratitudo est, quae vix in Dei amicitiam recepta, tam parum illam aestimat, ut statim eidem renuntiet et eodem forsan die ignominiosam daemonis servitutem praeponat!

Superi! num autem adeo prodigiosa ingratitudinis et humanae naturae monstra reperire sit in orbe? reperire est eheu! quam innumera, o Deus: et (quid enim dissimulem?) ex eorum numero et ego fui, qui ab accepta vixdum venia peccatorum ad eadem redii. Tantamne

ingratitudinem abjectissimo terrae vermiculo, cui tantillum obstrictus forem, unquam exhiberem? Heu! Domine! quantum me pudet mei! neminem in orbe, puto, tam inurbane tractarem, quam te. At certe majorem posthac fidelitatem et gratitudinem tibi praestabo.

Ita sane juro, Domine, et sincero corde juro, in hujus rei testimonium assidue posthac mihi ipsi invigilabo, maxime post peractam confessionem. Grato semper animo recolam factam mihi reconciliationis gratiam, summaque cura conservare satagam, unicum tuae gratiae et amicitiae gradum omnibus naturae commodis semper antepositurus.

Haec praesens cordis mei dispositio, tuae, o Deus, est partus bonitatis, et sanctum semen: ut fructum ferat, tuum est dare: et dabis id, spero, honori misericordiae tuae, et volupe tibi erit videre, quod *fructus faciam dignos poenitentiae.* (Matth. 3, 8.)

Feria IV.

De necessaria ad s. Communionem praeparatione.

Vide medit. Sabbato post festum Corporis Christi. Part. I. pag. 397.

Feria V.

De Communione spirituali.

Vide medit. Feria VI. post Dom. Ss. Trinitatis. Part. I. pag. 394.

Feria VI.

De gratiarum actione post s. Communionem.

Vide medit. Feria II. infra Octav. Corp. Christi. Part. I. pag. 403.

Sabbato.

De poenis purgatorii.

PUNCTUM I.

Immutabili lege statuit Deus neminem in coelum admittere, nisi culpam, pro qua in hoc orbe non satisfecit integre, luat prius in purgatorio; *in coelum* enim *non intrabit aliquod coinquinatum.* (Apoc. 21, 27.) De

hoc indubitato catholicae fidei dogmate attente duo perpendam.

1. Si adeo exacta et severa est Dei *justitia*, cur ego tanta erga me utor indulgentia? cur debita mea, ne rigidissime luere cogar in purgatorio, non solvo potius in mundo per opera poenitentiae, quae leviora sunt, meritum et gloriam in coelo augent?

O Agne Dei, *in cujus sanguine stolas* seu animas suas *justi lavant et dealbant!* (Apoc. 7, 14.) tam vivum, tam efficacem iniquitatum mearum dolorem mihi infunde, ut lacrimae meae pretiosissimo sanguini tuo commixtae me penitus emundent.

2. Si *sanctitas* Dei tantam requirit animarum puritatem, cur non fugio minimas animae meae labes? cur non sollicite levissima evito peccata? Quamquam, o Deus, quis *leve* dicat, quod divinae majestati tuae adeo displicet? Et sane venialia peccata vehementer tibi displicere necesse est, cum ea in animabus tibi dilectissimis tolerare non possis, punias dilatione beatitudinis aeternae, poenis castiges atrocissimis: ut mox videbimus.

PUNCTUM II.

Poenam *damni* et *sensus*, quam damnati in Orco patiuntur *aeternum*, animae in purgatorio sustinent *ad tempus*.

Poenam *damni* sustinent, quia privantur beatifica Dei visione, cujus miro tenentur desiderio: cujus intensissimo flagrant amore: cui ocius uniri exoptant quam ardentissime, sed continuo repelluntur.

Summe Deus, quantum animae tormentum est ab infinita pulchritudine tua semper rapi ad te, et inde a tua justitia semper retrahi! Et hoc est animae supplicium, quae vel negligenter te quaerit in vita, vel non curat sua penitus expiare peccata.

Poenam quoque *sensus* patiuntur animae purgantes, dum terribili excruciantur *igne*, qui ejusdem cum infernali igne est naturae et efficaciae, cui usualis noster ignis comparatus non nisi pictus est ignis: igne, *quem flatus Domini sicut torrens sulphuris accendit* (Isa. 30, 33.): igne, qui a divina Nemesi super omnes naturae vires evectus, in ipsas desaevit animas, ut *purget et colet eas quasi aurum et argentum.* (Malach. 3, 3.)

Si (de quo dubitare non licet) purgatorii poenae omnia omnium ss. martyrum tormenta multum superent, num prudenter, ut ista effugerem, leve et breve martyrium poenitentiae declinarem? Nonne mortalium forem stultissimus, si, ut frivolas secter delicias, voluptates, gaudia, periculo me objicerem combustionis? Quanta ergo dementia, ultro se objicere intolerabilibus purgatorii flammis et cruciatibus?

Nec solatii quidquam his animabus asperges, si dicas, quod non sint absque omni levamine et solatio, cum poenas earum mitiget spes certae beatitudinis, frequens angeli custodis, ut soletur miseras, visitatio. Frustra, inquam, haec et similia illis oggeres solatiola; dicent enim cum Tobia caecitate percusso: *Quale gaudium nobis erit, quae in tenebris sedemus, et lumen coeli non videmus* (Tob. 5, 12.), ignivomo detentae ergastulo?

Quis tuam non timeat justitiam? quis tua, o Deus, non formidet judicia? quis non totis viribus curet minima vitare peccata? quis levia posthac dicat, quae meo me privant Deo et visione beatifica, Deum vero cogunt toto justitiae pondere in me animadvertere? Confer mihi, Domine, summum vel minimae labis, quae majestati tuae displicet, horrorem: confer salubre mei ipsius odium, quo ad sancta poenitentiae opera exstimuler: denique ardentem tui amorem mihi confer, qui me perfecte emundet in hac vita, ut ad me purgandum opus non habeam igne purgatorio in altera.

PUNCTUM III.

Animae purgatorium utique patienti, et in Dei voluntatem resignato sustinent animo: per hoc tamen non eximuntur a gravissima poena *sensus*, seu horribilium tormentorum, quibus liberari cupiunt quam ardentissime. Tria sunt incitamenta, quibus vehementer impellor, ut per meas preces, poenitentias, et suffragia Ecclesiae illarum liberationem promoveam.

1. Per hoc rem Deo gratissimam praesto, quia ultricem virgam manibus, ut ita dicam, divinis extorqueo. Benignissimus Pater est, filios non castigans, nisi invitus. O quam potens et efficax animabus in purgatorio subveniendi haec ratio est te amanti, o Deus!

2. Modico prorsus sumptu ac labore ingens obsequium exhibeo electis, Dei amicis, qui summis in cruciatibus se ipsos juvare non possunt.

Audisne, anima mea, horrendos eorum clamores, suspiria et ejulatus? tuorum forte parentum, consanguineorum et amicorum? *Miseremini mei*, clamant continuo, *miseremini mei*, *saltem vos amici mei*, *quia manus Domini tetigit me.* (Job. 19, 21.) Cautes sit oportet, qui his clamoribus non commovetur ad opem ferendam.

3. Mea quoque ipsius utilitas et lucrum agitur. Si aliquando in eadem damnatione ac poena sim futurus, vicem reddet Deus, excitaturus, qui mihi subvenient; *misericordes* enim *misericordiam consequentur.* (Matth. 5, 7.) Ipsae praeterea animae, si per me ad Dei conspectum maturius promoveantur, gratas se mihi exhibebunt, mei apud Deum patroni erunt, aliis hominibus cogitationem ingerent sua pro me suffragia et satisfactiones offerendi, uti ego pro ipsis feci. Quo plura mihi subtraxero, et ultro animabus defunctorum cessero, eo majores meriti, gratiae et gloriae thesauros congregabo.

Tibi igitur, Domine Deus, pro his sanctis animabus offero mea jejunia, preces, lacrimas, omnesque satisfactiones. Dignare omnes operum meorum fructus illis applicare: melius, quam ego, eos merentur. Abunde sum felix, si aeternam earum beatitudinem unico dumtaxat momento possim accelerare. Exiguum est, fateor, et nimis quam exiguum est, o Deus, quod offero, longe plura, si haberem, pro tuis oblaturus amicis, ut magnitudinem mei erga te amoris et firmissimae fidei meae testatam facerem, qua veritatem a te revelatam certissime credo, quod *sancta et salubris sit cogitatio pro defunctis exorare*, *ut a peccatis solvantur.* (II. Machab. 12, 46.)

Dominica I. Adventus.

De judicio universali. Erunt signa in sole et luna etc.

(Luc. 21, 25. sq.)

PUNCTUM I.

Horrificam signorum, quae universale mundi judicium praecedent, scenam mihi ob oculos ponam. Teste Christo *sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum* (Matth. 24, 29.), sed, ut Joël propheta ait (2, 31.), *sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem.* Praeterea *stellae cadent de coelo, virtutes coelorum commovebuntur.* Erunt terrae motus horribiles, et ingentes hiatus. Fluctus maris inter sese collisi horrisonum edent fragorem: aër totus tonitruum, fulgurum et fulminum reboabit fremitu: belluae omnes suis egressae nemoribus ac spelaeis omnia ululatibus complebunt et terroribus. Quid mirum, o Deus, si, quod praedixisti, ob tantam naturae totius perturbationem *prae timore arescant homines?* Et *haec* tamen *sunt* tantum *initia* et praeludia *dolorum.*

Multo atrociora sunt magisque horrenda, quae his signis denotantur; quid enim est confusio universi, si cum inferno comparetur, ubi *nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat?* (Job 10, 22.) Quid sol obscuratus cum aeternis Orci tenebris comparatus? Quid luna in sanguinem versa, si cum horrifica irati Numinis justitia conferatur? Quid aliud sunt aut portendunt stellae de coelo cadentes, nisi viros celebres e coelo Ecclesiae in Orci abyssum praecipitandos? Heu! quanto ferocius, quam belluae omnes suis e cavernis dilapsae, in peccatorem furent daemones vinculis soluti!

Poterisne, anima mea, terribilem hanc universi perturbationem abs horrore intueri? Imo mille peccatorum ego reus coram te, Domine, qui fieri possit, ut non totus cohorrescam? Si autem innocens forem, justus, tibique placens, non esset, quod formidarem, licet fractus illaberetur orbis: non modo impavidum ferirent ruinae, sed spem meam augerent, in dulcissimis Filii tui verbis fundatam: *His autem fieri incipientibus respicite, et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra,* et finis laborum.

PUNCTUM II.

Adhuc majori attentione considerabo horribilem illum *ignem*, qui ex quatuor mundi partibus exurgens totum hoc universum cum omnibus, quae in eo sunt, misere depascetur: tunc implebitur prophetia Joëlis (2, 3.): *Ante faciem ejus ignis vorans, et post eum exurens flamma: quasi hortus voluptatis terra coram eo, et post eum solitudo deserti, nec est, qui effugiat eum.* En finem vestrum, inania magnificentiae humanae monumenta, sumptuosa regum palatia, throni, viridaria etc. en finem vestrum! praeda, et esca flammarum eritis.

Quod autem huic igni, quem divina Nemesis succendent, prorsus peculiare est: Factori suo, ut Sapiens ait, deserviet in tormentum adversus injustos crudelissime velut initium gehennae exarsurus jam ante damnationis sententiam: hac autem vix pronuntiata totos, rapidi instar fluvii, involvet, et secum trahet in tartara: corpora vero justorum purgabit et illustriora reddet.

Ah! ex horum, non illorum, numero tunc esse quam optandum est! Ut autem sorte tam beata dignus fiam, quid agere possum, Domine? Imo eam neque spero, neque expecto aliunde, quam ex meritis Filii tui Jesu Christi: per quidquid iste pro me passus est meritusque, supplex te rogo obtestorque, ut meorum mihi veniam peccatorum, simulque efficaces largiaris gratias ad id necessarias, ut electis tuis aliquando accenseri merear.

PUNCTUM III.

Quandonam autem terribilis haec dies illucescet? Respondet Christus: *Superveniet repentina dies illa.* Et: sicut factum est in diebus Noë et Lot, ubi diluvium toti humano generi, ubi ignis de coelo lapsus Sodomitis repente ac nil tale opinantibus supervenit. Quibus autem rebus tunc maxime occupabantur homines? lusibus, nuptiis, comessationibus.

Numquid hoc ipsum, mi Deus, hodierno videmus saeculo, extremi ita oblito judicii, ac si tempora Noë et Lot viverentur? Nec pestes, nec bella, nec terrae motus, totque aliae coeli admonitiones gravem complurium torporem ac lethargum possunt discutere, quo

sepulti jacent jacebuntque usque ad adventum Christi, mundum judicaturi.

Felices sane illos, qui perverso huic mundo non adhaerent, nec torrente impiorum se abripi sinunt! Quam immensum tibi, Deus, devincti sunt, quos penitus a mundo abstraxisti! Quantum, ut bonitati tuae ac suae vocationi respondeant, ipsis continuo advigilandum! quam sollicite tuus ipsis expectandus est adventus! imparatos nunquam opprimet, qui orationibus et bonis operibus se quotidie praeparant.

Feria II.

Causae judicii universalis.

PUNCTUM I.

Causa prima est, ut non tantum sententiae in judicio particulari latae aequitas coram toto mundo confirmetur, sed, quod illi judicio defuit, suppleatur; ibi enim solum de anima, non item de corpore judicium et sententia ferebatur. Non raro autem contingit corpus impii magnifico honorari mausoleo, corpus vero justi sine honore tumulari.

Fas igitur erat, Domine, aeque corpus ac animam a tua justitia vel ignominiose damnari, vel coronari, prout cum anima aut justitiae serviit, aut iniquitati. Quam aequum est ergo, ut anima et corpus acquirendae sanctitati sociam jungant operam. Si in hoc tua agitur gloria, animae simul et corporis interest, cum utriusque communis sors sit futura.

O quantum tunc exultabimus, imperio rationis et gratiae corpus et animam, carnem spiritui, spiritum Deo et ejus legi perfecte subjecisse, et carnem austeris poenitentiae operibus edomuisse! O quam large corpus et anima tunc remunerabuntur! Contra quam acerbo, at sero ac inutili dolore replebimur, quod animabus nostris omnem dissolute vivendi licentiam, corporibus vero otium, sensualitatem, voluptates concesserimus.

Tunc enimvero juvabit, o Jesu, tui agnoscere effati veritatem: *Qui amat* immodice *animam suam, perdet eam: et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam*

aeternam custodit eam. (Joan. 12, 25.) Quamquam quid proderit hanc veritatem tunc agnoscere, ubi tempus non erit amplius fructum ex ea percipiendi? Jam nunc igitur ex illa, quia summi est momenti, conficiamus materiam meditationis, non autem *speculativae* ac sterilis, sed *practicae:* et hic erit fons immortalis gloriae, in corpus simul ac animam nostram redundaturae.

PUNCTUM II.

Causa secunda est, ut Deus suae circa bonos et malos gubernationis existimationi consulat, ac boni causam non habeant conquerendi de oppressa virtute sua: mali autem gloriandi de victoria et applausibus, quos in mundo ob sua vitia retulerunt.

Quam manifeste tua justificabitur providentia et ratio mundum gubernandi, o Deus! Quam admirabiles, quia modo occultae ac investigabiles, ejusdem viae, fines et causae coram toto mundo prodibunt in lucem! Quanta fiet scenae mutatio cum in justis olim contemptis, tum in sceleratis omni honorum genere in vita affectis! Quantum confundentur et erubescent, qui non abhorruerunt ausu temerario divinam carpere providentiam, et ante tempus praemio aut poena dignos judicare, quorum interiorem statum ignorabant!

Sequamur ergo monitum Apostoli: *Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus: qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium.* (I. Cor. 4, 5.)

Humili subjectione adoremus semper et in omnibus divinam glorificemus providentiam: filiali cum amore et fiducia in ejus brachia nos conjiciamus totos, expectantes magnum judicii universalis diem, ut investigabiles ejus vias et dispositiones intelligamus.

PUNCTUM III.

Causa tertia est, ut gloria Jesu Christi non tantum justis in coelo, sed etiam impiis in terra, ubi ejus ignominiae et humiliationes fuerunt publicae, palam innotescat. Hac de causa judicium universale instituetur *in valle Josaphat* prope Jerusalem et montem Oliveti, ut, ubi ipse fuit ignominiosissime judicatus et more scelerati ad mortem turpissimam condemnatus, ibidem omnes videant

in throno sedentem summa cum majestate et gloria *judicem vivorum et mortuorum.*

Quanto sola hujus rei cogitatio afficit gaudio, qui vel modice tuis delectantur honoribus et commodis, o Jesu! Et quis non delectetur, si te diligat? aut quis non diligat te, si meminerit, quanta ejus amore sustinueris opprobria?

Quam terrificus autem tuus, Domine, erit aspectus illis, qui eo furoris ac dementiae sunt prolapsi, ut te tamquam sceleratum tractarent! Legent illi in sacratissimo vultu tuo claras virtutis notas, quae tuam ipsis innocentiam utique ad oculos demonstrassent, nisi hos, sua excaecati passione, luci meridianae ultro occlusissent.

Quam immensa erit fidelium animarum laetitia, quibus licebit triumpho sponsi assistere, et eum intueri, inimicos suos pedibus calcantem et sua auctoritate adigentem, ut palam coelo et terra fateantur, eum verum esse Israelis regem, quem ingratissimi *nolebant regnare super se.* Et nos igitur cum hisce justis tantam Servatori nostro congratulemur gloriam, anima mea: exemplo Davidis omnes invitemus creaturas, ut *exultent a facie Domini, quoniam venit judicare terram: judicabit orbem terrae in justitia, et populos in aequitate.* (Psal. 7, 9.)

Feria III.

De resurrectione mortuorum et judicis adventu.

PUNCTUM I.

Mortuos omnes ad vitam redituros fides docet. Horribilem illam vocem: *Surgite mortui, et venite ad judicium,* tubae instar edet archangelus. Mare reddet mortuos, quos absorpserat: reddet terra, quos deglutierat: reddet mors, quos in pulverem jam redegerat. Omnipotentia Dei omnibus vitam et priorem corporum formam reddet momento.

Omnes tunc comparebimus, at quanto discrimine! ita sane Apostolus: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur* (I. Cor. 15, 51.), in homines nimirum coelestes.

Superi! quantum fulgebunt corpora electorum! quanta erit eorum exultatio de felici immutatione sua!

quantum gaudebunt, concordi studio ad obtinendam hujus diei felicitatem animabus sociam in vita operam junxisse! E contrario quam foeda, quam horrida erunt corpora reproborum! quanta erit confusio et horror animarum, in his corporibus, velut novo quodam inferno, rursus includi! Quam acerbus erit utrorumque dolor, quod mutuis obsequiis fuerint instrumenta aeternae infelicitatis suae!

Nonne satius est, anima mea, continuum tuo corpori bellum nunc indicere, ut perpetua cum eo pace tunc fruaris, quam eidem blandiri, et blandiendo perenne cum eo bellum serere? Largire mihi, Domine, sanctum mei ipsius odium, mortificationem sensuum, amorem austeritatis ac poenitentiae, quae corpus cruciat, ut simul cum anima solidam aeternamque obtineat felicitatem.

PUNCTUM II.

Considera 1. adventum judicis e coelo descendentis, ut in solio justitiae sedeat. 2. Majestatem personae. 3. Comitatum, quem ei tota curia coelestis et innumeri praestabunt angeli. 4. Signum Filii hominis, seu regium s. crucis vexillum, admirando fulgens splendore. 5. Sedentem in throno ad latus divini judicis gloriosissimam ejus matrem, tanto dignam honore in valle Josaphat, quia et ejus opprobriorum fuit particeps in monte Calvariae. 6. Paulo inferius sedentes in thronis duodecim Apostolos, ut juxta promissionem Christi judicent duodecim tribus Israel.

O triumphalem ac perhonorificam tibi diem, mi Redemptor, qua Pater, uti promisit, *omnia subjiciet pedibus tuis* (Psal. 8, 8.): qua *ponet inimicos tuos scabellum pedum tuorum* (Psal. 109, 1.): qua etiam obstinatissimos coget genua ante te flectere, et *confiteri, quod sis in gloria Dei Patris.* (Philip. 2, 11.) Quam diversos animorum motus in justis ac impiis excitabit splendor divini vultus tui, splendor tuae crucis et quinque vulnerum, splendor matris tuae!

Quam jucundum tunc erit Jesum amasse crucifixum, cum ipso crucem portasse, tenera et constanti devotione Deiparam coluisse, vitam duxisse Evangelio, legibus et consiliis Jesu Christi conformem, et ejus amore omnia reliquisse!

Vere beati pauperes spiritu, quia futuri Apostolorum socii et collegae, ut cum illis sententiam supremi judicis et impiorum damnationem confirment, dum ipsos interea merae laudes, elogia, benedictiones, coronae manent!

PUNCTUM III.

Antequam judex sententiam pronuntiet, angeli separabunt malos de medio justorum, *sicut pastor segregat oves ab haedis.* (Matth. 25, 32.)

Mundus iste, et in eo Ecclesia est ovile, in quo oves Jesu Christi immixtae sunt diaboli haedis, electi reprobis. Utrique separabuntur in die judicii: reprobi a sinistris, electi statuentur a dextris; quanta hi felicitate, quanta illi infelicitate!

Quamdiu in mundo es, parum refert, anima mea, an sis ex parte dextra, an sinistra: dives, an pauper, loco sublimi, an abjecto: an prospera, vel adversa utaris fortuna: in eo solum rei et felicitatis cardo vertitur, ut in fine mundi ad dexteram tribunalis divini colloceris.

Sortis adeo faustae ut particeps fiam, divine animarum pastor, jam nunc desidero de ovium tuarum numero esse, cum illis tuam audire et sequi vocem, tuae me totum tradere providentiae, ovium patientiam ac mansuetudinem aemulari: quae si per gratiam tuam exercuero usque ad vitae finem, non erit, quod in die judicii timeam.

Feria IV.

Sententia judicis.

(Matth. 25, 34. sq.)

PUNCTUM I.

Aperietur liber conscientiarum, in quo clarissime totus leget mundus, quae fecerit quisque bona, quae mala. Tunc judex sententiam feret, et quidem primo in electos. *Venite*, dicet blanda et dulci voce, *venite, benedicti Patris mei: possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi; esurivi enim, et dedistis mihi manducare etc.*

Oportet autem enucleatius singula hujus sententiae verba ponderare.

Venite de monte Libano, qui est Ecclesia mea, ubi sacro baptismatis fonte irrigati ad instar cedrorum in

omni virtutum genere crevistis. *Venite, de tribulatione magna, quoniam lavistis stolas vestras, et dealbastis eas in sanguine* meo. (Apoc. 7, 14.) *Venite* jam, ut praemia laborum referatis. *Venite post me*, dicebam olim, vos ad crucem, labores, pugnas et tribulationes vocando. Hodie ad quietem, ad gaudia, ad triumphos, ad gloriam voco. *Venite.* O quam dispar haec vocatio ab illa! Quam jucundum est primae fideliter respondisse!

Benedicti, non ab Abraham, Isaac, aut Jacob, sed *benedicti* a Patre meo, *qui benedixit vos in omni benedictione spirituali in coelestibus.* (Ephes. 1, 3.) O amabilissima, o dulciora omni melle verba!

Possidete paratum vobis regnum, non terrenum, sed coeleste: *regnum*, quod non jam oportet occupare pugnando, sed possidere fruendo: *paratum* ex misericordia et beneplacito Patris mei: idque jam *a constitutione mundi*, quando praeparabat coelos. *Paratum* non solum angelis, sed et *vobis*, et quidem prae tot millies mille aliis ex infinito amore, quo vos dilexi. *Esurivi enim* etc. Possidete ergo hoc regnum tamquam donum misericordiae meae erga vos, et tamquam praemium vestrae erga pauperes, aut verius erga me in persona pauperum; *quamdiu fecistis* enim *uni ex his mihi fecistis.*

O felix caritas, quae Jesum Christum facis tuum debitorem, regnum coeli vero tuum praemium! Vere *beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* (Matth. 5, 7.)

PUNCTUM II.

Deinde conversus ad impios judex fulgurantibus prae justo furore oculis, tonante ac tremenda voce dicet: *Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus; esurivi enim, et non dedistis mihi manducare etc.* Singula iterum fatalis sententiae pensemus verba.

Discedite a me. En *poenam damni*, seu perpetuam a beatifica Dei visione exclusionem. *A me*, cujus amicitiam, sanguinem, gratias contempsistis, posthac vero inimicitiam dumtaxat, furorem, vindictam sentietis aeternum. *Maledicti* per omnia: maledicti in anima, maledicti in corpore, maledicti in sensibus, in loco, in sociis,

maledicti per omnia, et maledicti vestra culpa. *Dilexistis maledictionem: et venit vobis; noluistis benedictionem*, a me vobis oblatam: et *elongata est a vobis.* (Psal. 108, 18.) Irrugite, ut Esau, clamore magno, et flentes dicite Patri meo: *Numquid non reservasti et nobis benedictionem? Num unam tantum benedictionem habes, Pater?* (Gen. 27, 36. 38.) At incassum clamabitis: nullus vobis superest Pater, nulla benedictio.

O Jesu, qui *factus es pro nobis* (in cruce) *maledictum* (Gal. 3, 13.), ut nos a maledicto culpae ac poenae aeternae redimeres, fac, ut haec sancta intentio tua et finis incarnationis tuae suum in me sortiatur effectum.

Quorsum autem miseri et maledicti discedent? a te, mi Deus, qui fons es omnis boni, a te separati quo ibunt? ubi asylum invenient aut refugium? *Discedite*, ait, *a me in ignem aeternum* etc. En *poenam sensus. In ignem aeternum*, qui vos sine ulla intermissione horrendum torquebit sicut diabolos, quorum rebellionem imitati estis. *In ignem, qui paratus est diabolo et angelis ejus* in poenam rebellionis: vos autem ultro in illum per peccata vestra ruitis, praecipue per crudelitatem erga pauperes, in quibus me noluistis pascere; *esurivi: et non dedistis mihi manducare etc.*

Res terribilis! res admirabilis! At nonne res aeque mira est videre Christianos, qui profitentur, se has terribiles credere veritates: neque tamen vivunt sanctius? Et an non ipse de eorum sum numero?

PUNCTUM III.

Sententia judicis vix prolata, momento citius dabitur executioni. Terra igitur sub impiorum pedibus repente dehiscens miseros una cum diabolis subito absorbebit, ignivoma Orci abysso aeternum contumulandos. Beati interea ovantes comitabuntur ascendentem in coelos judicem, ubi suis ipse manibus eos coronabit, illi vero misericordias ejus in aeternum decantabunt. Et hic exitus est extremi judicii, de quo Christus: *Et ibunt hi* (scilicet reprobi) *in supplicium aeternum, justi autem in vitam aeternam.*

Brevis est hic sermo, at sensu plenus, et sufficiens in omnem vitam materia meditationum. *Ire in supplicium*

aeternum: et: *ire in vitam aeternam*, cujus beatitudo durabit, quamdiu durabit Deus, qui hujus beatitudinis causa, fons et basis est: quid, obsecro, leve aut modicum est in utraque sorte? Meum jam est unam mereri, alteram effugere. Et vero, aut fidei aut rationis lumen amisi, nisi in id totis viribus incumbam.

At eheu! quam infirmae sunt, nisi tu corrobores, amantissime Servator! Quamdiu hoc suave nomen et officium adhuc geris, tuae thesauros misericordiae in me, pauperculum quidem, at confidentem in te solo servulum, larga manu deplue; ubi enim personam judicis indues, tempus non erit amplius tuam implorandi misericordiam. Cum igitur clementissimum dumtaxat Servatorem hodie intuear, filiali cordis affectu ad pedes tuos provolutus, tuum imploro auxilium, demississime supplex, ut tuae fructum passionis mihi applicare digneris, meque ad praefixum sanctitatis gradum promovere, ut cum electis tuis ad aeternam mercedem a Patre tuo vocari merear. *Voca me cum benedictis.*

Feria V.

Christus Jesus, rex noster, ad sui imitationem nos invitat.

PUNCTUM I.

Aeternus Dei Filius, qui in tempore humanam carnem assumpsit, factus est *rex noster*, ut ipse testatur apud Davidem: *Ego constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, praedicans praeceptum ejus.* (Psal. 2, 6.)

Admiremur infinitam Dei Patris caritatem, eo quod ad nos gubernandos regem delegerit adeo perfectum, proprium scilicet Filium. Quia est Deus simul et homo, universim omnia possidet, quae ad regendos homines sunt perfectissima et subditis utilissima. *Qua homo* eorum miseriis intime tangitur: *qua Deus* omni pollet potestate subveniendi. *Nisi* enim, ait S. Leo Papa, *verus Deus esset, non afferret nobis remedium: et nisi esset verus homo, non praeberet exemplum*, in via virtutis necessarium.

O mi Deus! Ah! rex iste non est similis regibus terrae. Hi arroganter suis dominantur subditis, avare

horum ditescunt tributis et vectigalibus, atrociter leges ipsis imponunt gravissimas, quas ipsimet non servant: neque etiam sat scientiae habent, ut subditos bene regant, nec sat bonitatis, ut velint beatos reddere. Et esto: utramque possideant, deest tamen ipsis solii firmitas; ut adeo, licet vellent, diu subditorum commodis et felicitati prospicere non valeant. Sint throni et sceptra eorum ex auro, argento, aere ac ferro, aetatem non ferent, quia fictili et testaceae basi innixa.

Longe aliter se res habet in te, o rex regum. Omnis tua potestas eo tendit, ut subditos facias beatos. *Propter nos egenus factus es, cum esses dives, ut tua inopia divites essemus.* (II. Cor. 8, 9.) Tu infinite es sapiens, potens, aeternus, et *regni tui non erit finis.*

Quantus igitur honor, gloria, gaudium et securitas tibi servire! Cur autem ego tibi tam parum servire hactenus studui? adeone potui stolidus esse, ut obedientiam tibi praestare detrectarem, cum illis ingrati animi monstris dicens: *Nolumus hunc regnare super nos?* (Luc. 19, 14.) Utique ad tam palmarem stultitiam nollemus unquam delabi: attamen obedientia nostra adeo imperfecta, elumbis ac infirma est, ut merito erubescamus. Eja igitur, anima mea: majore imposterum fidelitate tam bono generose adhaereamus Domino, majori fervore posthac serviamus.

PUNCTUM II.

Perpendamus jam, quem rex hic coelestis sermonem adhibeat, ut nos pertrahat ad sui imitationem.

Ego, inquit, juxta aeternum Patris decretum veni in hunc mundum, ut meis vestrisque hostibus, mundo scilicet, carni ac diabolo, bellum inferam. Qui me in hac gloriosa expeditione sequi statuerit, certus sit, quod 1. nihil sim mandaturus, ubi exemplo prior non praeiverim. 2. Quod nullam actionem sine praemio abire sinam. 3. Quod, si quid laboris et molestiae insit certamini, certissima sequatur victoria, utpote quae in cujuslibet potestate ac manibus est. 4. Quod alia re opus haud sit, quam meis insistere vestigiis, ut ad victoriam, ad palmas, ad triumphos pertingat.

Quid amabo his verbis efficacius? quid his conditionibus possit esse aequius? quid rationi conformius? quid his promissis gloriosius? Si ex sacro hoc bello nullum in nos emolumentum redundaret, nonne ut sequamur abunde sufficeret honor et gratia sequendi ducem ac regem adeo justum, adeo generosum, adeo amabilem? Gedeoni et Abimelecho, statim ac milites suos exhortati sunt: *Quod me facere videritis, hoc facite* (Judic. 7, 17.), absque omni mora obtemperarunt omnes: et ego te, rex meus et Deus meus, non sequar in bello, cujus pericula primus subis, cujus labores ac aerumnas ipsemet exhauris, cujus fructus et praedam mecum dividis?

Ah! Domine, quam immensum tibi obstrictus sum, quod tuorum me reddas consortem lucrorum! Quanta est mea terrae vermiculi felicitas, tam gloriosae adscribi militiae, et quidem sub vexillo ducis, cui totum obtemperat universum! cujus sequendo imperia certus sum de victoria contra daemones, de promovenda Patris divini gloria, de obtinenda beatae immortalitatis corona!

O rex aeterne, immortales tibi grates ago, quod bonitate tam singulari, vocatione tam suavi, rationibus tam efficacibus, velut totidem *funiculis Adam*, *et vinculis caritatis* (Ose. 11, 4.) me ad tuum trahas obsequium. O si hoc homines caperent! nemo unus foret, qui non ambiret ac summo sibi duceret honori sub tuis mereri signis.

PUNCTUM III.

Triplex hominum genus est probe scientium, se a Filio Dei ad imitationem invitari. Quidam tantum non habent animi, ut sequantur, retrahente eos amore terrenorum: his idem continget, quod invitatis at non comparentibus ad coenam: quibus juravit paterfamilias: *Quod nemo virorum istorum gustabit coenam meam.* (Luc. 14, 24.)

Alii coelestem hunc regem re vera sequi volunt, at ex parte tantum, minus liberaliter et sub certis conditionibus, illi similes adolescenti, qui, cum Dei *praecepta* custodisset ab infantia, ubi *consilium* Christi audiit: *Si vis perfectus esse, vade: vende, quae habes, et da pauperibus: et habebis thesaurum in coelo: et veni, sequere me* (Matth. 19, 21.), abiit tristis, non ausus vocantem sequi.

Denique sunt, qui generoso ingenuoque animo se totos offerunt ad sequendum hunc regem non modo in iis, quae *praecepti* sunt, sed etiam, quae *consilii* tantum. Et hi sunt *religiosi*, qui tria solemnia nuncupant vota paupertatis, castitatis ac obedientiae, ad apicem servantes consilia Servatoris, ejusque vestigia usque ad montem Calvariae prementes. Quanto nobis honori est ad statum adeo sublimem vocari! *Magna* enim *gloria est sequi Dominum.* (Eccli. 23, 38.) Si quis autem ad hujusmodi rationem vivendi specialiter vocatus non sit, vocatis sortem adeo beatam sancte invideat, ac ardens concipiat desiderium eadem fruendi per sinceram animi promptitudinem, qua se ad mundum opere relinquendum, ad implendum omne Dei beneplacitum liberaliter offerat, cum Psalmista (Psal. 107, 2.) dicens: *Paratum cor meum, Deus: paratum cor meum* ad implendam omnem tuam voluntatem, praecepta et consilia: tuum dumtaxat beneplacitum in omnibus sequar.

Huic triplici hominum generi quartum licet addere eorum, qui a coelesti rege sunt vocati, non solum, ut ipsi eum imitentur, sed etiam ut alios ad idem permoveant. Superi! quam sublimis haec est vocatio! Quantum Christo Jesu devincti sumus, quod ad eam nos evexerit! Quantum vero per id obligati sumus, ut aliud desideremus nihil, quam Deum glorificare, regnum ejus amplificare, ei animas lucrari!

Feria VI.

Decretum Dei de incarnatione Verbi divini.

PUNCTUM I.

Creator omnium Deus duo genera creaturarum, quae ipsum et agnoscere et amare possent, condidit: *angelum* scilicet et *hominem:* illum in coelo empyreo, hunc in paradiso terrestri posuit. Uterque lapsus est in peccatum, non tamen uterque rigorem justitiae sensit, sed solus in coelo angelus, inde cum innumera complicum multitudine in Orcum praecipitatus, non dato ad resipiscendum momento, aliove remedio. At in lapsum hominem voluit Deus misericordiae suae divitias ostendere, decrevitque

illi veniam delicti dare: ita Apostolus testatur: *Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiae, quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.* (Tit. 3, 4. 5.)

Ita est, o Deus: tuo solum in corde causam et motivum reperio, cur lapso homini clementissime peperceris, non item angelo. In sinu Patris misericordiarum, qui excellentissimis at rebellibus sine numero spiritibus erat clausus, nos homines asylum invenimus. Benedicant te propterea omnes angeli, qui fideles tibi in coelo perstiterunt, Domine Deus: omnem operam et laudes suas conjungant homines, ut concelebrent magnitudinem bonitatis tuae.

O quam belle haec misericordia respondet infinitae sapientiae tuae! Noluisti omnes creaturas intellectuales misere simul perire; et, dum severissime in rebelles angelos, sceleris sui auctores, animadvertisti, commiseratione dignos judicasti homines, quippe imbecilles et invidia daemonis nequiter seductos, et permittere noluisti, ut unica hominis unius culpa totum genus humanum aeterna involveret ruina et damnatione.

O quantos grati simul animi et fiduciae affectus mihi inspirat tuae erga nos misericordiae consideratio! Fierine poterit, ut clementiae, qua me, posthabitis tot coeli principibus, salvum esse cupis, unquam obliviscar? Fierine poterit, ut jure posthac timeam meas tibi infirmitates et miserias, quas ultro fuisti miseratus, manifestare ac fateri, quod sim de limo terrae conditus, furori expositus inimici, qui ideo solum in meam juravit perniciem, quia tuae sum scopus et objectum misericordiae? Ita est, Domine; quod tuum est, quaerit daemon, dum me oppugnat; tua res agitur: tua et gloriae tuae interest, ut me defendas. *Exurge* igitur, *Deus, et judica causam tuam.* (Psal. 73, 22.)

PUNCTUM II.

Medium reparando generi humano a SS. Trinitate praefinitum incarnatio erat Verbi. Utique plura alia in divinae sapientiae thesauris dabantur media, nullum tamen perfectius, nullum magis divinum, nullum homini utilius incarnatione, ita, ut cum Apostolo exclamare

oporteat: *Ubi* ex parte hominis *abundavit delictum*, ex parte Dei *superabundavit gratia.* (Rom. 5, 20.)

Compara modo malum cum remedio, anima mea: et habebis, quod in aeternum admireris. Eo proterviae superbia Adami processerat, ut Numinis divinitatem, sapientiam, absolutum ac independens a Deo rerum omnium affectaret dominium. Vah monstrosam hominis stultissimi praesumptionem! Deus autem insolentem hunc homuncionem adeo non redegit in nihilum suum, ut etiam proterviae dederit veniam, imo, ac si ambitiosum sui vellet damnare voti, in id consenserit, ut Filius ejus, *cum in Dei forma esset*, pro redemptione hominis *semetipsum exinaniret, formam servi* et naturam hominis abjectissimi *accipiens* (Philip. 2, 6. 7.), quo hominem ad supremum usque felicitatis et gloriae apicem, quo vel aspirare poterat, eveheret. Ita sane Augustinus: *Deus factus est homo, quo homo fieret Deus, et virtute Dei incarnati homines dii fierent participatione.*

O incomprehensibile mysterium! o admirabilem ac prodigiosam amoris tui inventionem, o Deus! Quis non cum Moyse exclamet: *O Dominator Domine Deus, misericors et clemens: patiens, et multae miserationis, ac verax: qui custodis misericordiam in milia: qui aufers iniquitatem et scelera atque peccata!* (Exod. 34, 6. 7.) Quas tibi grates pro ineffabili hoc beneficio reddemus? Scilicet profunda cum humilitate consilia et fines tuae misericordiae adorabimus, per nostras humiliationes Filium tuum, qui se amore nostri adeo demisit, honorabimus, ejusque gloriam ipsis humiliatae nostrae superbiae ruinis pro virili inaedificabimus.

PUNCTUM III.

Quantumcunque autem Filius Dei in sua incarnatione se humiliaverit, Dei tamen perfectiones nusquam illustrius quam in hoc ipso ineffabili mysterio elucescunt; quanta enim 1. est *bonitas* Dei, naturam suam adeo perfecte communicantis! 2. Quanta *caritas*, homini tam arcte personalitatem divinam unientis, suum donantis Filium, et cum illo omnes thesauros suos! 3. Quanta Filii *misericordia*, nostras induentis miserias, ut suae nos

felicitatis redderet participes! 4. Quanta elucet Dei *sapientia*, quod *justitiam* adeo bella germanaque cognatione copularit cum *clementia*, ut nec ista pleniorem veniam dare, nec majorem illa rigorem potuerit exigere! 5. Quanta Dei *potentia*, hominem unientis cum Deo, creaturam cum Creatore, mortalem cum immortali! 6. Quam stupenda *sanctitatis* Dei inventio est, homini, ut sanctificetur, ipsum omnis sanctitatis auctorem mittere, qui eidem et exemplar spectabile virtutum, et dux in via perfectionis esset!

O quam magnus es, Domine, in ipsa adeo humiliatione ac exinanitione tua! Quam bonus in ipso justitiae rigore! Quantum tibi, o Fili Patris aeterni, quantum sumus obstricti, quod exsolutionem peccatorum nostrorum ultro in te susceperis et, ut nos Dei filios efficeres, omnes divinitatis tuae perfectiones et attributa impenderis!

Quid non agere oportet, anima mea, ut gratum illi testemur animum? An nos ipsos Deo dare recusabimus, qui se totum nobis tanta liberalitate donat? Si, antequam amore nostri homo sit factus, exegit a nobis *amorem ex toto corde, ex tota anima, ex tota fortitudine* (Deut. 6, 5.), quanto potiori jure eum nunc postulat? cumque *probatio amoris sit exhibitio operis*, quae non signa et argumenta necesse est dare illius amoris, quo erga te, o Deus, ardere cupimus?

Sabbato.

In illa verba: Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret etc.

(Joan. 3, 16.)

PUNCTUM I.

Deus dilexit mundum. Creator omnium, qui utilitatis aut necessitatis ergo opus non habebat quemquam amare extra se, utpote in semetipso infinite beatus, et bonis omnibus affluens, hic, inquam, *Deus, qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem suam dilexit nos.* (Ephes. 2, 4.)

Quid autem dilexit diligendo *nos* et *mundum?* nimirum inimicos, rebelles, ingratos, peccatores, atque adeo amore suo prorsus indignissimos dilexit. Atque per hoc ipsum amor ejus eminet illustrius; teste enim Apostolo *commendat caritatem suam Deus in nobis, quoniam, cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* (Rom. 5, 8. 9.)

O infinita caritas, quam incomprehensibilis es! Quid, obsecro, reperiebas in nobis, o Deus, quod oculos, cor et amorem tuum poterat ad nos convertere? Nil aliud sane in nobis videbas, quam abyssum miseriarum, abyssum malitiae et corruptionis: tuis illam miserationibus, hanc gratiae tuae thesauris replesti.

Benedicta sit in aevum infinita haec bonitas, millies nostro amore dignissima bonitas! Quando tandem te amabimus, o Deus? quando amori reddemus amorem? Vah improbum sane mundum, qui tam negligens et frigidus est in amando Deo, a quo ab omni retro aeternitate fuit adamatus!

PUNCTUM II.

Magni faciendum est, quod Deus dilexerit mundum, et quidem mundum omni amore indignum: quod autem dilexerit illum tanto excessu, *ut* pro eo *Filium suum unigenitum daret*, hoc enimvero effectus est bonitatis prorsus divinae, quem intellectus creatus capere non valet.

Anima mea! Dei erga te amor non in solis positus est verbis, non in pulchris verborum phaleris: est amor efficax ipso opere: et sicut est amor summe perfectus, ita Deum impellit, ut, quod habuit pretiosissimum, nobis daret; unigenitum scilicet Filium suum, sibi in omnibus quam perfectissime aequalem Deum.

O Pater aeterne, quantas possum maximas ago tibi agamque, dum vixero, grates pro infinito excessu amoris, quo impulsus tuum nobis donas Filium, mittisque in mundum, a quo non agnoscendum, imo contemnendum praevides. Ah! noli unquam permittere, o Domine, ut sim de hoc infelice et ingratissimo erga te mundo. Suscipe clementer pia vilis creaturae desideria, sincere cupientis tantum te diligere, quantum prior ipsam dilexisti. Tu, quod habebas pretiosissimum, mihi dedisti: ego

saltem, quod habeo carissimum, tibi trado, *cor meum*, inquam: hoc solum est meum: istud tibi integrum ex asse consecro. Nullam in eo, Domine, affectionem aut amorem unquam tolera, praeterquam erga te.

PUNCTUM III.

Ut Filium unigenitum nobis daret, impulit Deum *finis:* scilicet *ut salvificet mundum* et a daemonis servitute vindicet, nobis infernum claudat, aperiat coelum, suam communicet gratiam, et regni coelestis possessionem tradat.

Tunc aliquando rite expendisti, anima mea, immensas utilitates ac bona, quae Pater misericordiarum per solam Filii sui incarnationem voluit hominibus conferre? Intelligisne, quod Dei Filius humanam assumendo naturam et miserias nos voluerit consortes reddere naturae et felicitatis suae, *ut credentes non pereant, sed habeant vitam aeternam?* (Joan. 3, 15.)

Quibusnam autem animae dispositionibus has ille gratias alligavit? nimirum verae fidei hujus mysterii. Ita plane est: qui firmiter credit mysterium incarnationis Verbi: qui corde ac spiritu sese incarnato unit Verbo: qui infinitis omnipotentis hujus mediatoris confidit meritis: hic, inquam, copiosos, imo aeternos incarnationis fructus colligit; *haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.* (Joan. 17, 3.)

Quam digni et tua infinita bonitate et nostra perenni adoratione sunt fines tui, o Deus! Quam immensum tibi, Redemptor amantissime, sumus obstricti, quod nostras miseratus calamitates ipse coelo descenderis, ut nostra dirumperes vincula, nos in libertatem filiorum Dei assereres, nobis vitam gratiae donares cum mediis adeo opportunis vitam gloriae consequendi! Neutram sine te haberemus: tibi utramque aeternum grati referemus in acceptis. Per te omnis benedictio coelestis descendit: in te et per te eandem, et omnia spero bona. Spei meae vadem habeo te ipsum, dum sancte promisisti, quod *credens in te* fide viva *habeam vitam aeternam.* Hanc mihi spem adauge et corrobora, Domine; et fac, ut mihi sit forma et norma vivendi.

Dominica II. Adventus.

De martyrio Sancti Joannis Baptistae.

(Marc. 6, 20.)

PUNCTUM I.

Herodes permagni faciebat Joannem, *sciens eum virum justum et sanctum, et libenter eum audiebat, et audito eo multa faciebat* ad mentem Joannis. Caeterum probe noverat Joannes, quod Herodias, mulier sanguinaria, vitae ipsius struat insidias, ut se molesto censore liberet. En duplicem scopulum, cui allisus cujuslibet, non tamen Joannis, utpote novi Eliae, zelus poterat retardari aut omnino pati naufragium: *metum* scilicet excidendi gratia regis, et exasperandi potentem ac ira furentem feminam. Alterius cujusdam zelus minus ardens varias excogitasset rationes conscientiam accommodandi fortunae, obligationes suas proprio interesse et commodis. At Joannes, qui alio fine aulam non adiit, quam ut vitia corrigeret, publicum Herodis scelus et nata inde scandala intrepide reprehendit, quin iram Herodis aut furorem Herodiadis incurrere reformidaret.

Hic est character genuinorum Christi Jesu ministrorum. Quia solam ejus gloriam ac honorem quaerunt, dummodo eam procurent, nullam a se jacturam fieri credunt, imo jacturam suae quietis, famae, et ipsius vitae in lucro ponunt, quod nunquam satis aestimari potest a servientibus Domino, qui cum foenore novit compensare, quidquid pro ejus honore ausi sumus prodigere.

Hunc, quaeso, Domine, zeli apostolici vigorem mihi largire praedicanti evangelicam legem tuam: da robur animae, quo confirmer in periculosis quibuscunque circumstantiis, ubi impositum a te mihi munus me urget: concede mihi heroicam s. praecursoris tui constantiam, qua utique demonstravit, se non esse *arundinem*, quolibet *vento agitatam* (Matth. 11, 7.), sed esse *columnam ferream, et murum aereum* (Jerem. 1, 18.), nullo ventorum turbine, nulla succussione loco movendum. Memento, Domine, quod ex me ipso solum sim imbecillitas, imo

nihil: cum ergo volueris, ut inimicis tui nominis me opponam, indue me virtute ex alto, ut de iis possim triumphare.

PUNCTUM II.

Etsi permagna fuerit Herodis de sanctitate Joannis opinio, impedire tamen non potuit, quominus virum insontem conjiceret in vincula et tandem occideret, reluctante licet animo, quia *contristatus*, id fecerit. Vinolentia et impotens sui erga Herodiadem amor, stulta in puellae saltu oblectatio temerariumque juramentum majorem quam concepta viri sancti existimatio vim habuerunt in animo regis, et vel invitum coegerunt mortis sententiam in illum ferre.

En horrendam abyssum, in quam miserum hunc regem, amore voluptatum insano ebrium, daemon praecipitavit. O stupendam obscoenae libidinis, si quando imperium obtinuit in homines, tyrannidem! O sanguineis dignam lacrimis servitutem cordis humani, si fiat mancipium impudicitiae! in quae scelera non ruit, si illam sequitur ducem ac reginam? Verum non sola haec passio tam funestos post se effectus trahit. Nulla non passio, si vehemens sit, nos in enormes praecipitat excessus. Quod amor non facit, saepe saepius odium, injustitia, spiritus vindictae, invidia, ebrietas etc. efficiunt.

Ab his me tyrannis libera, Domine, nec ullum illis aditum ad cor meum unquam permitte. Cor hoc tuum est, tua est possessio, tuus est thronus: noli, quaeso, ejus dominium injusto usurpatori relinquere. Me quod attinet, qui illud totum, o Deus, tibi pridem consecravi, tua adjutus gratia firmiter statui, dominium illius tibi conservare soli, nec unquam a vigilando aut pugnando remittere, donec imperio tuo pedibusque tuos subjecero inimicos.

PUNCTUM III.

Considera Dei admirandam erga Joannem providentiam et hujus fidelitatem ac studium sequendi ejusdem ductum. Hactenus omnia prospere successerant Joanni: ad vota fluebant omnia: undique aspirabant

favonii, summa aestimatio, applausus, honores. Oportebat jam more reliquorum prophetarum viam tribulationum ingredi, et ut aurum in igne probari, atque adeo reliquo virtutum agmini patientiam exemplo Jobi adjungere: igitur permisit Deus, ut carceri traderetur ac morti. Quo autem animo utrumque pertulit? Ob multa et gravia argumenta fas est credere, quod laetus adierit carcerem et in oratorium converterit, dies noctesque in oratione et alta contemplatione expendens: item quod mille oscula fixerit catenis, felicem se aestimans, quod iis sit vinctus in Domino, summopere gaudens mori pro castitate.

Egone simili modo comparatus sum in variis casibus, infortuniis, et praesertim persecutionibus, quas patior propter justitiam? Persuasumne mihi habeo, quod ejusmodi sufferre ingens et vera sit gloria, imo nulla major in mundo? ita agere Deum consuevisse cum sibi carissimis, quos ad sublimem perfectionis gradum vult evehere? Laetare, anima mea, in his summi momenti occasionibus, ubi agitur de gloria Dei: ubi sinceri ejus servi suam probant fidelitatem. Obliteremus falsum ac inane saeculi idioma, quod malum appellat, quod re vera est debetque appellari *bonum* solidum, et ad imitationem S. Joannis cum gaudio omnem mundi tribulationem excipiamus, *scientes, quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem: spes autem non confundit*, non decipit; qui enim hac ratione patiuntur, *caritas Dei diffusa est in cordibus eorum* (Rom. 5, 3—5.), certum vitae aeternae pignus.

O terque quaterque felicem te, Sancte Joannes, quod Filii Dei fueris praecursor non solum quoad ejus *adventum*, sed etiam quoad *passionem*. De tua gaudeo gloria, quam meruisti tam glorioso vitae tuae curriculo et fine. Felix fuisti in nativitate tua, felicior in vita, at longe felicissimus in morte. Felices profecto labores, qui tam illustrem tibi coronam pepererunt! Roga, quaeso, eum, cujus bonitas te ad tantum felicitatis apicem evexit, ut mihi concedat tuam nunc imitari vitam, ut gloriae tuae aliquando merear particeps fieri.

Feria II.

Quam ardenter b. Virgo adventum Christi desideraverit.

PUNCTUM I.

Considera, quanto animi ardore b. Virgo adventum Christi in terras desideraverit, et quantum haec desideria in dies et horas magis fuerint magisque incensa, quo propius aberat Verbi incarnatio. Sanctus, quo plena erat, Spiritus illa in corde Virginis excitabat desideria et continuis interpolabat suspiriis.

Proprium est Spiritui Sancto, cum singularem homini gratiam elargiri statuit, vehemens tanti favoris desiderium in illo excitare. Ita sane antiquos impulit patriarchas, ut promissum sibi Redemptorem assidue suspirarent et frequenter sublatis in coelum oculis clamarent: *Rorate coeli desuper, et nubes pluant justum: aperiatur terra, et germinet Salvatorem.* (Isa. 45, 8.)

Multis tamen parasangis ardentiora erant Mariae desideria, utpote patriarchis multo clarius cognoscentis incomprehensibile incarnationis mysterium, ejusdem utilitates et instantem proxime executionem. Quam idonea et efficacia erant haec omnia ad inflammandum cor, quale erat b. Virginis, adeo tenerum, et caritatis purissimae capacissimum!

Aperi, mater benedicta et ter felix terra, *lilio convallium* aperi tuum virginalem sinum, et germina Salvatorem; tu enim benedicta es terra, e qua ille debet nasci et florere.

Tune pariter desideras, anima mea, concipere in corde tuo Salvatorem, et cum eo salutem ac perfectionem tuam recipere? magna igitur illus desideria concipe. Quo plus eum desideraveris, eo perfectius possidebis. Non communicat se, nisi ardenter desiderantibus.

PUNCTUM II.

Mirum non est, quod tanto incarnationis desiderio Maria exarserit; praeter rationes enim jam adductas *caritas Dei*, quae nova in dies incrementa in corde ipsius capiebat, eam continue magis *urgebat.* Sicut immenso Creatoris amore flagrabat, ardentissime cupiens modo,

quam in hac vita posset fieri perfectissimo eidem uniri, ille autem in coelo gloriae suae *lucem inhabitat*, cordi humano *inaccessibilem* (I. Tim. 6, 16), ita perpetuo suspirabat felix illud momentum, quo fieret homo, ut corpus, quod assumpturus erat, immensam divinae majestatis lucem, quae nimio fulgore oculos hominis perstringit, non nihil temperaret, ipsa vero eum propius contemplari, ejus praesentia tenerius frui, suaque obsequia ei plenius posset exhibere. Hoc erat caput et meta ardentium Virginis sanctissimae desideriorum, ut Deum amoris ad accelerandum incarnationis mysterium permoveret.

Non aliter, anima mea, quam ardentissime oportet desiderare ter faustam diem s. Communionis, ubi majestas Verbi incarnati sub velamine sacramenti nostris sese occultat oculis, ut intime animabus nostris se uniat. Sancta, inquam, cum impatientia expectare debemus felix hujus unionis momentum, et tamdiu adventum Servatoris instanter petere, donec nos invisere dignetur.

Ut autem tanto fervore te desiderem, o Jesu, opus foret, ut ardenter te amarem. Sed eheu! totum friget cor meum, nisi tuo illud amoris igne accendas; accendes, si illud subeas. Supplex igitur te obsecro obtestorque: veni amantissime Jesu, et ingredere cor meum: frigidum est, tamen est tuum. Si millies mille corda possiderem, omnia ex asse tibi consecrarem, futurus mortalium longe felicissimus, si omnia perfectissime possideres.

PUNCTUM III.

Accessit *animarum zelus* velut alter ignis, qui viscera b. Virginis ad sanctum usque languorem depascebatur: tanta aviditate Redemptorem generis humani praestolabatur. Non poterat nimirum infinitae animarum quotidie pereuntium multitudinis meminisse, quin intimo commiserationis sensu tacta illum continuo suspiraret, qui tantae cladi, peccato et ruinae hominum finem imponeret. Atque hoc ipsum assidua Virgini exprimebat suspiria, gemitus et preces ad coelum, ut mittat, qui renovaret faciem terrae: *Excita*, ingemiscebat cum Davide, *potentiam tuam;* Domine, *et veni, ut salvos facias nos* (Psal. 79, 3.); et cum Isaia (64, 1.): *utinam disrumperes coelos*, Domine, *et descenderes!*

Audiit coelum preces et vota potentissimae hujus mediatricis: ejus auctoritas instar aequilibrii tantum valuit apud divinam Nemesin, ut iniquitas terrae non praeponderaverit: amor vero, quo Creator Virginem deperibat, efficacius eum impulit, ut in terras descenderet, quam justa erga peccatores indignatio commoverit, ut incarnationem et misericordiam suam longius suspenderet.

O admirandam orationis Marianae efficaciam! Funde, o gloriosa mundi regina, funde illam pro me pariter, mihique impetra spiritualium curationem vulnerum, victoriam passionum, progressum in virtute, et praecipue *gratiam perseverantiae finalis*, utpote caeterarum, quas per tuam intercessionem saepenumero obtinui, gratiarum colophonem, faustamque coronidem.

Feria III.

De tempore exequendae incarnationis.

PUNCTUM I.

Statim atque Adam et Eva in peccatum sunt prolapsi, Deus ipsis remedium et reparationem hujus peccati revelavit, praedicens, quod *mulier contritura sit caput serpentis* stygii, qui eos seduxerat.

Apparuit tunc illis Deus tamquam judex inobedientiae rationem exigens et justam mortis sententiam pronuntians, quin tamen se Patrem esse misericordiarum fuerit oblitus. Suam utrique exprobravit inobedientiam et simul promisit veniam: ejecit eos e paradiso terrestri: at eodem instanti spem eis fecit potiundi aliquando coelesti: dum poenam et maledicta ob culpam reis merito infert, revelat pariter ac offert Servatorem, qui ipsis futurus esset auctor omnis benedictionis.

O Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, aeternas tibi grates ago, quod, etiam *cum iratus fueris, misericordiae recorderis* (Habac. 3, 2.), et nostram miseratus sortem secundum Adam promiseris, profunda sanaturum vulnera, quae primus nobis inflixit.

O unigenite Patris Fili, qui velut innocens Agnus, jam *ab origine mundi occisus* (Apoc. 13, 8.), in victimam

caritatis te obtulisti, quoniam mors tua jam tunc protoparentibus fuit promulgata, imo primos poenitentiae fructus in ipsis coepit producere: ah! dignare eosdem in corde meo producere, et veram de peccatis meis contritionem mihi inspirare. Et vero apparet satis, Domine, quod id gratiae mihi aeque ac illis largiri velis, cum aequali bonitate mecum agas, dum eodem, quo impie discessi a te, instanti me per misericordiam tuam revoces ad te.

PUNCTUM II.

Tempus, quo Deus Filium suum in terras mittere decrevit, opportunissimum fuit ad demonstrandum hominibus excessum infinitae caritatis divinae. Erat tunc mundus in maligno et universali morum corruptela positus sine omni religione. Idololatria toti dominabatur orbi. Vidisses omnia pro diis adorari praeter verum Deum. Utique in Judaea vere cognoscebatur, at parum colebatur. Quot hypocritae sanctas ejus leges violabant speciem simulatae cujusdam religionis ementiendo! Quot libertini et in omnem vitae licentiam effusi probro erant religioni! Rem acu tetigit, qui dixit, quod tunc temporis, ut in diebus Noë, *omnis caro corruperit viam suam*, Deus autem loco diluvii, quo rursus submergi genus humanum merebatur, suum in terras miserit Filium, ut integros gratiarum et benedictionum coelestium imbres deplueret in hominem.

Haec ipsa misericordia certum est signum, nota et character, ex quo te cognoscimus, o Deus, et ab omni alio distinguimus; nemini enim praeter te tanta inest aut competit clementia. Quid autem? eo ipso tempore, dum scelera nostra ceu totidem malignae exhalationes ad coelum ascendebant, ut fulmina in nos torquenda efformarent, tu e coelo in nos depluis dulcem et copiosum gratiarum imbrem? imo dum universi nostrae salutis eramus immemores, Salvatorem mittis? haeccine tua est cum inimicis tuis agendi ratio?

An porro inimici tui esse possumus, Domine, post favorem et beneficium adeo excellens nobis collatum? tene ultra offendere, si tantam, quae nos, licet indignos, praevenit, bonitatem vel obiter perpendamus? Quod si autem summae monstra ingratitudinis Deum adeo bonum

antehac offendimus, qui fieri potest, ut prae dolore non emoriamur?

PUNCTUM III.

Deus per tot saecula adventum Filii sui distulit, ut 1. spatium daret homini suam propria experientia miseriam sentiendi. 2. Ut hac ratione disceret homo magis beneficium et suam redemptionem aestimare, et 3. ardentius suum Redemptorem suspirare.

Tua potius misericordia, Domine, quam justitia tamdiu suspendit nubem, quae coelestem hunc rorem debebat pluere. Nec magni fecissemus beneficium, nec benefactorem amassemus, si aut nostra desideria, aut cognitionem extremae necessitatis nostrae antevertissent. Vix hodie agnoscimus, quanti dona tua sint aestimanda: vix hodie grates illis rependimus. Quid igitur futurum erat, si otium non fuissemus nacti nostras perpendendi necessitates? si extrema, quibus premebamur, mala nos haud coegissent oculos ad coelum tollere, ut ibi medicum indagaremus, qui solus poterat malis nostris remedium adhibere? Cor tuum infinite bonum nil desiderabat aliud, quam effectus sui erga nos amoris plena manu effundere. Tamdiu *distulisti Christum tuum* ideo solum, ne ingrati essemus aut minus digni. Placuit tibi diutius audire suspiria patriarcharum, vota et gemitus patrum in limbo, preces tot justorum, ut cum majore animi voluptate id eorum fidei, precibus, patientiae ac desideriis posses concedere, quod ipsemet desiderabas dare.

Noli igitur, anima mea, fiduciam in Deum amittere unquam. *Si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet, et non tardabit* longius (Hab. 2, 3.), quam saluti nostrae et profectui spirituali conveniat. Certo certius eum videbimus, ubi primum ejus praesentia nobis fuerit utilior: majorque gratiarum abundantia nobis obtinget, quo majore fiducia et fervore eas petierimus.

Feria IV.

Archangelus Gabriel mittitur ad b. Virginem.

Vide medit. XXV. Martii fol. 460. Part. I.

Feria V.

Gabriel Virgini declarat mysterium incarnationis.

(Luc. 1, 31. sq.)

PUNCTUM I.

Angelus, postquam b. Virginem a sua perturbatione erexit, argumentum legationis suae in haec verba proposuit: *Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum;* erit enim *mundi Salvator* per excellentiam. *Hic erit magnus*, at magnitudine infinita. Non solum erit filius hominis, sed etiam *Filius* Dei *altissimi*, non per adoptionem, sed per naturam. *Et dabit illi Dominus Deus sedem Patris ejus, et regnabit in domo Jacob*, h. e. imperium geret super omnes electos: et hoc imperium *spirituale*, illo Davidis ac majorum Christi secundum carnem imperio longe nobilius, erit *aeternum*, *et regni ejus non erit finis.*

Quot quantaeque perfectiones, praerogativae ac excellentiae in unam, quam angelus depingit, effigiem confluunt! quomodo haec possit non placere ac blandiri creaturae et Virgini, cui coelum talem promittit filium, et adeo excelsam offert maternitatem? Ast Maria tantum abest, ut tantae dignitatis et perfectionum prolis fulgore fuerit excaecata, ut solum de conservando illibatae virginitatis flore sollicita exclamaverit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Non poterat Virgo prudentius respondere. Non dubitat de veritate oraculi coelestis, nec de omnipotentia Conditoris: ingens puritatis amor cogit quaerere, quomodo iis, quae dixit angelus, obtemperare liceat salva voti, quod de servanda perpetuo virginitate edidit, religione?

Quam merito, o admirabilis mater Salvatoris, ab Ecclesia nuncuparis *virgo prudentissima, et sedes sapientiae!* Ex brevi interrogatione, quam angelo proposuisti, tam rara elucescit prudentia, ut nemo eam possit digne admirari, nemo satis addiscere. Schola est, in compendio nos docens, summopere castitatem amare, parce loqui, et loqui prudenter.

PUNCTUM II.

Sine mora respondit angelus: *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Angelus ad tollendum omne obstaculum virginei consensus, quem expectat, clare exponit, qua ratione mysterium incarnationis salvo Virginis pudore et voto dari possit executioni. Stupendum, inquit, hoc miraculum Spiritus Sanctus operabitur in te, ac divina ejus virtute concipies: cumque futura sis mater Filii, qui auctor est omnigenae puritatis, non solum non laedet tuam, sed perficiet.

Quis jam verbis exprimat laetitiam, quam in Virgine haec angeli promissa pepererunt? Quantis illa exultaverit gaudiis, animo revolvens tanti perfectionem prodigii, quod in ipsa Spiritus Sanctus *obumbrando* patrabit! Tunc enimvero poterat cum sponsa dicere: *Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi: et fructus ejus dulcis gutturi meo.* (Cant. 2, 3.)

Laetitia exiliens gratulor tibi, Virgo purissima, tantam, quas hodie accipis, gratiarum abundantiam, arctam cum Spiritu Sancto affinitatem, et admirandam foecunditatem, quam *umbra omnipotentis* tibi impertit. Mihi quoque ab hoc Spiritu puritatis impetra, ut sua me tegens umbra protegat contra ardores libidinis, meamque animam virtute ex alto induat, quo ad recipiendum Spiritum gratiae apta reddatur.

PUNCTUM III.

Licet angelus sermone suo plenam animi tranquillitatem Virgini *turbatae* reddiderit, amplius tamen mysterium declaraturus exemplo: *Et ecce*, ait, *Elisabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua: et hic mensis est sextus illi, quae vocatur sterilis; quia non erit impossibile apud Deum omne verbum;* quo dicit, cum femina jam senex et sterilis potuerit concipere, nil dubita, quin Virgo possis concipere filium, qui erit unigenitus Dei Filius. Nihil est impossibile omnipotenti, et, qui sterilem reddidit foecundam, eadem facilitate Virginem novit matrem efficere.

En praemium fidei, quam Maria verbis angeli praestitit! Deus eam divinis replet luminibus, quia magna animi submissione obscurum credit mysterium, Zachariam vero, in poenam incredulitatis, ad tempus reddidit mutum. Solet nimirum Deus submisse ac simpliciter credentibus veritates revelare, quarum cognitionem superbis et pervicacibus negat juxta illud: *Si non credideritis, non intelligetis* (Isa. 7, 9.), uti Septuaginta legunt.

Ita agere, mi Deus, tibi oppido familiare est: et hujus rei aequitatem agnosco et sapientiam: Secreta tua *abscondisti a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* (Matth. 11, 25.) Eodem cum his parvulis spiritu profiteor, nihil esse tibi impossibile: tota igitur, quam haec fides mihi inspirat, fiducia te supplex rogo, ut mihi, licet diu sterili, foecunditatem bonorum operum digneris elargiri. Fuerim hucusque seu per naturam, seu per supinam in obsequio tuo negligentiam meam totus sterilis ac infoecundus, solatium tamen et animos mihi addit spes producendi imposterum fructus gratiae et benedictionis, qui erunt meri effectus tuae omnipotentis misericordiae.

Feria VI.

B. Virgo verbis angeli consentit.

PUNCTUM I.

Audita integra angeli legatione Virgo summa animi demissione respondit: *Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum.*

Spiritus Sanctus, qui Mariam elegerat in sponsam, et disponebat, ut fieret mater Dei, illud prudens responsum suggessit cum actibus virtutum, per quas se ad eam maternitatem debebat praeparare. Tales erant 1. viva *fides*, qua verbis angeli credidit firmissime, se simul virginem mansuram et futuram matrem. 2. Profunda *humilitas* et animi demissio, qua se *ancillam Domini* profitebatur, quam angelus jam promulgaverat matrem Dei. 3. Insignis *obedientia*, vi cujus non modo omnia ad complendum incarnationis mysterium necessaria, sed et se ipsam ex asse in manus Dei resignavit.

Quam admirabiles sunt hae dispositiones tuae, o Virgo sanctissima! Satis liquet, a Spiritu Sancto tibi inspiratas fuisse, ut Verbum divinum prius spiritualiter conciperes mente, quam corporaliter ventre.

At dum eximias has virtutes admiraris, anima mea, quae dignum Dei habitaculum in corde hominis efficiunt, nonne satagendum tibi, ut exemplo Mariae easdem exerceas, quando in s. Communione illum cupis recipere, quem illa suis concepit visceribus?

Parem mihi, o Virgo singularis, impetra fidem, humilitatem ac obedientiam, ut veniens ad me tuus Filius cor inveniat ad sua vota perfectissime praeparatum.

PUNCTUM II.

Singula Mariae verba jam expendamus, quippe mysteriis et utilibus doctrinis praegnantia.

Ecce, ait. Hac voce solet uti Scriptura, quando magnum quid et singulari consideratione dignum vult indicare. Dixerat angelus ad Mariam: *Ecce* concipies. Respondet Maria: *Ecce* ancilla Domini. Utique stupenda duo mysteria et prodigia: *Virgo concipiens*, et: *Mater Dei*, *simul ancilla!*

Hi sunt ordinarii insignium Dei gratiarum effectus, quos in anima justi producunt: de se ipso abjecte sentire, et velle contemni. Nunquam is minor est suis in oculis, quam cum magnus est in divinis et coram Domino. B. Virgo, ut suam exprimeret submissionem, abjectius, si invenisset, adhuc verbum quam nomen *ancillae* libenter adhibuisset; istud enim nimis honorificum ipsi videbatur. Et sane majus in homine et magnificentius nihil est, quam si cum Maria totus sit mancipatus servitio Altissimi, imperia tanti Domini fideliter expleat, in omnibus sanctissimi nominis ejus gloriam quaerat, nec aliam illi serviens desideret mercedem, quam latentem in serviendo suavitatem.

Magna sane dignitas, o Deus! magnificus honor, sancta ambitione nostra dignissimus! Quod si b. Virgini simus devoti, idem cum ipsa sentiamus, et eadem appellatione laeti dicamus cum propheta regio: *O Domine, ego servus tuus: ego servus tuus, et filius ancillae tuae.* (Psal. 115, 7.)

Addit Virgo: *Fiat mihi secundum verbum tuum;* quo dicit, licet Deus sit plenus mei meorumque Dominus, qui ad exequendum, quod mihi revelas, mysterium consensu meo opus non habeat, cum sine mea voluntate id possit: si nihilominus meum ancillae omnium minimae consensum exigat, en toto ex corde consentio, ad exequendum omne ejus imperium longe paratissima. O admirandum obedientiae et perfectae resignationis exemplum, assidua imitatione mea dignissimum!

PUNCTUM III.

Audito Virginis responso sine mora *discessit ab illa angelus*, et nec per momentum in terris subsistens remeavit in coelum.

Eodem modo gerere se debent viri apostolici, religiosi, et quibus incumbit agere cum proximo. Statim atque legatione sua pro Christo et commisso sibi ministerio fuerint defuncti, sine mora redeant ad solitudinem suam; ad oratorium, ad centrum et coelum suum sese recipiant. In mundo diutius morari, quam lex Dei aut caritatis erga proximum postulet, est semetipsum quaerere, et se quaerendo discrimen pereundi adire.

Porro angelus, post expeditam in terris legationem ad coelum reversus, promptus mansit ac paratus ad relinquendum denuo coelum, si Deus ita jusserit. Non aliter nos, ubi expletis omnibus, ad quae obligamur, ad quietem nos recepimus: ad eam rursus deserendam prompti esse debemus, si Deo et superioribus visum fuerit nos de novo in mundum ad promovendam Dei gloriam etc. ablegare.

Enimvero ita me dispositum sentio, mi Deus. Mille propterea grates debeo tibi agoque. Sanctissima voluntas tua erit mihi posthac vivendi regula: beneplacitum tuum universim mihi erit norma et primum mobile omnium actionum mearum: et spero hac ratione me duo extrema evitaturum: scilicet et periculosam animi dissipationem, et nimiam mentis inertiam.

Sabbato.

De vita b. Virginis usque ad tempus incarnationis.

PUNCTUM I.

Virgo beatissima, postquam novem mensium tempus in utero matris explevit, et immensos gratiarum thesauros, quibus a primo conceptionis suae momento fuerat repleta, singulis omnino momentis immensum auxit, in paterna domo prodiit in lucem, et nomen Mariae accepit: per quod significatur 1. *stella maris;* ipsa enim mundo affert malaciam et tempestates sedat. 2. *Mare amarum;* est enim mare gratiarum, in quod cum tempore Filius in sua passione integros amaritudinum torrentes derivabit. 3. *Domina exaltata;* fuit enim super omnes homines et angelos exaltata. 4. *Illuminata, et illuminatrix;* procedit enim quasi aurora consurgens et praenuntia solis justitiae, et diem salutis secum vehens. Ea de causa jure Ecclesia canit de ea, quod *nativitas ejus gaudium annuntiarit universo mundo.*

Et vero, quanto 1. *SS. Trinitati* erat gaudio videre natam ter felicem infantulam, per quam res adeo stupendas perficere statuerat! Quanto erat gaudio 2. *angelis*, quorum futura erat regina! 3. *Patribus in limbo et justis in terra*, quibus Redemptorem erat paritura! Numquid et tu, anima mea, communis hujus gaudii es particeps? etenim quae in lucem procedit, non solum regina est coeli et terrae, sed et mater tua, advocata tua, maxima et suprema protectrix tua.

Haec tua, Pater aeterne, *filia* est carissima: haec tua, o Fili divine, mater est dignissima: haec tua, sanctissime Spiritus, *sponsa* est ex omnibus electa. Mundo eam largimini, ut reddat beatum. Ah! quam beatus forem, si illa hodie posset in corde meo nasci!

Imo potes, mater et Virgo singularis: et haec est tota consolatio mea. Potes, inquam, in corde meo nasci, si veram erga te devotionem mihi obtineas, cum ista ocius nascetur in me ingens gaudium et spes firma possidendi Salvatorem meum.

PUNCTUM II.

Mariam, trium, ut pie creditur, dumtaxat annorum adolescentulam parentes ex Dei inspiratione praesentarunt in templo: imo se ipsam praesentavit virguncula, ut parentum et multo magis Dei voluntatem sequeretur, continuo ad se illam evocantis per verba Davidis, *audi*, *filia et vide*, *et inclina aurem tuam*, *et obliviscere populum tuum*, *et domum patris tui*, *et concupiscet rex decorem tuum*. (Psal. 44, 11. 12.) Vocanti sine mora respondit Maria ex eodem propheta: *Laetata sum in his*, *quae dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus*. (Psal. 121, 1.) Singulos ejus gradus magno spiritus fervore conscendit: templum ingressa Deum supplex adoravit, eique se totam consecravit, partim contemplationi divinarum perfectionum, partim lectioni Scripturarum intenta. Excellentissimae, quas exercuit, virtutes erant velut totidem radii *decoris*, *quem concupivit rex* coelorum: utque tota ejus esset, cor et corpus ei consecravit per votum virginitatis perpetuae, quod tunc erat prorsus insolitum. Haec erat in templo vita adolescentulae, quam Deus per dispositiones tam sanctas praeparabat, ut ipsamet vivum Filii sui templum fieret.

Admiremur, anima mea, sanctam hanc filiolam: admiremur cum angelis dicentes: *Quae est ista*, *quae ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus* (Cant. 3, 6.), elevans se usque ad thronum Omnipotentis in odorem suavitatis?

At noli, anima mea, sterili solum admirationis cortici inhaerere. Admirabilis haec virguncula est perfectum exemplar animarum, quas Deus specialiter ad suum vocat servitium. Num secuta es vocem coeli, cum Maria te vocantis ad deserendam patris tui domum, et ad ingrediendam Patris coelestis domum? Eamne ingressa es sincero et fideli corde? Vivisne in ea cum fervore, humilitate ac devotione, quae respondet gratiae vocationis faciatque, ut cor tuum tempore s. Communionis efficiatur dignum illius habitaculum, quem Maria in utero suo meruit portare?

Supple, quaeso, Virgo sanctissima, defectum dispo-

sitionum nostrarum, et procura nobis, quas Filio tuo nosti esse gratissimas.

PUNCTUM III.

Appropinquante incarnationis Verbi tempore Maria ex instinctu divino nupsit, *viroque justo* et Deum timenti, *cui nomen erat Joseph*, desponsata est, certa, id nihil suo castitatis voto obfuturum. Antequam autem hoc conjugium celebraretur in terris, decretum jam erat in coelis, ut perfecti matrimonii esset exemplar, simulque doceret, quod etiam conjugatis pateat via ad sanctitatem. Voluit praeterea Deus matrem suam viro desponsari ob alias rationes, scilicet: 1. Ut sub nube conjugii illo adhuc tempore celaretur prodigiosa Christi conceptio. 2. Ut Virginis honori consuleretur praeclusa adulterii suspicionibus via. 3. Ut socium haberet, qui ipsam aleret et in necessitatibus sublevaret. 4. Ut ipsum quoque S. Joseph hac occasione Deus exaltaret, dum Filii sui patrem nutritium, et virginum purissimae sponsum constituebat.

Obstupesce, anima mea, horum magnitudinem mysteriorum in duabus personis, quarum exiguam rationem ac existimationem habet mundus. Admirare simul singularem Patris coelestis curam de illis, qui ei in paucis sunt cari, et in id solum intenti, ut ei placeant. Felicem illum, qui sub tua est protectione, o Deus! sit abjectissimus mortalium: tu tamen sub umbra alarum tuarum et sub clipeo providentiae eum protegis, modo tibi servire et in te solo sperare satagat.

Quam admirabile hujus rei exemplum habemus in te, Virgo sanctissima! Deo obtemperans eam vitae rationem suscepisti, a qua abhorrebas, utpote puritati tuae quoad speciem contraria: quamquam per singulare prodigium *Virgo-mater* purissima *nec primam similem visa es, nec habere sequentem, gaudia matris habens cum virginitatis honore.*

Nullum sane dispendium patior, o Deus! si tibi obediam, quocunque in statu fuero, ad imperium aut beneplacitum tuum. Si me subjiciam tuaeque totum me committam providentiae, non est quod timeam; imo nihil non securitatis, gratiae, consolationis de tua bonitate mihi sperandum.

Dominica III. Adventus.

Testimonium S. Joannis Baptistae de Christo.

(Joan. 1, 19. sq.)

PUNCTUM I.

Judaei interrogabant Joannem primo: *Tu quis es?* an Messias? *Et confessus est, et non negavit:* confessus est, se non esse Messiam seu Christum.

In hac responsione elucet primus S. Joannis heroicus *humilitatis* actus, in eo consistens, quod summum, qui homini poterat deferri, honorem a se fuerit amolitus absolute negando, se Messiam esse. Humilis ista veritatis confessio solidum est fundamentum, cui vera Joannis evectio ad summos honores innitebatur: uti e contrario detestanda Luciferi ambitio, dum volebat similis esse Altissimo, infelicem detrusit ad tartara. Juratus hic salutis nostrae inimicus, qui *rex est super universos filios superbiae* (Job 41, 25.), admirandam praecursori sanctitatem invidens, postquam omnem machinam, ut Sanctum sterneret, frustra adhibuisset, easdem, quibus ipse captus est, pedicas ei struere decrevit. Judaeis igitur suggessit, ut mitterent, qui Joanni nuntiarent, se promptos esse ad eum pro Messia agnoscendum. Sperabat nimirum stygius alastor, Joannem hamo tam pretioso, et divinis, quos deferrent, honoribus captum in superbiam et abyssum certo certius ruiturum.

En astutiam diaboli, qua utitur, ut homines justos agat in transversum. Inducit eos, ut meritis ac viribus suis majora vel tentent, vel admittant. Verum ejusmodi homines, utpote coelesti luce illustrati, ut hunc scopulum evitent, ad sui ipsorum cognitionem confugiunt, et quantum possunt omnem eminentiam ac dignitatem fugiunt. Ex mente Sapientis *quo majores sunt* aut habentur in mundo, eo magis *in omnibus se humiliant*, et ita cum S. Joanne securissimum in humilitate asylum sanctitatis ac virtutum reperiunt.

Magne Dei sancte, quam merito veram invenisti gloriam detestando falsum honorem dignitatis, illi soli debitae, cujus vias ut praeparares, venisti in mundum!

Has mihi gratias impetra, ut salutarem vilitatis meae cognitionem semper conservem; summam, qua a Deo et Christo Jesu pendeo, subjectionem nunquam obliviscar, ei perpetuo adhaeream, nullum ambiens honorem, quam ut sim infimum ejus mancipium.

PUNCTUM II.

Altera Judaeorum quaestio fuit: *Elias es tu? Et dixit: Non sum. Propheta es tu? Et respondit: Non.*

Hic secundus est *humilitatis* heroicus S. Joannis actus. Poterat se Eliam fateri, quia *spiritu Eliae* fuit praeditus, et ab ipsomet Christo *Elias* appellatus. Nihilominus directe ad mentem interrogantium respondens optima fide negat, se Eliam esse.

Ita semper comparati sunt vere humiles Christiani. Non solum indebitos sibi honores repellunt, verum etiam debitos et quos jure possent acceptare, refugiunt. Quidquid laudis in eos congeras, non curant, et exemplo S. Joannis, qui tantum abest, ut adulantium verbis diu aures indulserit, ut etiam jejune et praecise unico responderit verbo *non*, suis laudatoribus tali modo respondent, qui ora ipsis in futurum obturet. Hi non sunt de illorum numero, qui occupantur *videndo solem*, *cum fulget*, *et lunam incedentem clare* (Job 31, 26.), h. e. qui excaecantem gloriae mundanae splendorem amant. Justi tenebras prae luce eligunt, et malunt nunc latere, quam splendescere, et totum, quod habent lucis, reservant aeternitati.

O sol justitiae, a quo tantum praecursor tuus luminis ad mendacem hujus mundi splendorem contemnendum accepit: unicum coelestis hujus luminis radium, qui latentia gloriae humanae pericula nobis detegat, communica, ut nunquam aspiciamus, quod nos in vanitatis aut superbiae barathrum possit praecipitare.

PUNCTUM III.

Dixerunt Judaei ad Joannem tertio: *Quis es? ut responsum demus his, qui miserunt nos? Quid dicis de te ipso? Ait: Ego vox clamantis in deserto: Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias propheta.*

Joannes urgentibus responsum Judaeis, quis esset, nihil reponit de splendore nativitatis suae, nihil de nobi-

litate generis, nihil de augusta praecursoris dignitate, qua fulgebat actu, sed solum *vocem* se dicit: quo significat, 1. se nihil esse ex se ipso, sed *ut vocem* essentiali relatione absolute dependere a loquente. 2. Se in munere praecursoris nihil posse praestare boni, nisi per illum, a quo fuit missus. 3. Omnem gloriam suam in eo versari, quod ad illum digne recipiendum corda hominum praeparet.

Et hic est tertius Joannis heroicus *humilitatis* actus. Discamus hinc, anima mea, nihil facere bona naturae ac fortunae, nec re alia gloriari, quam cognatione cum incarnato Verbo contracta. Dantur occasiones, in quibus et possumus et debemus, quas a Deo recipimus, dotes et gratias aperire: at parce et summa cum modestia id fieri necesse est.

Id te magistro, divine Spiritus, Joannes in deserto, quo eum duxisti, didicit: pares mihi (supplex te rogo) sensus inspira. Tu vero, Pater coelestis, fac me Filii tui organum et *vocem:* da robur verbis, sanctitatem operibus meis, ut totus divinas ejus perfectiones possim toti mundo manifestare, et omnium corda tuo amore inflammare.

PUNCTUM IV.

Denique ultimo interrogant Judaei: *Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque propheta? Respondit eis Joannes, dicens: Ego baptizo in aqua: medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis: ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est: cujus ego non sum dignus, ut solvam ejus corrigiam calceamenti.*

In hac ultima responsione quartus relucet Joannis heroicus *humilitatis* actus; reprehensus enim, quod munus baptizandi usurpet nullo insignitus charactere et auctoritate, nulla utitur excusatione, nulla sui defensione, licet justissimam adhibere potuisset: vult potius tacere, quam delegatam sibi a Deo auctoritatem allegando se ipsum honorare; neque, dum loquitur, aliud testificatur sacerdotibus ac levitis, quam quod antea apud plebem in gloriam Jesu Christi jam dixerat publice.

Quam jure merito dixisti de Joanne, Servator mi, non esse *arundinem*, quovis superbiae aut vanitatis vento

agitatam mobilemque! Humilis, qui firmiter supra nihilum suum fundatus est, nulli cedet superbiae assultui, vento, turbini. Idem semper sibique similis se ipsum deprimit, ut tuam, Domine, cum jactura propriae gloriam promoveat. Ex hoc ipso charactere et nota tuum dignosco praecursorem, quia nimirum humilitatem, quam nos docturus in terras descendisti, exercere incipit. Similem, o Jesu, cordi meo amorem hujus excellentissimae virtutis infunde, ut gratias mihi impetret, quas coelestis Pater tuus denegat superbis, humilibus autem liberaliter elargitur.

Feria II.

De executione incarnationis.

PUNCTUM I.

Eodem, quo Maria in maternitatem consensit, momento S. Spiritus ex purissimo ejus sanguine perfectissimum effinxit corpusculum, animam vero excellentissimam condidit e nihilo, ac utrumque inter se et cum divina aeterni Verbi persona tam arcte conjunxit, ut eodem instanti eadem fieret persona Dei et hominis, atque adeo unus et idem esset *Deus-Homo* et *Homo-Deus*, qui in Virginis thalamo cum natura humana desponsatus, mundo, per Adami peccatum perdito, fieret Redemptor.

O venerandum et incomprehensibile mysterium! contemplare, anima mea, quantum tunc fuerit SS. Trinitatis gaudium et exultatio! *Patris*, quando istud numeris omnibus absolutissimum omnipotentiae suae opus aspexit! *Filii*, dum ineffabilem sui cum sanctissima humanitate unionem ac nuptias vidit! *Spiritus Sancti*, dum executioni mandatum contemplabatur mysterium, quod summi amoris sui quam perfectissimum dedit specimen!

Quantis autem laetitiis exultaverit sanctissima humanitas, circumspiciens se ad supremum dignitatis fastigium evectam, suoque eductam ex nihilo, ut personae Verbi uniretur! Quantis perfusa gaudiis fuerit b. Virgo, in cujus sinu velut nuptiali thalamo admirabiles hae nuptiae *Dei et hominis* fuerunt celebratae! quas gratiarum

actiones persolverit auctori conjunctionis adeo prodigiosae! quo amoris igne exarserit erga Altissimi Filium, qui eam inhabitare dignatus est! quantam gratiarum plenitudinem eo momento acceperit!

Anima mea, quae et quanta hic debes contemplari prodigia! quas agere grates! quantam venerationem ac obsequia reddere! quos colligere fructus ex contemplatione mysterii, quod, licet penitus incomprehensibile sit, clare tamen demonstrat tantam Creatoris clementiam, tantam Verbi incarnati humiliationem, tantam Mariae exaltationem, tot tantaque in Filio et matre exempla virtutum!

PUNCTUM II.

Incarnandum Dei Verbum videtur assumere debuisse corpus *impassibile ac immortale;* dignitas enim personae, puritas conceptionis ab originali labe immunis, status animae jam tum visione beatifica fruentis utique merebantur, imo jure suo postulabant corpus nec morti, nec aliis obnoxium miseriis, quae solius sunt poena peccati.

Quanta bonitas simul et humilitas Verbi in eo relucet, quod infirmitates nostras et corpus mortale ultro induerit, *aptum ad sacrificium et hostiam* (Hebr. 10, 5.), in ara crucis pro nobis immolandam! Benedicant te, Domine, coeli et angeli omnes ob tantam nobis exhibitam caritatem, et pro tanta humiliatione tua meritas tibi grates persolvant. Nos vero, quorum gratia et amore in tantam humiliationis abyssum te demersisti, quid agemus in honorem humiliatae majestatis tuae?

Num conspecto tuae humilitatis exemplo erubescemus adhuc poenam peccati patiente animo sufferre? Vah! Sanctus sanctorum sponte eam suscipit in se amore peccatoris: et peccator, eam meritus, eandem horreat, detrectet, refugiat? Ah! quantum hoc aequitati repugnaret rationique! Sentiamus meliora et, dum hujus vitae miseriis premimur, cogitemus, nostram peccatorum sortem et conditionem esse *pati ac mori.* At firmiter credamus simul, hanc ipsam sortem ac necessitatem vere gloriosam esse, postquam ipse Deus corpus *passibile* ac *mortale* voluit assumere.

PUNCTUM III.

Filius Dei, corpus nostro simillimum assumpturus, saltem poterat corpus justae magnitudinis virique perfecti, quale Adamo formaverat, induere. Cur ergo nasci voluit *infans?* Scilicet ut 1. *per omnia fratribus suis* (hominibus) *assimilaretur.* (Hebr. 2, 17.) 2. Ut homines ad teneriorem sui amorem magis obstringeret; *sic enim voluit nasci, qui voluit amari.* (S. Bern.) 3. Suo ut exemplo efficacius humilitatem nobis persuaderet.

Amabilissime Jesu, quam pleni amore sunt fines ac intentiones tuae! Tenerrimus erga nos perfectusque amor tuus immensitatem tuam in corpus infantile contraxit: ardens desiderium, quo a nobis amari et induratissimos hominum emollire cupiebas, majestate, et quidquid formidabilem te reddebat, plane te exuit, induit vero omni lepore, amabilitate ac teneritudine infantis, in quo nihil non blandum et suave.

O amor, quanta tibi vis et potestas in cor ipsius Dei est! tanta, ut ipsum in unius diei infantem transformes, et in angustissimum uteri materni carcerem compingas, quem *coeli coelorum* et mundus *capere non possunt.* O divinissime infans! O mi Deus, *quanto pro me vilior, tanto mihi carior!* (S. Bern.) Profundissima animi demissione adoro te et toto cordis affectu amo. Dignare, quaeso, meum hoc sacrificium, quo tuis me obsequiis perfectissime devoveo, ratum acceptumque habere, et sanctae infantiae tuae proprietates et imaginem mihi imprimere.

Feria III.

De perfectionibus animae Christi ejusque affectibus in incarnatione.

PUNCTUM I.

Quot admirandis perfectionibus, excellentiis et gratiis Pater aeternus animam unigeniti Filii sui exornat! Praecursor ejus ait: Christo *non ad mensuram dat Deus Spiritum; Pater* enim *diligit Filium, et omnia dedit in manu ejus.* (Joan. 3, 34.) Ea de causa dilectus Christi

discipulus: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.* (Joan. 1, 14.)

Ante omnes, quibus anima Christi in ipso incarnationis momento fuit repleta, istae perfectiones elucent quam maxime: 1. *Puritas* cordis infinite remota ab omni vel minimo peccato aut umbra ejus. 2. *Sanctitas* consummata, omnes omnino virtutes in supremo perfectionis gradu plenissime possidens. 3. Perfectissima *Dei* et *propriae beatitudinis* suae per visionem beatificam *possessio.* 4. *Omnes thesauri scientiae et sapientiae* Dei. (Coloss. 2, 3.) 5. Absoluta *potestas* omnia solo nutu patrandi miracula. 6. Suprema *auctoritas* seu potestas omnia remittendi peccata, instituendi sacramenta, et per totum terrarum orbem stabiliendi religionem. 7. *Gratia capitis* tam angelorum quam hominum.

Pater aeterne, Pater Domini, Redemptoris et Dei mei Jesu Christi, laudes et grates, quas par est, maximas tibi dico ob immensos favores, gratias et dona, quibus animam ejus cumulasti.

O gloriosissima Servatoris mei anima! Exulto ob infinita, quae possides, bona et perfectiones. O Verbum incarnatum, quanto te gaudio intueor *plenum gratiae et veritatis!* (Joan. 1, 14.) Ah! effunde de hac plenitudine in homines, et singulariter in me, qui vacuus sum virtutibus: thesauris tuis meam dita paupertatem et animam reple bonis, quae tuis reddant oculis gratam.

PUNCTUM II.

Quos erga Patrem coelestem affectus in momento incarnationis elicuit anima Christi? Dum clarissime divinam intuebatur essentiam, innumeraque beneficia gratis et absque praecedentibus meritis sibi collata cernebat, suam ocius gratitudinem Deo testabatur 1. per inflammatissimum divinae majestatis amorem; 2. per ferventissimas gratiarum actiones; 3. per profundissimam sui ipsius humiliationem, recognoscendo, suas perfectiones mere gratuita Dei esse dona; 4. per liberalissimam sui ipsius oblationem pro gloria Patris.

Quatuor isti affectus, quos anima Christi in ipso incarnationis momento elicuit, norma et exemplar esse

debent nostrorum, quos Deo debemus, affectuum amoris, gratitudinis, subjectionis et perfectissimae oblationis. Quia vero hi ipsi actus, quantumcunque in se ipsis perfecti sunt, multum perfectionis amittunt, si imperfecto eliciantur modo, uniamus nostros actibus sacratissimae humanitatis Jesu Christi. Haec unio illis ingens pondus et pretium addet acceptosque Patri aeterno reddet, cui non potest non placere, quod cum Christo habet relationem et per ejus manus offertur.

PUNCTUM III.

Primum cordis affectum Jesus concepit erga Patrem suum: alterum erga homines. Hos summe amabat et eorum calamitatem miseratus cum clare voluntatem Patris cognovisset, ut eos redimeret, lubente et hilari animo se obtulit, dicens: Pater mi, *hostiam et oblationem* antiquae legis ad expianda hominum peccata *noluisti: corpus autem aptasti mihi: Ecce venio*, ut in hoc, quemadmodum in aliis omnibus *faciam*, *Deus*, *voluntatem tuam.* (Hebr. 10, 5—9.)

O quam grata aeterno Patri fuit ista oblatio! quantam ei dedit gloriam! quantas nobis promeruit gratias! quantam simul materiem nobis suppeditat aperitque campum, heroicas Christi virtutes, ejus erga nos amoris testes, contemplandi!

Id ut aliqua ratione intelligam, animo fingam, quod divinus Pater Filio jam nunc ante oculos ponat, quidquid flagellorum, spinarum, opprobriorum etc. usque ad finem vitae eidem erit perferendum, Filius autem Patri obediens omnia et singula amore hominis lubentissime acceptet. Matris uterus prima fuit ara, ubi se in victimam obtulit ad expianda totius generis humani peccata, et mea nominatim. Quanto mihi solatio est divinum hunc Servatorem animo meo repraesentare tamquam mei jam tum memorem, ita ut cum S. Paulo possim dicere: *Dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.* (Gal. 2, 20.)

Sanctissime infans, quantum tibi obstrictus sum ob tantam bonitatem! Laudent te angeli omnes ob incomprehensibilem, quam mihi, creaturarum vilissimae, exhibes, caritatem. Utinam ardentissimo Seraphinorum amore te

possem diligere, ut gratus responderem amori, quem a primo incarnationis tuae instanti erga me demonstrasti!

Feria IV.

Maria eligitur in matrem Dei.

PUNCTUM I.

Poterat aeternum Dei Verbum, postquam homo fieri decrevit, cum perfecto justaeque magnitudinis corpore, quale Adamo dedit, mundum ingredi. Sed maluit, ut caeteri homines, nasci ex muliere *infans:* idque 1. ut perditio nostra, quae a viro et femina originem duxit, pariter a viro et femina reparari inciperet. 2. Ut hac ratione utrumque naturae humanae sexum honoraret. 3. Ut infans factus et matri subditus humilitatis exemplum, quam docturus in terras descendit, nobis praeberet.

Quam mirabilis hic Dei nostri providentia emicat! quantus naturae nostrae honor! quot vitae documenta et motiva fiduciae in Christo collocandae!

Clementissime Deus, Mariam eligendo in Filii tui matrem sincerum nos salvandi desiderium tuum abunde demonstras. Dedisti nobis supremum mediatorem et simul potentissimam apud te advocatam. Sicut intercedentibus pro me negare nil potes, ita me totum eis in manus trado cum omnibus, quae ad consequendam salutem ac perfectionem meam faciunt.

O Verbum divinum, quam stupenda est tua erga nos bonitas, quod matrem volueris habere, quae simul nostra esset *mater* et nostra apud te *advocata*, uti tu apud Patrem noster es advocatus! Ne mirabilis haec amoris tui inventio nostrum potest moderari timorem! Si Patrem aeternum, cujus iram toties peccatis nostris provocavimus, accedere formidamus, solum opus est tuis supplices pedibus accedere, ut nos adversus justitiam ejus tuearis advocatus. Quod si *qua judex* consideratus aliquid adhuc timoris in corde nostro relinquas, spem et animos resumimus, si ad matrem tuam confugimus, ad quam non justitiae rigor, sed solus clementiae favor pertinet. Propitium te nobis fore certo confidimus, si potentissima haec advocata et mediatrix nos tibi repraesentet.

PUNCTUM II.

Ex innumeris, quas in aeternitate sua praevidit Pater, feminis in solam b. Virginem gratiose oculos suos defixit, eamque ex omnibus in Filii sui matrem elegit. Electio haec et praerogativa fuit radix caeterarum sine numero gratiarum, insigniumque privilegiorum, quibus dotata fuit mater exornataque.

Cur autem Deus Mariam prae omnibus feminis elegit? Electione prorsus *gratuita* elegit, quia ita voluit. Sic humilis Virgo hanc praerogativam non suis meritis, sed gratiosae Numinis electioni adscribit: *Respexit humilitatem ancillae suae ... quia fecit mihi magna, qui potens est;* vidit enim, nullibi magis, quam in nihilo meo se suam posse potentiam demonstrare; sit igitur *sanctum* et benedictum *nomen ejus.*

Reddamus nos participes magnalium Deiparae, anima mea: congaudentes ei exclamemus: Devotissimo corde, Virgo singularissima, adeo praecelsam, quanta est Dei matrem esse, dignitatem tibi gratulamur. At memineris, quaeso, quod eadem te obliget esse matrem et advocatam peccatorum; hi enim tuae ad tantam dignitatem evectionis occasio fuere. Monstra igitur, te esse *matrem* eorum et *advocatam: Matrem*, impetrando ipsis a Dei misericordia veniam peccatorum: *advocatam*, causam eorum agendo apud tribunal Filii tui.

PUNCTUM III.

Postquam unigenitus Dei Filius Mariam elegit in matrem suam, simul eam (quod necessario consequebatur) praedestinavit, ut sanctitate et meritis omnes puras creaturas longissime anteiret. In tempore igitur ostensurus prodigiosa aeternae ejus praedestinationis magnalia, in primo conceptionis instanti omnibus ipsam gratiis, virtutibus et donis replevit, quae Dei matrem decebant. Teste S. Hieronymo hominibus *caeteris per partes praestatur gratia, Mariae vero se totam infudit gratiae plenitudo*, eo quod ex ea nasciturus esset auctor ipse omnium gratiarum Jesus Christus. *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus* (Psal. 45, 5.), Sanctus sanctorum, nec utique permisit, ut, quae futura erat ipsius tabernaculum, vel minima labe contaminaretur. Sola peccati

umbra indignam reddidisset, ut illius fieret mater, qui est ipsa puritas. Decebat nempe, ut Verbum incarnandum, quod *qua Deus* Patrem habebat natura sua infinite purissimum, *qua Homo* haberet matrem ab omni labe per singulare privilegium purissimam, solo Deo et Filio ejus Jesu Christo puritate inferiorem.

O sanctissima Trinitas, laudo et glorifico te, quod b. Virgini tot inaestimabiles contuleris gratias, Pater aeterne, benedictus sis in aevum, quod Filio tuo tam dignam matrem dederis. Benedico te, o aeternum Patris Verbum, quod templum adeo sanctum tibimet praeparaveris. Et tibi, S. Spiritus, grates immensas ago, quod illam donis tuis adeo liberaliter exornaveris.

O Virgo sanctissima, explicando non sum ingens cordis gaudium, quo perfundor aspiciens te tot tantisque praeventam gratiis, et ab ipso conceptionis tuae momento repletam luce divini solis, qui habitaturus in te nec minimam potuit tolerare labeculam. Vel unico, Mater gloriosissima, lucis tuae radio nos illumina: nostras dissipa tenebras, nec unquam permitte, ut in umbra mortis habitemus. Nosti, quod *extra nos* habeamus hostes crudelissimos, qui nunquam ausi sunt vel e longinquo te oppugnare: *intra nos* aestum libidinis, cujus vim sensisti nunquam: tua confisi bonitate et patrocinio firmiter speramus victoriam hostium et moderationem libidinis, ut sanctitatem tuam imitati in terris, tuae gloriae et coronae participes reddamur in coelis.

Feria V.

B. Virgo visitat S. Elisabeth cognatam.

(Luc. 1, 39. sq.)

PUNCTUM I.

Verbum divinum, maternis adhuc visceribus clausum, jam auspicatur officium *Servatoris* praecursorem Joannem sanctificando. Dolens, eum culpae originis obnoxium esse, decernit ipsum statim ab ea miseria liberare. Matri igitur efficaciter inspirat, ut *exurgens abiret in montana cum festinatione*, et visitaret cognatam Elisabeth.

Obstupesce, anima mea, quam sollicitus de amicis et electis suis sit Jesus; quam prompte eos adjuvet et a peccati jugo liberet. Domine, neque tua amicitia, neque favoribus tuis sum dignus, nec tuis mereor annumerari carissimis. Attamen (qui honor mihi sufficit) *servus* tuus sum: *qua servus* minime dubito tuam implorare misericordiam, et cum propheta ad te clamare: *Tuus sum ego; salvum me fac.* (Psal. 118, 94.) Ah! festina compedes et vincula mea rumpere, meque in libertatem filiorum Dei asserere; non enim abs re propheta hoc te nomine inclamavit: *Accelera spolia detrahere: festina praedari.* (Isa. 8, 3.)

Utique hujus nominis mensuram implebis in me, Redemptor amantissime: impulsus nimio amoris tui ardore fructus redemptionis accelerabis producere in anima mea, gemente, eheu! sub gravi peccatorum et passionum suarum jugo. Te illa, Redemptorem suum, diu noctuque suspirat. Vincula disrumpe, impedientia, ne ad sanctitatem eluctetur, eamque vindica in sanctam libertatem: et hac ratione efficies, ut ad gradum perfectionis, quo per inspirationes tuas se vocari sentit, feliciter pertingat.

PUNCTUM II.

Poterat Christus *absens* in Nazareth Joannem a culpa originali liberare, cum beneficium istud prodigiumque corporali praesentiae Christi neutiquam fuerit alligatum: maluit tamen ipse *praesens* cum sanctissima matre sua, cujus utero portabatur, utrumque perficere, ut 1. magis exquisita amoris signa demonstraret suo praecursori. 2. Ut nobis insigne zeli animarum et humilitatis exemplum relinqueret. 3. Et praecipue, ut faciendo matrem suam *instrumentum* illius sanctificationis nos doceret, quanta ad eandem fiducia nobis sit confugiendum ad impetrandam animarum nostrarum sanctificationem. Atque hoc volunt Patres Ecclesiae, quando Mariam appellant nostram *mediatricem*, cum Christo salutis nostrae *cooperatricem* et *canalem*, unde gratiae Christi in nos derivantur.

Quanto nobis solatio esse debet, quod ex ipso Servatoris exemplo tam suave, tam facile nos sanctificandi

medium habeamus! Quanta ejus est bonitas, quod suam et nostram matrem faciat nostram apud se advocatam. sicut ipse est supremus noster et omnipotens apud Patrem advocatus! Quanta inde peccatoribus fiducia spei nascitur!

In me igitur exerce, Virgo potentissima, gratiosum *mediatricis* officium, cujus hodie possessionem adiisti: fac, ut ipso experiar opere, quantum valeas apud Filium tuum: fac, inquam, per intercessionem tuam, ut mihi veniam peccatorum, et necessarias ad meam sanctificationem gratias largiatur.

PUNCTUM III.

Considera, quam perfectam inspirationi divinae obedientiam exhibuerit b. Virgo. *Exurgens Maria*, inquit Evangelista, *abiit in montana cum festinatione.* 1. Non expectat mandatum Numinis expressum, contenta scivisse, Deo gratum fore, si ad Elisabetham inviseret. 2. Non differt suam visitationem, sed perficit *cum festinatione.* 3. Non temporis fallendi ergo, *non ex curiositate, aut explorandi causa*, verumne sit, quod angelus Gabriel dixerat, iter suscipit, sed ex purissima intentione Deum glorificandi per opus caritatis Joanni et ejus matri exhibendae. 4. Nec iter prolixius, quod juveni, tenerae, praegnantique Virgini non poterat non molestum esse, eam remorabatur.

Bellissimum profecto obedientiae exemplar, cui tuam oportet conformare, anima mea! An autem conformis est, cum Dei et superiorum mandata exequeris? Num ectypon perfecte respondet prototypo, quod inspicis in Maria, et obstupescis?

O quantum, Virgo sacrosancta, discrimen tuam inter meamque obedientiam est! Verum an tuam inutili solum sterilique intuebor admiratione! Nunquamne heroica obedientiae tuae imitabor exempla?

Porro singularis modestia et summa collectio Virginis, per pagos et oppida incedentis, non minus admiratione nostra ac imitatione sunt dignae. Causa et parens illarum virtutum erat recordatio, quod Deum portet secum.

Domine, si ego quoque coram te et in oculis tuis ita ambularem, singulos gressus meos sanctificares, ego

autem aliqua virtutum, quas b. Virgo per totam viam in gradu perfectissimo exercuit, signarem illos nobilitaremque.

Feria VI.

Quid gestum, dum b. Virgo visitavit Elisabetham.

Vide infra medit. II. Julii pag. 372.

Sabbato.

Meditatio et explicatio cantici Magnificat.

Antequam singulos hujus cantici versus expendam, considerabo prius, quod b. Virgo non ad Elisabetham, a qua tot laudes suas et encomia audiit, sed ad Deum solummodo suam dixerit responsionem, tanquam ad fontem omnium gratiarum, quas illi gratulabatur cognata. Per id nos docet Virgo, qua ratione illis debeamus occurrere, qui nostra vane adulando nimium laudant extolluntque. Securissimum adulatoribus ora obturandi medium est nihil respondere, et sermonem divertere ad Deum, in eum referendo, quidquid in nobis laude dignum videbitur. Deinde perpendam, quod b. Virgo, quae verborum alioquin parcissima, et sive cum hominibus sive cum Angelis loquebatur, consideratissime agebat, liberalius de Deo et Dei magnalibus fuerit locuta. Ita comparatum est natura: *ex abundantia cordis os loquitur.* (Matth. 12, 34.) Plerumque solum de mundanis rebus loquimur, quia cor iis plenum est. Si animus divinis veritatibus et cor nostrum tuo, o Deus, amore foret imbutum, amplissimus sancte loquendi campus pateret.

Denique decem versiculi, ex quibus admirandum, quod meditari aggredior, b. Virginis canticum constat, sint mihi velut *decachordum* seu decem chordae *Psalterii*, quo David laudes Domini decantabat. Affectibus Mariae meos conjungam, ut ex ejusdem verbis satagam verum haurire sensum ac devotionem.

Vers. 1. *Magnificat anima mea Dominum.*

Docet his verbis b. Virgo digne laudare Deum et glorificare: quod est eum cognoscere, amare et ejus

perfectiones magnifice extollere. Ut autem digne eum laudes, non ore tantum, sed praecipue animo et corde eum laudes necesse est: et quidem semper ac sine intermissione.

Ita sane Deipara fecit. Magnifice de sapientia, bonitate, potentia et misericordia Dei sentiens, corde potius quam ore, affectu magis quam sensu eum laudat, dicens: Magnificat *anima mea* Dominum. Et observandum: non ait: *Magnificavit* aut *magnificabit* anima mea, sed *magnificat* in praesenti; ut significet, quod Deum magnificare, uti perpetuum in coelis Seraphinorum, ita ipsius continuum sit in terris officium, nostrumque esse debeat, si ejus exemplo cupiamus spiritu vivere.

Vers. 2. *Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.*

Docet nos gaudere in Domino, insinuans conditiones requisitas, ut hoc gaudium sit purum et perfectum. Scilicet 1. collocandum in bonis *spiritualibus*, non in mere corporeis et temporalibus, quae nimis abjecta et apta non sunt satiare animam, felicitati aeternae destinatam. 2. Gaudendum magis *in* largitore bonorum *Deo*, quam in donis ejus: Et quidem *in Deo salutari*, h. e. qua Salvatore et auctore gratiae potius, quam naturae; praecipue enim ut auctor gratiae et Salvator justos sancto replet gaudio, rapitque ad se corda eorum. Licet autem praecipuus divinae hujus operationis effectus sit exultatio *spiritus*, non raro tamen tanta animam voluptas obruit, ut redundet in corpus: ita David testatur de se: *Cor meum, et caro mea exultaverunt in Deum vivum.* (Psal. 83, 3.) 3. Summopere cavendum, ne talis anima exultet *in se ipsa.* Vanum et inane foret hoc gaudium. Sanctum et solidum haud est, nisi Deo soli innitatur et *salutari suo.*

Hujusmodi fuit gaudium reginae angelorum. Prae his omnibus Deo conjunctissima, Deo plenissima, nec non continuae Verbi divini, quod in utero gestabat, contemplationi penitus immersa exclamavit: *Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo*, in hoc solo mihi gaudendum in tempore, quia in hoc solo mihi gaudendum erit in aeternitate, cum *intravero in gaudium Domini mei.*

Vers. 3. *Quia respexit humilitatem ancillae suae.*

Incipit jam Maria suas Deum glorificandi causas commemorare. Primam assignat, *quia respexit humilitatem* et nihilum *ancillae suae*: qua in re duplicem reperit causam et originem beneficiorum, quibus eam replevit Deus: nimirum ex parte Dei, clementissime eam respicientis, *abyssum misericordiae:* ex parte sua vero *abyssum miseriae* et vilitatis, cumulate a Deo gratiis repletam.

Caeterum *exultando*, quod Deus respexerit *humilitatem* ejus, non *praedicat* gloriose suam humilitatem, sed eam demisse *exercet*, protestando publice, quod Deus in ea nihil invenerit tam insignibus dignum gratiis, favoribus ac praerogativis, sed suis illam donis impleverit, quia omni merito reperit vacuam. Neque potentius ista vilitatis nihilique nostri cognitione incitamentum est Deo benignis nos respiciendi oculis, suosque favores nobis communicandi, quam si nos videat propria nostri existimatione vacuos et indignitatis nostrae cognitione impletos; singulari enim cum voluptate *humilia respicit in coelo et in terra.* (Psal. 112, 6.)

Vers. 4. *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.*

Aliam, cur Deum *magnificet* et *spiritu exultet*, causam allegat istam, quod Deus infinite magnus per ipsam ancillae suae vilitatem se glorificaturus, eam voluerit ab omnibus saeculis *beatam dici* felicemque. Quam Deum magnificandi et spiritu exultandi materiem non tam e propria exaltatione capit, quam partim ex infinita Dei bonitate, qui eam adeo exaltavit; partim ex bonis et spiritualibus lucris, quae cum tempore illi haurient, qui beatam dicent et dici audient, ac inde captabunt occasionem laudandi atque amandi bonorum istorum auctorem.

Benedictus sis in saecula, Domine, ob insignes praerogativas, quibus dignissimam matrem tuam honorasti.

Sed et te *benedictam in mulieribus* et omnibus saeculis *beatam*, Virgo sanctissima, quod ad tam excelsam dignitatem fueris evecta, et tam gloriosae electioni tuae tanta fidelitate et gratitudine responderis!

Vers. 5. *Quia fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus.*

En tertiam Mariae causam glorificandi Deum. Videns attonita, quod per geminum Dei prodigium *et Virgo* esset *et Mater:* nec non pura esset creatura et simul mater Creatoris, meritis laudibus Deum magnificat, utpote horum auctorem miraculorum. Scilicet non obstat humilitati, quod quis magna Dei dona sibi collata agnoscat, modo ea *omnipotentiae* et *sanctitati* Dei adscribat, non suis meritis. Ita fecit b. Virgo, omnia, quae Spiritus S. in ea operatus fuerat, magnalia et praerogativas referens in Deum *potentem* et *sanctum.*

Solus ille sponsus tuus, o Virgo sanctissima, revelavit tibi immensos, quibus te cumulavit, favores, quos tu ut merissimas agnoscis gratias, humillimae dumtaxat gratitudinis feraces.

Vers. 6. *Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum.*

Quarta Deum magnificandi ratio et motivum b. Virgini erat spes, quod Dei misericordia, cujus ipsamet adeo prodigiosos in se viderat effectus, nullo non tempore velut inexhaustus fons in omnes terrae nationes, ipsum timentes ac amantes, prodige effusura sit gratias ac favores suos.

Quam bonum, quam liberalem habemus Deum, anima mea! Quam nobis quaestuosa res est Deo servire! Quam diversus is est ab hujus terrae dominis, qui nova quotidie servitia a subditis exigunt, at non remunerant. Omnia prorsus saecula fuerunt, sunt, et erunt testes liberalitatis Dei inexhaustae; et quae liberaliter beneficia, gratias, aut praemia confert in terris, argumenta sunt futurae liberalitatis munificentissimae in coelis.

Vers 7. *Fecit potentiam in brachio suo.*

Quintus Deum magnificandi titulus a Maria desumitur ex stupendis ac prodigiosis operibus sine numero, e quibus nullo non saeculo Dei omnipotentia magnifice eluxit et primo quidem, dum unico verbo totum hoc universum e nihilo eduxit, subin vero tot ac tam stupenda miracula modo per semetipsum, modo per angelos hominesque patravit. Omnium tamen maxime b. Virginem rapuit in stuporem, et ad magnificandam Dei potentiam impulit recentissimum ac ineffabile mysterium

incarnationis Verbi, quae magnam partem pertinebat ad Mariam. In eo, quod Deus vere potentiam et virtutem brachii sui maxime ostenderit, utique agnovit Virgo et palam praedicavit.

Ita est, anima mea: si vel tantillum perpenderes incomprehensibile istud prodigium, stupore plena exclamares: Ah! quam magnus est Dominus! *Major profecto est omni laude.* (Eccli. 43, 33.)

Vers. 8. *Dispersit superbos mente cordis sui.*

Postquam Virgo sanctissima magnificavit Dei misericordiam erga humiles, praedicat ejus justitiam erga superbos semper exercitam. Horrenda ejus rei exempla animo recolebat, quae Deus edidit: 1. in Lucifero per superbiam in Orcum praecipitato. 2. In stultis Babylonicae turris structoribus, quos confusa eorum lingua coegit probrosissime coeptum opus deserere. 3. In Pharaone, Nabuchodonosore et aliis, qui vel inviti ac ringentes infirmitatem suam debuerunt agnoscere. Propter haec et similia omnipotentiam Dei, quod superbos castigaverit, b. Virgo magnificat.

Revereamur cum illa formidabilem hanc Dei nostri potentiam: vereamur tremenda ejus judicia: utque eorum rigorem effugiamus, ad securissimum verae humilitatis asylum confugiamus.

Vers. 9. *Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles: esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes.*

Utroque hoc versu praecedentem continuat et alia duo Deum glorificandi motiva exprimit b. Virgo. Primum est, quod Deus justitiam et misericordiam semper conjunxerit, superbos principes deturbando de throno in poenam arrogantiae, in eorum autem locum evehendo humiles in praemium humilitatis. Secundum est constans divinae providentiae dispositio, pauperes, qui suam humiliter agnoscunt inopiam, bonis spiritualibus implentis: divites contra, qui nullius egere se arroganter existimant, ad probrosam egestatem redigentis.

Quam nullo igitur labore ac negotio omnibus abundant, nullius egent, qui serviunt tibi, Domine! Ut bonis et thesauris tuis impleantur, solum opus est suam fateri paupertatem. Ah! meam tibi fateor, et quidem luben-

tissime, quia extrema paupertas est, praesertim in bonis spiritualibus. Imple, quaeso, gratiis tuis vacuam omni bono animam meam: meam justitiae famem exple, tuaeque thesauris misericordiae meam alleva egestatem.

Vers. 10. *Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiae suae: sicut locutus est ad patres nostros, Abraham, et semini ejus in saecula.*

Alii duo tituli et causae Deum magnificandi sunt b. Virgini: Sollicita, quam Pater coelestis gerit de suis, cura ac *providentia*, licet eorum subinde ad tempus oblivisci videatur: item summa in servandis promissis *fidelitas*.

Atque hi ipsi duo tituli continuo ad te glorificandum semper nos debent excitare, o Deus. An non enim amantissimam aeque, ac potentissimam protectionem tuam millies milliesque sumus experti? Sub umbra alarum tuarum tranquille viximus in medio mille periculorum: non modo implevisti, sed et superasti tua promissa, spemque nostram. Conjurent in meam perniciem omnes mei hostes: actum agent. Pro me Deus stat optimus simul ac fidelissimus: in hoc ego speravi; non confundar in aeternum.

Denique post rite expensum b. Virginis canticum restat considerandum, quanta domui cognatae Elisabeth bona spatio trium mensium, quibus apud ipsam b. Virgo commorata est, attulerit. Quos pietatis sensus domesticis omnibus inspiraverit cum spiritualibus colloquiis, tum sanctis modestiae, humilitatis et caritatis exemplis! quot mysteria aperuerit sanctae Elisabeth, quacum confidentius saepe colloquebatur! Quot utilissimas doctrinas ex tam sancta consuetudine hauserit cognata Elisabeth! Certe si arca foederis, per tres menses in domo Obededom commorata, in ipsum et omnem domum ejus tantas benedictiones attraxit, quantas domui Zachariae ipsique Elisabeth conciliaverit Maria, animata *Dei* Jesu Christi *arca?* Si primus Mariae ingressus tantis cognatam benedictionibus replevit, ut infans in utero ejus exultaret, quantas adduxerit trium mensium commoratio!

Utinam et ego te, sacratissima novi Testamenti arca, in domum cordis mei possem transferre! genus

omne bonorum tecum intraret. Saltem in vera ergate et constanti devotione me conserva, ut nunquam a te possim separari: et certus sum, mihi obventuras mille benedictiones tamquam certos salutis meae prodromos.

Dominica IV. Adventus.

De vita et praedicatione S. Joannis Baptistae.

(Luc. 3, 3. sq.)

PUNCTUM I.

Joannes Baptista a teneris in eremum secessit, ubi quatuor eximias virtutes exercuit, fundamenta perfectionis.

Prima fuit *austeritas vitae*, eo magis admiranda, quo innocentior erat Joannes, in ipso matris utero jam sanctificatus a labe originali, et alias ab omni naevo notabili immunis, ut adeo habuerit nihil, quod tantum poenitentiae rigorem postularet. Nihilominus illi se dedit totum. Cibum ei solae suppeditabant locustae et mel silvestre, vestem cilicium de pilis camelorum, zonam circa lumbos villosa pellis, habitationem spelunca.

Altera fuit *studium orationis* assiduum. S. Spiritus *duxit eum in solitudinem, et locutus est ad cor ejus.* Hoc igitur magistro totum se contemplandis rebus divinis impendit.

Tertia Joannis virtus erat *perseverantia*, qua in suscepto vitae instituto constans permansit, quamvis a stygio omnis boni et sanctitatis inimico continenter et graviter ad receptum fuerit tentatus. Atque ista adolescentis constantia majorem forte quam omnes reliquae virtutes laudem meretur et admirationem.

Quarta et veluti priorum filia extitit *angelica puritas* et admirabilis in via perfectionis progressus, ita ut Scriptura de eo dicat: *Puer autem crescebat, et confortabatur spiritu.* (Luc. 1, 80.)

Anima mea! Solitudo campus est omnis generis virtutum longe feracissimus: praesertim si quis ausit in ea tamdiu haerere, quamdiu Deus voluerit. Vacemus in ea studio orationis et mortificationis: et erit nobis ceu *mons myrrhae et collis thuris*, in quo continua Deo

offeremus sacrificia, et pro mercede referemus cordis puritatem, quae nos angelico dignos consortio reddet, et efficiet, ut virtutis nostrae *semita, quasi lux splendens, procedat et crescat usque ad perfectam diem.* (Prov. 4, 18.)

Ad te pertinet, Sancte spiritus, nos de medio mundi et iniquitatum eripere, in solitudinem ducere, ibi nos cognitione rerum divinarum imbuere, et eximias sanctissimi praecursoris tui virtutes exercendi gratiam nobis conferre. Hanc a te supplices petimus, et ideo tuae nos providentiae totos committimus et consecramus.

PUNCTUM II.

S. Joannes solitudinem deserit aditque littus Jordanis, baptismum poenitentiae praedicaturus. Qua vero de causa Joannes prodit ex eremo? quo aetatis anno? ob quale ministerium? qua ratione, quo fructu illud exequitur? Habes hic amplum, anima mea, campum contemplandi magna tua et illorum utilitate, quos Deus ad promovendam nominis sui gloriam elegit.

1. Non vitae solitariae taedium, nec animi levitas aut impetus, sed idem S. Spiritus, qui Joannem duxit in eremum, inde eundem produxit in lucem, postquam illum diu disposuerat ad finem a Deo intentum.

Quam felix est, Domine, quem tantus magister erudit! At, cum sub ejus disciplina sumus, omnes ejus motus et nutus observare et sequi oportet, nec sub praetextu zeli per immaturum ardorem foras ac in publicum prorumpere.

2. Post expletum tempus, quod Deus Joanni ad praedicandum praefixerat, in lucem prodit ex eremo seu schola Spiritus Sancti, non alio fine, quam ut et alios instrueret ac *Deo pararet plebem perfectam.* (Luc. 1, 17.) Deus amoris non alia de causa tot annis cor Sancti Joannis igne sui amoris inflammavit, quam ut flammas in alios quoque diffunderet. Qui te vere amat, o Deus, potestne sibi et suo temperare zelo? aut prodire in publicum, quin homines ad te amandum exhortetur?

3. Concionum Joannis argumentum erat *poenitentia: Poenitentiam agite;* quod tamen diversimode attemperabat auditoribus juxta cujusque dispositionem. Quando illi

res erat cum indurata Pharisaeorum et Sadducaeorum gente, ad frangenda eorum corda horrendum ut Elias tonabat, extrema quaeque intentans. Contra in plebem, publicanos et milites totus benignus ut Moyses erat, quia dociles habuit tractabilesque. Suavius nihil est et animosius caritate. Sive horrida evibret tonitrua, sive dulcem destillet rorem, semper eadem est, sibique similis, aliud intendens nihil, quam conversionem animarum.

4. Quod autem ejus praedicationi totum pondus, auctoritatem ac fidem conciliabat, non erant signa et prodigia, *quorum quidem fecit nullum*, sed sola erat sanctitas praedicatoris: quamquam jure dici possit, prodigiosam vivendi rationem ingens fuisse solumque miraculum, quod innumeros attraxit auditores et sermonem concionantis reddidit efficacem.

Alme Spiritus, suscita, quaeso, in Ecclesia tua plures Joannes Baptistas, veros praecursoris imitatores in vita et zelo: concionatores, ajo, qui, quod dicunt verbo, confirment vitae exemplo, seque ipsos sanctificent, ut et alios possint sanctos efficere.

PUNCTUM III.

Vita et praedicatio tantum nominis, famae et auctoritatis Joanni peperit in plebe, ut plures *cogitaverint in cordibus suis de Joanne, ne forte ipse esset Christus* seu Messias in lege promissus. Id ubi humilis praecursor animadvertit, dubium omne ac errorem sustulit, dicens: *Ego quidem aqua baptizo vos: veniet autem fortior me, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus: ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto et igni.*

In his verbis Joannes tres heroicos eximiae humilitatis actus et experimenta edidit. 1. Quia se non extulit vane ex tam aspera vitae ratione, nec ex insignibus Dei donis, quibus enituit, nec ex universali populi applausu. Heu me! tantis superbiae incitamentis opus haud est, ut vane mihi complaceam. 2. Quia ad gloriam Jesu Christi, etiam cum detrimento honoris proprii, veritatem neutiquam dissimulans, publice fatetur, se non esse Christum, imo nihil esse, indignum, qui abjectissima in ejus obsequio officia exerceat. O quam pauci repudiant laudes et

praeconia, si vel indignis obveniant! At ubi reperies, qui meritis laudibus alios extollunt cum detrimento honoris proprii? 3. Quia suum extenuat baptismum, ut extollat baptismum Christi. Meus, ait, baptismus est in sola aqua: qui autem post me veniet, et quem vos non cognovistis, ille baptismo suo Sanctum confert Spiritum et divini amoris ignem.

Ita loquuntur, o Deus, aguntque vere humiles. Quo majori in pretio ac existimatione sunt hominibus, eo viliores sunt sibi, omniumque pedibus se ultro substernunt, omnem gloriam et honorem, quo afficiuntur, fidelissime, ut par est, referentes in ejus auctorem Deum.

Erubesce, anima mea, quod tam longe absis a S. Joanne. Vilis in Dei, imo et hominum saepe oculis, nescio quanti te aestimas et praefers illis, qui longe majori ac tu apud ipsum in pretio et amore sunt. Ad Dei gloriam nil praestas, quod magnopere considerari meretur: et tamen per superbiam exiguum illud gloriae, quam ex vilibus tuis operibus posset trahere, illi invides, subtrahis et furaris.

O gloriosissime praecursor, qui te ipsum usque ad nihili abyssum deprimis, dum coelum et terra junctis viribus certant super aethera te attollere; partem aliquam rarae humilitatis, cujus tu supremum conscendisti gradum, mihi impetra, ne per superbiam coelestia amittam dona, quae Deus mihi sua solum concessit gratia.

Feria II.

De nativitate S. Joannis Baptistae.

Vide medit. XXIV. Junii. Part. I. pag. 489.

Feria III.

Angelus S. Josepho revelat mysterium incarnationis.

Vide medit. XIX. Martii. Part. I. pag. 454.

Feria IV.

Repete meditionem praecedentem.

Feria V.

De expectatione partus b. Virginis.

PUNCTUM I.

Considera 1. ardentissimum ipsius infantis Jesu Christi, in materno adhuc latentis utero, desiderium redemptionem nostram perficiendi, atque adeo nascendi, ut illam auspicaretur. Jam tum poterat dicere, quod postea protulit de se: *Baptismo habeo baptizari: et quomodo coarctor, usquedum perficiatur!* (Luc. 12, 50.) Quantumvis autem corpus Christi plurimum angustiis uteri fuerit *coarctatum*, multo tamen magis cor ejus premebatur vehementia illius desiderii. An et nos pari ardore gloriam Dei expetimus? an pari eum vehementia redamamus? Nihilominus, licet summe ardens fuerit in Christo desiderium nascendi, noluit tamen ante finem noni a conceptione mensis (quod tempus ordinarie reliquis infantibus constitutum est) in hanc lucem prodire. Noluit ullam singularitatem aut a communi nascendi lege immunitatem admittere: neque tamen cum taedio aut moleste tulit diuturnam in matris utero solitudinem, sed suo nos exemplo docuit, quomodo in sacro quodam secessu nos ad munus apostolicum et ad lucra animarum comparare debeamus.

Amantissime Servator, quam salubria nobis, necdum natus, documenta relinquis! quam divine per id nos doces nimiam in agendo celeritatem et immaturos reprimere animi impetus! Aegre in umbra et cubiculi tenebris retinemur, avidiores, ut compareamus in publico, quam studiosi, ut ad id utiliter praestandum nos rite praeparemus in occulto. Mille nobis pollicemur successus, quos nostra solum vanitas nobis fingit. Credamus certo, perfectionem nostram in eo sitam esse, ut voluntatem Dei faciamus; ad proximi vero perfectionem nihil unquam collatum iri utiliter, nisi praestolemur imperium Dei ad laborandum, et ejus benedictionem ad laborandum cum fructu.

PUNCTUM II.

Considera 2. incensa pariter b. Virginis desideria, ut felix partus sui appropinquaret hora, quo suum videret

Filium. Amor erga ipsum tenerrimus, desiderium ingens ipsi ut Filio inserviendi, ut Deum Creatorem suum adorandi, zelus et cupiditas infinitum hunc thesaurum mundo communicandi; haec, inquam, totidem erant causae et fomites immensi illius desiderii, ut continue potuerit ingeminare illa canticorum verba: *Quis mihi det, ut inveniam te foris* extra uterum meum, *et deosculer te* (Cant. 8, 1.) tamquam Filium meum, et adorem te Deum meum, et in te illum hominibus communicem, qui est eorum salus ac beatitudo.

Num aequali nos flagramus desiderio, ut Deus in nostro et omnium corde nascatur *spiritualiter?* flagraremus, si te, o Jesu, ardenter amaremus: si incarnationis tuae fines clare cognosceremus: si de zelo animarum, qui te e coelo in terras detraxit, vel tantillum haberemus. At nec amorem, nec zelum habebimus, nisi utroque corda nostra, ex se ipsis tam frigida et languentia, accendere digneris.

Et vero has ob causas, et ob hominum conversiones in mundum venis, Domine. Veni igitur sine mora, nosque in coelestes transforma homines, igne divini amoris tui inflammatos. Hanc gratiam ut obtineamus, assidue cum Ecclesia ad te clamabimus: *O sapientia* incomprehensibilis, *veni ad docendum nos viam prudentiae* et viam salutis. *O sol justitiae, veni, et illumina sedentes in tenebris et umbra mortis. O splendor lucis aeternae,* diffunde in omnes lumen vultus tui. *O rex gentium,* o Dominator universi, o Redemptor mundi, *veni* ad nos gubernandum, ad instruendum, *ad salvandum nos.* (Breviar.)

PUNCTUM III.

Considera 3. quomodo Virgo, ab omni angore, quo caeterae matres ob partus difficultatem etc. torquentur, immunis, et, quod caput est, certa per Gabrielis promissum de conservanda virginitate sua, pacato prorsus animo et in Dei voluntatem plene resignato, expectaverit felix illud momentum, a SS. Trinitate designatum, quo Verbum divinum in hanc lucem effunderet. Expectabat autem illud viva fide, spe firma, et ardentissima caritate. Tota altissimis virtutum actibus, quin tamen reliqua excipiendo

infanti, quantum ejus paupertas permisit, necessaria neglexerit, unice intenta erat, per quos ad digne excipiendum divinum infantem rite poterat praeparari.

Unde tantum mihi bonum (dixerit stupore plena) unde tanta mihi felicitas, ut sim Virgo pura et foecunda? ut in meo conciperem utero, quem Pater genuit ab aeterno? Quanta haec omnipotentis est indulgentia ac benignitas, quod Filius esse dignetur creaturae adeo vilis! Quanta est mea felicitas, quod Mater sim Dei-Hominis et absque ullo virginitatis detrimento! Accelera igitur, Domine, accelera felix illud momentum, quod mundo dabit Salvatorem.

Egregium sane exemplar virtutum, illis imitandum, qui se ad natalem Filii Dei praeparare statuunt! Ante omnia removeant, quidquid ei cordis nostri aditum posset occludere: actibus contra virtutum, tanto hospiti carissimarum animas exornent, uti Ecclesia illis hortatur verbis: *Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus. Omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur: et erunt prava in directa, et aspera in vias planas: et videbit omnis caro salutare Dei*, seu Salvatorem. Quo dicit: auferte de cordibus vestris pusillanimitatem, quae vos nimium *deprimit:* removete superbiam, quae vos *in altum tollit:* dirigite curvas seu *perversas* intentiones vestras: *asperitatem* morum deponite.

Exequemur ista, Domine, si tua nos juveris potenti gratia; hujus enim est imbecilles conatus nostros praevenire et adjuvare: fiduciam excitare, quae nos elevet supra nos, tibique firmiter alliget: conservare humilitatem, quae nos continuo in abyssum nihili nostri deprimat: intentiones nostras dirigere ad coelestia solum, sine ulla terrenorum admixtione, quae nos a te possent avertere: demum eam conferre mansuetudinem, quae nos cogat nemini ullam dare offensionem. Hae sunt virtutes, Domine, quas Filius tuus nos docturus venit in mundum; virtutes, quae certo certius eundem in cor nostrum detrahent, si istud per illas ad excipiendum rite disposuerimus.

Feria VI.

B. Virgo ex Nazareth proficiscitur in Bethlehem.

(Luc. 2, 3. sq.)

PUNCTUM I.

Verbum divinum, postquam novem menses in utero matris delituit, denique mundum voluit ingredi, at modo prorsus mirabili, qui scilicet necessarium ad salutem contemptum mundi omnes Christianos doceret, ut, quam mundo praedicaturus erat, evangelicae perfectionis jaceret fundamenta, et, ut S. Cyprianus inquit, primus Christi in mundum ingressus fieret exemplar nostri ad religionem christianam accessus.

Interroga Christum, anima mea, cur tempore natali suo proximo civitatem Nazareth deseruerit? Et respondebit tibi, ideo solum fecisse, ut qualescunque commoditates in domo materna et inter cognatos fortasse reperiundas sibi subtraheret, alibi rerum omnium privationem ultro quaerens, ut te doceret mature illud omne aversari, quod mundus amat, et amare, quod aversatur.

O quanti nobis momenti doctrinam et exemplum relinquis, divinissime magister! Quanto illud robore meam suffundit mollitiem et insanam cupiditatem meas in omnibus consectandi commoditates! Unde aut quorsum tantus, o Jesu, commoditatum et carnis illecebrarum horror in te? scilicet ut similem mihi earum horrorem inspires: ut edoceas me, veneno infectas esse, meaeque saluti ac perfectioni exitiosas, quas nisi oderim, me tuis non posse discipulis annumerari. Sanctum igitur hoc odium cordi meo infunde: animos et robur adde, ut illud constanter exercendo merear per mortificationem terrenorum affectuum coelestem gustare ambrosiam, qua reples animas, quae se ad natalem tuum digne praeparant.

PUNCTUM II.

Occasio itineris, quod Maria et Joseph in Bethlehem susceperunt, erat edictum Caesaris Augusti, imperantis *ut profiterentur singuli in sua civitate*, seu loco originis suae.

Magne Deus, quantum cogitationes tuae distant a cogitationibus hominum! quam alia sunt tua et illorum

consilia! Edictum Augusti originem trahit ab elatione animi, vanitate, avaritia et ambitione: tu autem per illud intendis Filium tuum, in omnibus tibi aequalem, per sui subjectionem nobis in exemplum humilitatis proponere. Et vero dilectus hic Dei Filius mandatum principis mundani recipit ut imperium aeterni Patris sui, illudque ad apicem observat, qua Deus homini obediens, ut primi hominis inobedientiam reparet, Deo obedire detrectantis.

Poterone autem post tuum obedientiae exemplum, Domine, voluntati tuae, per quemcunque mihi innotuerit, porro reluctari? Num grave mihi videbitur homini me subjicere, qui tuas in terris gerit vices? Profecto nimis quam insolens mea foret arrogantia, nisi tuae cederet humilitati. Sana, Domine, inveteratum superbiae malum, quod a protoparentibus nostris haereditate obtinuimus: remedium adhibe, quod tecum e coelo detulisti in terram: muta, inquam, a natura insitam a nemine dependendi inclinationem in sincerum obedientiae ac submissionis amorem.

PUNCTUM III.

Confecto itinere, cujus molestias clausus utero divinus infans absterserat, ubi Maria cum Joseph in civitatem Nazareth pervenit, sollicite, at frustra, quaesivit diversorium, in quo mundi Salvatorem pareret.

O incarnatum Dei Verbum, quam cito incipit te mundus rejicere, quem tu venisti redimere! Quam vere jam nunc potes illud affirmare: *Vulpes foveas habent, et volucres coeli nidos: Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet!* (Luc. 9, 58.) Ne tibi res magni valoris et summe aestimabilis visa fuit *contemni* ac *deseri ab hominibus*, eo quod utrumque nasciturus eligas! Poteras imperare, ut vulpes foveas et volucres suos tibi nidos cederent, h. e. ut astuti ac prudentes hujus saeculi, nobiles ac potentes hujus mundi suas tibi domos et palatia cederent: his omnibus vile stabulum praefers, ut ostendas, quod in pauperum et humilium cordibus ames habitare, ibique thesauros tuae nativitatis profundere.

Infelices sane illos, qui Jesum et Mariam repudiarunt! Quantum per id passi sunt jacturam! Certe cum istis

hospitibus in domum suam ut Zachaeus salutem recepissent.

Ah! tantam a me ingratitudinem prohibe, o Jesu, quando in anima mea spiritualiter nasci dignaris. Da, ut tempus tui adventus cognoscam: et propediem tibi cor meum patebit; ibi cum imperio tamquam absolutus regnabis Dominus.

Sabbato.

Repete pracedentem meditionem.

Festum Nativitatis D. N. J. Christi.

PUNCTUM I.

Filius Dei, ubi praefixa ab aeterno temporali suae nativitati hora illuxit, quam nec momento praevertere voluit nec prorogare, *exultavit ut gigas ad currendam viam* (Psal. 18, 6.), viam valde asperam ac difficilem ab utero ad crucem usque.

Divinissime infans, quot cruces te manent, donec illam conscendas, in qua tuum oportet finire cursum! quot derelictiones, tuique cordis resignationes in voluntatem Patris, qui eas omnes tibi signate praescripsit!

At quale hoc spectaculum est, anima mea, Deum intueri obedientem, et adeo duris obedientem ordinationibus Patris, in Filio rebelles subditos vindicantis!

Ita nascens, atque e castissimo virgineae matris utero, suo novem mensium sanctuario, egrediens, tanta illam gratiarum affluentia replevit, ut facilius sit eas animo contemplari, quam calamo aut verbis exprimere.

Pro! quantis et nos repleres gratiis s. Communionis tempore, o Jesu, quando te cordis nostri hospitio suscipimus, nisi tuae liberalitati poneremus obstacula! Si puritatem afferremus puritati matris tuae parem, nostram, ut ejus, magis perficeres.

PUNCTUM II.

B. Virgo horam partus imminere praesentiens, in separatum stabuli angulum se recepit altissimae contemplationi intenta, ac denique Redemptorem mundi inter ineffabiles amoris et reverentiae excessus edidit in lucem. Natum mox in ulnas accipit divinum infantem,

stringit suavissime, basiat devotissime, tota diffluit in lacrimas, prae gaudio et solatiis fusas.

Tales et tui, anima mea, deberent esse affectus amoris ac reverentiae, quando tuum in s. Synaxi recipis Servatorem. Reverentia et amor duo sunt brachia, quibus stringi tunc gaudet.

Postquam primo amoris fervori abunde indulsit mater sanctissima, ingenti ardore materna Filio obsequia praestare coepit, suis eum involvit panniculis, et reclinavit in praesepio. O quam grave acciderit matri amantissimae, unigenitum Dei Filium, Conditorem suum ac Redemptorem, in cunis adeo vilibus, et dignitati personae tam parum respondentibus collocare! Quantum obstupuerit Deum eo inopiae redactum! Quantas eidem grates egerit, quod se in matrem dignatus sit eligere! Quanta animi devotione totam se fidelibus ejusdem consecraverit obsequiis! Non minori ardore S. Josephus, exemplo conjugis suae, divinum infantem latreutice veneratus, arctissime amplexus, blandissime fuit dissuaviatus.

Nos pariter cum Maria et Joseph pedibus divini infantis supplices advolvamur, anima mea, et Verbum, quod amore nostri *caro factum* et tam prodigiose humiliatum est, utriusque exemplo *adoremus*, *admiremur*, *amemus;* humillimas ob ineffabile hoc beneficium ei grates agamus: in grati animi signum nos ejus obsequiis totos perfecte devoveamus, toto cordis affectu dicentes:

Amantissime Redemptor, quid tanto bonitatis tuae excessu dignum possum reddere? Utinam potuissem nascenti adesse meaque tibi deferre obsequia! Permitte saltem, ut nunc spiritu et mente praesentem majestati tuae me sistam ac perfectum corporis et animae sacrificium tibi offeram, quam possum vehementissime desiderans, ut nihil sit reperire in me, quod non sit perfectissime tuum.

PUNCTUM III.

Quot quantaque occurrunt in nato Jesu et in omnibus nativitatis ejus circumstantiis prodigia, quae admiremur, virtutum exempla, quae imitemur! Qui in coelis medius Patrem inter ac Spiritum Sanctum sedet in throno gloriae suae, innumeris stipatus Cherubim ac

Seraphim, qui inclinato capite et flexo poplite sedentem adorant, hic ipse in terris vilissimo jacet *in praesepio reclinatus* super pugillum palearum *in medio duorum animalium*, quae integrum ejus constituunt apparatum. Ita ad Patris honorem et nostram salutem exinanitus, primos oculorum obtutus in illum, et in nos reflectit; *in illum*, ut jam tunc integrum vitae suae sacrificium ei offerat: *in nos*, ut humilitatem nobis inculcet, quam a primo nativitatis suae momento opere ac exemplo mirifice nos docuit.

Audisne, anima mea, facundam divini pusionis vocem, in quo nihil non clamat? clamant panni, clamat praesepe, clamat stabulum, clamat reliquus humilitatis apparatus: *Discite a me; quia mitis sum, et humilis corde.* (Matth. 11, 29.) Superi! Quam praeclara summique momenti haec est doctrina! At quam parum addiscitur! quam parum aut nunquam in opus deducitur! Pater coelestis, ut ad amorem excellentissimae illius virtutis nos obstringat, in ejus exemplar nobis suum proponit Filium, palam declarans, nisi efficiamur sicut parvulus iste, non intraturos in regnum coelorum. Heu me! si hodie mihi coram ipso foret comparendum, quanta me confusio obrueret, quod tantum adhuc distem ab humili in cunis Deo infante!

Festo S. Stephani Proto-Martyris.

Vide medit. Fer. II. infra Hebdom. IV. post Pent. Part. I. pag. 430.

Festo S. Joannis Evangelistae.

Vide medit. Fer. IV. infra Hebdom. Passionis. Part. I. pag. 252.

Festo SS. Innocentium Martyrum.

(Matth. 2, 16.)

PUNCTUM I.

Considera 1. in crudeli Herodis ambitione et regnandi cupidine, in quae scelera hominem vehementior animi passio valeat praecipitare. Herodes rex, ait S. Evangelista, *audiens* a tribus magis, quod recens *natum regem Judaeorum* quaerant, *turbatus est*, ne sceptrum et coronam sibi eriperet: *simulque videns, quoniam illusus esset a*

magis, reditum in ejus aulam falso pollicitis, *iratus est valde, et mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, et in omnibus finibus ejus a bimatu et infra.*

Pro! quam abominandum crimen est *zelotypa imperandi libido*, enormium mater scelerum! Ea infecti redduntur timidi, diffidentes, suspiciosi: imo eo crudelitatis abripiuntur, ut Deo et innocentibus sine numero infantibus vitam aufere non dubitent. Non omnes quidem hominis passiones ad tantas scelerum enormitates proruunt: nulla tamen earum est, quae non sit periculosa, maligna, tyrannica, hominem adducens in discrimen aeternae damnationis.

Jam te examina, an nulla ejusmodi passio tibi dominetur pro imperio. Si ita esse comperias, tamdiu eam totis viribus oppugna, donec expugnes et vincas.

Ad hoc tua nobis opus est gratia, Domine. Haec sola catenas, quibus antiqui peccatorum habitus me ligant, potest rumpere ac priori me libertati restituere. Per merita Filii tui ego te precor, omnipotens et misericors Deus; eam mihi concede gratiam, ut duro isthoc funestoque liber jugo possim cum Psalmista dicere: *Dirupisti vincula mea*, Domine, quibus daemon me ad Orcum voluit detrahere: pro hoc singulari favore *tibi sacrificabo hostiam laudis, et nomen Domini invocabo.* (Psal. 115, 7. 8.)

PUNCTUM II.

Considera 2. quanto animi dolore Filius Dei fuerit affectus in Aegypto, quo fugerat, aspiciens, Innocentes in Bethlehem ipsius causa adeo crudeliter contrucidari. Numquid jure dixerim, quod idem gladius, quo eorum quisque transfigebatur, tenerrimum ejus cor et animam transverberaverit compassione, ita, ut ipse totidem in spiritu martyria toleraverit, quot illi omnes pertulerunt in corpore?

Quanta autem horum martyrum felicitas est, quod Verbum incarnatum dignetur suppliciis eorum compati, et velut per consensionem vulnera singulorum excipere! Quam jucundum est quoque pro Deo adeo amante agere et pati! Immensum ille distat a terrenis principibus, qui raro ad commiserationem moventur laboribus, periculis,

vulneribus, quibus subditi eorum causa sese objiciunt. Contra nulla est difficultas, modestia et labor servorum Dei, quem ipsemet non sentiat et compenset.

O rex martyrum gloriosissime, qui in his innocentibus et pateris simul, et vincis: compatere infirmitati meae. Nosti utique, quanto me furore mundus, caro et diabolus quotidie oppugnent; propter te vehementes hosce assultus sustineo; tuo igitur omnipotenti brachio me conforta, ut ad tuam gloriam meamque salutem omnes inimicos debellem.

PUNCTUM III.

Considera 3. quam ingens bonum spirituale accreverit SS. Innocentibus ex temporali morte pro Christo obita. Sunt vere *primi martyres* Jesu Christi, cujus loco sanguinem fuderunt, succedaneae furoris ac mortis victimae, instar arietis pro Isaaco, qui typus erat Christi, oblati.

Quanta laus et gloria horum est infantium, quod digni fuerint habiti pro Creatore suo immolari, eumque adversus Herodis rabiem, corpora sua pro clipeis objiciendo, tueri, et propriae vitae impendio vitam Servatoris conservare! Verum quanta vicissim eorum est felicitas, quod hic ipse Servator sanguinem eorum ac mortem suo sanguini, quem aliquando fusurus erat, ac morti unitam aeterno Patri suo obtulerit, palmam martyrii ipsis promeruerit, et pro vita mortali vitam ipsis largitus sit immortalem!

Ah! mi Deus, quam merito beatam hanc sortem hisce infantibus sancte invidemus! Utinam me in cunis adhuc jacentem barbarus quidam, ut illos, morte tam pulchra propter te sustulisset! Quin et tu, Domine, *in quem projectus sum ex utero; de ventre matris meae eras Deus meus* et protector meus (Psal. 21, 11.), cur (licetne autem eloqui?), cur tu post sacrum baptismi lavacrum non rapuisti me ocius, antequam *malitia mutaverit intellectum meum, aut fictio deceperit animam meam?* (Sap. 4, 11.) Ah! Domine, nunc saltem mortem prius mihi, imo mille mortes immitte, quam ut permittas imposterum te vel levissime cum plena deliberatione a me offendi.

Dominica infra Octavam.

Vide medit. Fer. III. post. Dom. I. post Epiph. Part. I. pag. 26.

XXIX. Decembris.

Laetitia angelorum ob nativitatem Christi.

(Luc. 2, 9. sq.)

PUNCTUM I.

Consideremus, quid actum fuerit in coelis, dum Christus nascebatur in terris. Cherubini omnes et Seraphini a Patre divino jubebantur unicum Filium suum, recens in stabulo natum, agnoscere et adorare. Ita sane Apostolus: *Cum iterum introducit primogenitum in orbem terrae, dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei.* (Hebr. 1, 6.) Sicut autem hoc Patris mandatum ad *omnes* universim angelos manavit, ita omnes certatim ei obtemperantes laetitia ac stupore pleni recens natum infantem summa cum reverentia e coelo adoraverunt, ille vero ea obsequia et homagium in stabulo acceptavit. *Omnes*, nemine excepto, erant paratissimi in ter felix hoc stabulum descendere, suis ut officiis divinum infantem prosequerentur, quem omnes suum venerabantur regem. Certa eorum turma fuit ablegata, ut eum summe humiliatum adorarent. Et vero repererunt eum aeque in stabulo, ac in sinu Patris et solio gloriae, suo dignissimum homagio et latria.

Jungere, jungere, anima mea, beatis spiritibus, et ad cunas prostrata cum iisdem divinum infantem adora, dic: O Jesu dulcissime, gaudiis exulto, quod te videam adeo glorificari ab angelis. Utinam pari gloria homines te afficerent, sane infelices, quod te non agnoscant, te contemnant, cujus majestatem totum agnoscit et adorat coelum! O si possem tantam hominum caecitatem et duritiam cordium auferre, ut totus terrarum orbis divinas perfectiones tuas cognosceret, adoraret, amaret!

Hoc ipsum faciunt missi e coelo angeli, qui, postquam divinum infantem profundissima adoratione sunt devenerati, stabulum reliquerunt, ut alios quoque ad

adorandum pellicerent. Digna sane hominis, amplificandae Verbi incarnati gloriae consecrati, occupatio, suis illud obsequiis in occulto demereri, nec alio fine in publicum prodire, quam ut divinas ejus perfectiones, quas infantia occultat, mundo manifestet!

PUNCTUM II.

Quibusnam autem Christi nativitatem manifestant angeli? Num divitibus in Bethlehem? an sapientibus Judaeae, aut nobilibus? minime gentium. Id gratiae non merebatur divitum avaritia, nec sapientum superbia, neque nobilium mollities. Ad quos ergo missi sunt coelestes nuntii? scilicet ad pauperes, abjectos, simplices et gregi invigilantes pastores. Hos incarnatum Verbum primos ex omnibus elegit, suos fecit proceres, ad cunas suas vocavit primos.

O quam dignae omni contemptu mihi estis, opes, sapientia et nobilitas hujus saeculi, si *oculis fidei* vos aspiciam simulque considerem, quid aeterna Dei sapientia de vobis judicaverit! Millies certe illis praefero paupertatem, cordis simplicitatem, et quidquid oculis hominum videtur abjectum; haec enim a Deo eligi merentur, qui nec falli potest in sua aestimatione, nec nos fallere in sua doctrina.

Jam nunc audire ex te mihi videor, amantissime Jesu, quae cum tempore ad Patrem tuum verba proferes: *Confiteor tibi, Pater*, teque immensum laudo, *quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* (Matth. 11, 25.)

At quibus e signis, Domine, cognoscent te pastores? Ex infantia, paupertate ac humilitate. Ita angelus ad eos: *Et hoc vobis signum. Invenietis infantem* pauperibus *pannis involutum, et positum in praesepio.* Mirabilia profecto Dei incarnati signa! An et ego illa deprehendo in corde meo? si ita est, in me quoque spiritualiter natus est Deus. Sin? timendum sane, ne gratiae nati Servatoris particeps haud sim.

PUNCTUM III.

Interea, dum pastores Jesum quaerunt, *subito facta est multitudo militiae coelestis*, ad honorandum divinum infantem missae, *laudantium Deum et dicentium: Gloria*

in altissimis Deo: et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Et revera nihil ad majorem Patris gloriam magis fecit unquam incarnatione Filii, nec ad majorem Filii honorem ipsis ejusdem humiliationibus. Frustra Dei gloriam promovere cupit, qui non perfecte illi consecrat et immolat suam. Per ejusmodi autem sacrificium nihil amittimus, nunquam ditiores futuri, quam si amore Dei faciamus jacturam omnium, quae nostram fovent superbiam, ambitionem et caeteras cupiditates nostras. Sicut autem incarnatio Verbi coelo intulit summam Altissimi gloriam, ita in terras detraxit pacem; nos inquam, reconciliavit Deo, et veniam peccatorum impetravit. Ita est: *pax* hominis *cum Deo*, *cum proximo*, *et secum ipso* est fructus ineffabilis hujus mysterii, si ad eum colligendum instructi *bona voluntate* veniamus, quae scilicet gratiae non resistat per peccata, sed ad illam recipiendam se disponat per sanctitatem.

Quanta hic latet Dei benignitas! quanta hominum consolatio! Ab insigni illo fructu neminem excludit Deus. Non acri prudentum judicio, non acuto sapientum ingenio, non sanguinis nobilitati, non altis dignitatum gradibus, sed *bonae voluntati*, sincero, humili et divinis legibus fideli cordi promittitur pax, et quidem *pax cum Deo*, quocum perpetuam inibit amicitiam: *Pax cum proximo*, quocum non violandam conservabit concordiam: *Pax secum ipso*, per quam bene ordinatae animi passiones felicem omnium potentiarum, quae ad promovendam unice Creatoris gloriam unanimiter conspirant, harmoniam nunquam perturbabunt.

XXX. Decembris.

Pastores divinum infantem adorant.

(Luc. 2, 15. sq.)

PUNCTUM I.

Pastores angelicam admonitionem interpretati mandatum nati Messiae, ad cunas suas vocantis, sine mora ad iter ingrediendum sese mutuo animarunt; *transeamus*, ajebant, *usque Bethlehem, et videamus hoc verbum, quod factum est.* Non ajunt: Videamus, an verum sit,

quod angelus dixit; non enim dubitabant de veritate revelationis sibi factae: nec expressum Dei mandatum expectabant; solum ipsis sufficiebat *signum* ac nutus: non terebant tempus curiosis ac inutilibus dubiis et discursibus, sed mutuo fervore se hortabantur ad iter: *Transeamus*, *videamus*.

Tunc, anima mea, cum Deus ad humilitatem et paupertatem stabuli sui te vocat, eadem viva fide, eadem animi promptitudine tantam vocationis altissimae gratiam excipis? an simili fidelitate ei respondes sine mora, tepore, lucta? an non litigas diu multumque discutis, sitne res *de praecepto*, an *de consilio* tantum? An bonorum propositorum executionem rejicis in annos sequentes? tene aut proximum excitas ad sectandam vitae perfectionem?

Eheu! quam aliter nos ac fideles hi pastores comparati sumus! Amantissime Jesu, qui nos aeque ac illos ad te, ad cunas tuas invitare ac trahere dignaris, ah! tanta nos efficacia trahe, ut nihil valeat nostrum sufflaminare fervorem, quo te ab incunabulis pauperem et humilem sequi cupimus.

PUNCTUM II.

Intrantibus stabulum pastoribus ex vultu infantis, ut pie creditur, coelestis quidam radius et clarissima lux promicuit, perspicue demonstrans, illum, qui aliis infantibus similis videbatur, esse mundi Servatorem, *desideratum cunctis gentibus*, promissum in lege Messiam. Illud certum, supernaturali quodam lumine perfusos occultas divini infantis excellentias agnovisse totosque in ejus amorem exarsisse; hinc propediem in genua provoluti, summa animi demissione plenum majestate adorarunt, et supremum suum agnoscentes Dominum, ex paupertate sua aliquid munerum, seque totos et omnia, quae ab ipsis dependebant, ei obtulerunt in gratiarum actionem, quod omnium primos ad cunas, ad se adorandum vocare et primos coelesti benedictione sua dignatus fuerit impertire.

Divinissime infans, quo amoris ac benevolentiae affectu simplicem hanc et teneram pastorum devotionem acceptasti! quanta liberalitate remunerasti! quanta dul-

cedine et spiritus unctione cor eorum perfudisti! O quam large compensas vel tenuissima, quae tibi praestantur, obsequia! O si digne cum pastoribus te adorem amemque, eodem cum illis reverentiae, amoris ac devotionis sensu te possem accedere! Permitte saltem, ut ad eorum exemplum cor meum, ejusque libertatem, et quidquid a me dependebit unquam, tibi offeram: nec patere, ut e conspectu tuo vacuus abeam, sed tuis me gratiis reple, da, ut fideliter ac perpetuo tuis adhaeream cunis ac infantiae.

Porro pastores e stabulo recesserunt, ut suae gregem custodiendi obligationi ac officio satisfacerent, relicto nobis exemplo, tamdiu nobis in solitudine ac meditatione haerendum ad cunas Servatoris, donec officium nostrum et obligatio nos evocet ad provehendam ejus gloriam.

PUNCTUM III.

Et reversi sunt pastores glorificantes et laudantes Deum. Hic nimirum debet esset fructus orationis nostrae ac meditationis, in qua frui licuit Dei praesentia. Ex abundantia cordis os debet loqui, et aliud proferre nihil, quam verba amoris, laudis et gratitudinis.

O quam felices essemus, o Jesu, si solum foret negotium nostrum aut permanere semper apud te, aut te glorificare apud homines!

Perpende ulterius, anima mea, quam diversa ratione homines se habuerint circa mysterium nativitatis. Aliqui de ea audierunt a pastoribus multa narrari, at non considerarunt aliis absorpti curis et occupationibus. Alii illac transeuntes subibant stabulum et infantem aspiciebant: at nihil singulare notantes praeteribant. Pastores viva fide accedentes, Deum incarnatum agnoverunt, adorarunt, et permagnos gratiae et benedictionis fructus retulerunt: attamen ad sua redierunt munia ac lares. Sola Virgo beatissima et S. Joseph divino infanti assistebant *individui*, ei assidue inservientes, *omnia*, quae in ejus gloriam audierant, *verba conservantes et conferentes in corde suo.*

Jungamus nos, anima mea, beatissimis hisce duabus personis nos jungamus spiritu, supplices, ut nobis im-

petrent felicitatis suae vel tantillam partem; tenerum scilicet Jesu Christi amorem, intimam cum divina ejus persona unionem, assiduam mysteriorum ejus memoriam ac contemplationem, et ardens desiderium sacras humiliationes ejus participandi.

XXXI. Decembris.

Quantum baptismus sit beneficium.

NB. Cum hoc ultimo anni die soleant aut certe debeant singulares Deo grates agi pro acceptis per anni curriculum beneficiis, eum in finem servire poterit sequens *de baptismo*, inter beneficia facile primario, utilissima meditatio, quam V. P. Ludovicus de Ponte singulis annis devotissime instituit.

PUNCTUM I.

Gratiae in baptismo nobis collatae. Has ut rite intelligam, solum opus est scire, quid sit sacramentum baptismi, quod est principium et fons gratiarum. Inter alia, quibus illud SS. Patres et Concilia condecorarunt, nomina illud, quod sit *sacramentum regenerationis*, omnium clarissime ejus excellentias nobis explicat, ab ipsomet Servatore olim indicatas, cum Nicodemum instruens dixit: *Amen, amen dico tibi: nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est: et quod natum est ex spiritu, spiritus est.* (Joan. 3, 5. 6.) Ex his Christi verbis patet, dari *generationem et regenerationem:* primam esse carnalem, spiritualem alteram. Per *primam* nascitur homo carnalis, homo peccator, labe originali infectus, *natura filius irae*, nullum omnino jus habens ad dona gratiae aut gloriae. *Per secundam* vero nascitur ex Deo, Christianus, gratiae et misericordiae filius, immunis ab omni peccato, adoptivus Dei filius, Dei amore dignus et haeres regni coelestis.

Superi! quanta est generationem inter ac regenerationem distantia et discrimen! quam ignominiosa et deplorabilis est prima! quam gloriosa et felix altera! Illa est infantis nondum baptizati: haec est ejusdem infantis, at baptismo abluti. In isto, ait S. Leo, innovatur quodammodo prodigium et mysterium incarnationis

dominicae, in qua naturalis Dei Filius secundum humanitatem per operationem Spiritus Sancti generatur in utero beatissimae Virginis: in baptismo per eundem fit filius Dei adoptivus in sacratissimo fonte: atque adeo Deus quodammodo *dedit aquae, quod dedit matri; virtus enim Altissimi et obumbratio Spiritus Sancti, quae fecit, ut Maria pareret Salvatorem, eadem fecit, ut regeneret unda credentem.*

Quanto autem honori est terrae vermiculo, qualis ego sum, per spiritualem meam regenerationem adeo gloriosas cum SS. Trinitate relationes contraxisse! Quam gloriosum mihi, quod Pater coelestis me in suum adoptet filium, Filius in suum assumat *fratrem et cohaeredem*, Spiritus Sanctus animam meam eligat in *sponsam!* quod Conditor coeli et terrae, unus in tribus personis Deus, imprimendo characterem baptismi suo me sigillo speciatim signet, indicans, quod singulariter ad ipsum pertineam, et quidem modo longe nobiliori tamquam filius gratiae, quam ut filius naturae!

Quid autem pro tam eximio favore potero in signum grati animi unquam tibi reddere, o Deus! pro favore, qui tot alios in se complectitur? Per quid ego illum merui prae innumeris hominibus? etiam regibus, etiam imperatoribus? Ne ego jure cum propheta exclamo: *Non fecit taliter omni nationi.* (Psal. 147, 9.) Et vero quot dantur in mundo nationes, quae suis adhuc infidelitatis tenebris sepultae et sacro baptismi fonte destitutae etiamnum sunt peccati ac daemonis mancipia? Ego quidem, quem per gratiam baptismi in libertatem filiorum Dei vindicare dignatus es, *misericordias tuas*, Domine, *in aeternum cantabo* (Psal. 88, 2.) et diem, quo baptismum suscepi, solemni et grata singulis annis memoria prosequar. Verum quantam in coelo singularis festi solemnitatem omnes angeli et sancti instituerent, Domine, si eandem baptismi gratiam tot gentilibus et Turcis, qui terram implent, largireris! Ah! *Aeterne rerum omnium effector Deus! Memento, abs te animas infidelium procreatas, easque ad imaginem et similitudinem tuam conditas. Ecce Domine! in opprobrium tuum his ipsis infernus impletur. Memento, Jesum*

Filium tuum pro illorum salute atrocissimam subiisse necem. Noli, Domine, ultra permittere, ut Filius tuus ab infidelibus contemnatur: sed precibus ss. virorum et Ecclesiae, sanctissimae Filii tui sponsae, placatus recordare misericordiae tuae, et oblitus idololatriae et infidelitatis eorum effice, ut ipsi quoque agnoscant, quem misisti, Dominum nostrum Jesum - Christum, qui est salus, vita, et resurrectio nostra, per quem salvati ac liberati sumus: cui sit gloria per infinita saecula. Amen. (Oratio S. Franc. Xaver.)

PUNCTUM II.

Obligationes in baptismo contractae. Magnae sunt, quas in baptismo accepimus, gratiae: at non minores sunt, quas ibi contraximus, obligationes. Mutuum nos inter et Deum pactum tunc fuit initum. Deus ex parte sua se obligavit nos adoptare in filios suique regni haeredes. At ex nostra parte petiit *expresse*, ut inordinato divitiarum, honorum, atque saeculi voluptatum amori renuntiemus. Quaerebatur e singulis: *Abrenuntias diabolo, et operibus ejus? Abrenuntias mundo et pompis ejus? Abrenuntias carni et voluptatibus ejus?* Non poteras tunc ipsamet respondere interroganti, anima mea: tui loco patrinus respondit, et tu per os ejus respondisti ter: *Abrenuntio*, et quidem toto ex corde. Putasne autem, trinam hanc abrenuntiationem meras fuisse caeremonias, quae nullam tibi obligationem imponant? falleris turpissime. Si in sensu proprio et stricto vota non sunt, uti tamen *vota* (baptismalia) vulgo appellantur; promissa certe sunt, votis omnibus magis authentica et magis firma, quippe quae minus quam ipsamet vota relaxari possunt; certis enim in casibus legitima superiorum potestas valide ac licite dispensare potest in votis, nulla autem, quamvis coelum et terram implores, potestas in obligationibus baptismi unquam valet dispensare seu illas tollere.

Ita sane solemni protestatione in facie Ecclesiae asseverasti, anima mea, et immutabili voluntate tuo spopondisti Deo, *qui non irridetur.* Audi Ambrosium: *Tenetur*, ait, *o homo, vox tua: praesentibus angelis*

locutus es. Hi sunt testes tuae promissionis, futuri etiam, si Deus foedifragum puniat, testes tuae damnationis.

Capisne terribilem hanc veritatem, anima mea? de tuo gloriaris baptismo, de nomine Christiani gloriaris: nec immerito; gratia enim est incomparabilis: dignitas est omnibus mundi honoribus sublimior, cui S. Ludovicus, Galliarum rex, dignitatem regiam posthabuit. An pariter cum eo tuis obligationibus satisfacis? Ille, sublimis in throno et potentissimus tot regnorum monarcha, totius majestatis suae obliviscebatur, ne unquam christianae oblivisceretur humilitatis. Poterat opibus, deliciis et voluptatibus frui, quas plenis manibus offerebat vitae conditio: at non minus pauper spiritu et corde mortificatus erat, quam perfectissimus religiosorum. Denique vota seu promissa baptismi assidue recolebat animo, implebat opere, et velut normam vivendi continue intuebatur.

Num autem et hodie ita vivitur? Ex infinito baptizatorum numero quot ignorant, quas cum Deo vi baptismi contraxerunt, obligationes suas? quot eas considerant? et, si agnoscant aut considerent, quotus quisque est, qui servet illas? Nonne, si vitam majores Christianorum partis consideremus, putabimus, quod omnia votis baptismi contraria spoponderint? Ita sane est: si loco *abrenuntiationis* cor et affectum omnem honoribus, divitiis, voluptatibus expresse addixissent, majorine, ac modo, fervore et studio illas sectari possent? Quid autem, Domine, ejusmodi Christianorum simulacra et Pseudo-Christiani tibi respondebunt, quando schedam suscepti baptismatis testem eis ostendens exprobrabis: En, quod spopondisti: *Haec fides tua;* et en, quomodo vixisti: *Haec vita tua?* Qua modo fronte, quo jure et titulo meum petis regnum? Utique tibi illud promisi; at *sub conditione*, si tu pariter tuis steteris promissionibus: has non servasti: igitur nec ego teneor servare meas.

Heu! quam merito sors adeo funesta mihi est timenda! Scivi perbene, et agnovi, Domine, quid divinae majestati tuae promiserim: id dissimulare, aut inficiari coram te haud possum. Sed et tu nosti, quam

parum fidem datam liberaverim. Semper amavi mundum, ex ejus norma et legibus vixi, ejus bona et delicias semper quaesivi. Haeccine autem est vita Christiani? *Quid proderit nomen, ubi res non invenitur?* (S. Aug.) Et gloriosus baptismi character, cui labem turpissimam aspersi, numquid materia fiet majoris meae confusionis et damnationis?

Tantum a me malum averte, o Deus. Da, quam supplex peto, veniam, quod gratiis tuis tam male fuerim abusus. Nihil non agam posthac, ut culpas eluam et vitam vero Christiano dignam imposterum vivam. *Juravi et statui custodire judicia justitiae tuae.* (Psal. 118, 106.) Imo nunc, provolutus ad pedes tuos, contractas in baptismo obligationes innovo, firmissimeque statuo, ad extremum usque spiritum fidelissimam tibi servire servitutem.

PUNCTUM III.

Caeremoniae in baptismo adhiberi solitae. Ritus et caeremoniae, quas in baptismo ab Ecclesia adhiberi videmus, sunt totidem instructiones, istud sacramentum recipientibus saluberrimae: eas igitur hodie memoria repete, ac si anniversarius accepti baptismatis esset dies, saltem praecipuas ejusdem caeremonias ac ritus expende, ut veram eorum significationem et doctrinas, quae innovando homini christiano aptissimae fuerint, inde eruas.

Imaginare ergo tibi, quod 1. de novo hodie, ut olim infans, ad templum deportatus interrogeris: *Quid petis?* tuque respondeas: Baptismum peto. A quo? *a Christo Jesu*, qui pretiosissimo sanguine suo illum tibi promeruit. *Ab Ecclesia*, nil ardentius desiderante, quam ut suos inter filios te possit numerare. *A ministro baptismi*, qui ad eum conferendum paratissimus est, ob datam sibi fidem ac publicam promissionem, quod vivere ac mori velis in fide ac sinu catholicae, apostolicae, Romanae Ecclesiae. An ita comparatus semper eras a primo rationis usu? In hac fide semper magis magisque te corrobora. Mihi crede; majus in morte solatium non est ea fide: haec S. Theresiam tantis in mortis articulo perfudit gaudiis, ut laeta exclamaverit: *Morior filia Ecclesiae.*

Imaginare tibi 2. quod *immundus spiritus* per solemnem Ecclesiae exorcismum *in nomine Patris †, et Filii †, et Spiritus Sancti †* jubeatur *a te recedere, et signum s. crucis †, quod fronti tuae datur, nunquam violare.* Verum ipsemet cave, ne illud violes vel erubescendo illud formare, vel obliviscendo obligationem vitam ducendi in Christo crucifixam.

3. Quod ori tuo *sal* immittatur ad te monendum, ut frequenter a Spiritu Sancto petas *salem* divinae sapientiae et gratiam ducendi vitam illi, non autem mundanae legibus sapientiae conformem.

4. Quod tribus distinctis vicibus interrogeris, ut supra audisti, *an abrenunties satanae? Et omnibus operibus ejus? Et omnibus pompis ejus?* Hic, quod patrinus olim tui loco dedit, responsum *abrenuntio* ex intimo cordis sinceri affectu restaura, et Jesum Christum contestare, quod serio abrenunties de novo.

5. Quod sacerdos *oleo catechumenorum te* in modum crucis *ungat* in pectore et inter scapulas, ut per hanc caeremoniam olim athletis, antequam in arenam descenderent, familiarem intelligas, te ad certamina *sub vexillo crucis* subeunda, et ad inferendum assidue mundo, carni, ac diabolo bellum vocari. *Pectus*, humani cordis sedes, inungitur, ut animeris ad pugnam: *utraque* vero *scapula*, ut inciteris ad portandam libenter crucem Servatoris, et subeundum hilari animo ejus jugum.

6. Quod baptizatus in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti veste candida, quod est symbolum *innocentiae*, induaris, *ut sit indicium*, inquit Ambrosius, *quod exueris involucra peccatorum, et indueris innocentiae casta velamine.*

Ob id immortales Deo gratias age, felix sane, si hujus vestis candorem servasti huc usque illibatum, longe autem felicissimus, si talem sepulchro tecum inferas. Quod si infelix acceptam in baptismo innocentiam amisisti, totis viribus eo contende, ut vere contritus eandem recipias in poenitentiae sacramento: quod juxta Patres *alter* et *baptismus, et secunda post naufragium tabula.*

7. Quod s. chrismate super verticem inunctus ad altare deporteris ceu nova creatura, quae ab omni antiqua corruptione jam immunis, tota servitio et cultui divino est consecrata.

8. Quod denique ardens cereus tibi detur in manum, quo Ecclesia te exhortatur, *ut irreprehensibilem custodias baptismum tuum, et ardentem fidei lampadem*, atque adeo, *cum sponsus coelestis venerit ad nuptias, possis occurrere ei una cum omnibus sanctis in aula coelesti, habeasque vitam aeternam. Amen.* (Rituale.)

O vere sanctas et doctrinarum feraces caeremonias, memori semper corde conservari dignissimas! Et vero eas per omnem vitam volvam memoria, meditabor corde, rimabor intellectu, o Deus. Saltem certum singulis annis diem seligam, quo illas contemplabor ceu infallibiles christiane vivendi regulas, meque per id novo accendam studio exercendi virtutes, quarum illae sunt typus et symbolum. Accipe, clementissime Deus, tenue hoc grati animi testimonium: accipe solemnem, quam toto corde in praesens renovo, contestationem, quod fide inviolata sim religiosissime servaturus, quidquid sancta mater Ecclesia a me exegit in baptismo, quem suscepi in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, quorum amori et honori totus cupio consecrari in tempore ac aeternitate. Amen.

Festa Sanctorum.

II. Julii.

Visitatio B. V. Mariae.

(Luc. 1, 39. sq.)

PUNCTUM I.

Consideremus ipsum b. Virginis in cognatae Elisabeth aedes *ingressum*, et ingentia, quae secum attulit, *bona*. Prior, utpote humilior, salutavit cognatam: ejus autem verbis tamquam instrumento utebatur latens in virginali utero Verbum incarnatum ad efficienda in praecursore suo Joanne, qui adhuc Elisabethae utero claudebatur, stupenda gratiae prodigia; etenim jam

tum a culpa originis infantem liberavit, sua sanctificavit gratia, divino replevit lumine ac Spiritu Sancto, instruxit dono prophetiae, accelerato rationis usu dotavit, tantoque implevit gaudio, ut in ipso matris utero exultaret.

Quot quantaeque nobis gratiae obveniunt ope ac intercessione b. Virginis! Quos non spirituales thesauros confert Christi praesentia, quando tempore s. Communionis dignatur ad nos invisere! Quot nos divinis luminibus, quot donis coelestibus, quanto spiritus fervore et gaudio tunc nos cumularet, si nullum poneremus obstaculum!

Ah! tua omnipotente gratia remove, o Deus, quidquid per meum teporem et malitiam tuae obstat bonitati et gratiae. Ita per b. Virginem te supplex obtestor et firmissime spero, fretus illo Spiritus S. oraculo: *Confide in Deo, facile est enim in oculis Dei subito honestare pauperem.* (Eccli. 11, 22. 23.) Veritatem hujus effati in me comproba, Domine: tuae bonitatis et gratiae thesauros large in cor meum effunde: et momento citius, licet omni virtute modo destitutum, omni bono spirituali affluet.

PUNCTUM II.

Interea geminae matres, Maria et Elisabeth, sanctissima inter se miscebant colloquia de perfectionibus Dei, et de prodigiosis divinae gratiae effectibus. Superi! quantos ejusmodi colloquia fructus, quantum in anima fervorem generant!

Maria et Elisabeth haud quaquam tempus consumunt inanibus caeremoniis aut officiosis verborum blanditiis, quales corruptus saeculi nostri mos in visitationibus introduxit, ubi *vana loquuntur unusquisque ad proximum suum: labia dolosa in corde et corde loquuntur* (Psal. 11, 3.), ut mutuis sese blanditiis et assentationibus jugulent seducantque. De putidis hisce gerronibus idem propheta conqueritur in haec verba: *Narraverunt mihi iniqui fabulationes: sed non ut lex tua.* (Psal. 118, 85.)

Haec sola nimirum animam solidis replent consolationibus, fastidium temporis levant, et fructus producunt,

aeternum duraturos. His autem ut frui liceat, opus est, ut te diligamus, Domine: utque diligamus, necesse est, ut tuum nobis amorem digneris infundere.

PUNCTUM III.

Simul atque *salutationem Mariae audivit Elisabeth, repleta est Spiritu Sancto*, et propediem ad exercendas quatuor raras virtutes excitata: scilicet 1. ad laudandum Deum, ejusque matrem praedicandam: Benedicta, *exclamavit voce magna et dixit: benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui.*

2. Ad concipiendam de se ipsa humilem, at prorsus sublimem de visitantis cognatae excellentia opinionem; quam obstupescens in haec verba prorupit: *Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?*

3. Ad promulganda Dei magnalia, per Jesu et Mariae praesentiam facta; quare mox adjecit: *Ecce enim, ut facta est vox salutationis tuae in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo.*

4. Ad confirmandam in proposito et fide sua Virginem subdidit enim: *Beata, quae credidisti: quia perficientur in te, quae dicta sunt tibi a Domino* per archangelum Gabrielem.

En quatuor inhabitantis animam Spiritus Sancti indicia et effectus! videlicet Deum laudare, ejusque excellentias celebrare: intimo grati animi affectu se coram Deo humiliare: gratias et accepta e coelo lumina etiam aliis recensere, eosque in cognitione et amore Dei confirmare.

Studeamus, anima mea, e S. Elisabeth exemplo spirituale emolumentum capere, et, quod ipsa ad matrem dixit, nos tenerrimo profundae humilitatis affectu dicamus ad Filium tempore s. Communionis: *Et unde hoc mihi*, ut singulari ex gratia Dominus meus et Deus meus ad me, servulorum infimum, dignetur venire?

XXII. Julii.

S. Maria Magdalena.

Vide medit. Fer. V. Hebdom. V. post Pent. pag. 12.

XXV. Julii.

S. Jacobus Apostolus.

Vide medit. Fer. II. Hebdom. V. post Pent. pag. 6.

XXXI. Julii.

S. Ignatius Loyola, fundator Societatis Jesu.

In illa Isaiae verba. *In gloriam meam creavi eum.* (43, 7.)

PUNCTUM I.

Quem sibi *finem* proposuit S. Ignatius? Gloriam Dei, et quidem *majorem Dei gloriam.* Attamen adeo sanctas, adeo praecelsas non semper fovebat cogitationes et consilia. In aula et bello educatus, aliam non quaerebat, quia aliam haud agnoverat, quam *mundi gloriam.* At enim tu, mi Deus, ut falsam hanc et inanem sectaretur gloriam, non creasti Ignatium. Tua igitur providentia ictum globi tormentarii dirigente graviter sauciatus, et vel invitus curandi vulneris ergo lecto affixus, ter fausto sidere addidicit, veriorem atque solidiorem, ac eo usque persequebatur, dari gloriam, dignum ambitionis suae objectum. Nimirum ex fortuita tuae, o Jesu, tuorumque Sanctorum vitae lectione intellexit, quod infinite major sit gloria te sequi, quam heroum vestigia sectari, quos mundus toties thrasonice jactando ei proposuerat. Illa igitur consideratio tantum valuit in animum Ignatii, ut nihil amplius aestimare, amare ac spirare coeperit, quam hanc omni suo affectu dignissimam gloriam: utque ostenderet, quod se illi insectandae totum devoveat, hanc sibi tesseram et symbolum fecit proprium: *Omnia ad majorem Dei gloriam.*

Anima mea! Numquid ad eundem finem es condita? ita sane fides te docet: id nosti! id credis: cur ergo tam perspicuam ad hunc finem tendendi obligationem oblivisceris et negligis? Quousque tandem mendaci vanae gloriae splendore excaecari te patieris? *Filii hominum, usquequo diligitis vanitatem?* (Psal. 4, 3.)

Utique meum agnosco et detestor errorem, o Deus. Nihil (palam profiteor) nihil est magnum, nisi honor et gratia suis te glorificandi servitiis. Nihili jam duco gloriam mundi, nihili meam: rideo, sperno, calco utramque. Tuam solum gloriam, Domine, *tuam majorem gloriam* unice quaeram imposterum.

PUNCTUM II.

Quibus autem *mediis* gloriam Dei promovit Ignatius? 1. In semetipso severe injurias vindicando, quas illi intulisse credebat. Sola temporum memoria, quibus mundi gloriam divinae praetulit, sanctum sui ipsius odium ac indignationem accendit in corde Ignatii. Ut immodicum, quo olim in oculis hominum magnus esse desideraverat, studium lueret, ac elueret, omnem coram illis sese humiliandi occasionem sedulo captabat. Traditis mendico pretiosis vestibus suis, vili sacco indutus, nudis pedibus et capite inglorius poenitens ad Ecclesiam b. Virginis, in monte Serrato propitiae, peregrinatus est, ibique noctem integram excubans multam exolvit, neglectam Dei gloriam resarciens.

2. Post jam expletum trigesimum aetatis annum se ad infimam grammaticae et litterarum scholam abjiciendo, sine quibus se minus aptum promovendae Dei gloriae instrumentum fore judicabat.

Quale spectaculum, o Deus, virum in aula catholici regis Ferdinandi dignitatibus, in bello palmis illustrem, inter pueros videre scholastico pulvere sordidum! Spectaculum summa hominum et angelorum admiratione dignissimum.

3. Se totum devovendo operibus, Dei gloriam promoventibus. Hoc ut semper et ubique, etiam post mortem suam obtineret, apostolicorum societatem virorum instituit, qui mortuo fundatori superstites gloriam Dei per totum terrarum orbem circumferrent.

Quid nos ad majorem Dei gloriam agimus, anima mea? Nonne pares aut etiam graviores, quam Ignatius, injurias ei intulimus? Cur ergo ad easdem resarciendas torpemus? Num concessa nobis a Deo talenta, gratias, dotes, auctoritatem fideliter divino consecramus obsequio?

An pro viribus et status nostri conditione Dei amorem ac gloriam ubique promovemus?

Magne Dei sancte, Ignati, unicam ignis divini, quo totus flagrabas, scintillam nobis impetra: eodem, quo inflammatus eras, ardore nos accende, tuos praecipue et societatis tuae filios, tanto utique indignos honore ac nomine, si non arderent zelo divini honoris et salutis animarum, pretiosissimo Jesu Christi sanguine redemptarum.

PUNCTUM III.

Quo *successu* Ignatius gloriam Dei provexit? Prorsus insigni. Verbo omnia dixerim, si ad laudem s. Ignatii dixero, ab incunabulis Ecclesiae paucos numerari sanctos, qui vel majorem illi splendorem conciliarint, vel ad ejus stabilitatem ac propagationem amplius, quam Ignatius, contulerint. Certe impia ethnicorum superstitio mille in locis sublata, haeresis in praecipuis Europae regionibus sufflaminata, repressa, in confusionem data, pietas civitatibus restituta, semen Evangelii in locis prorsus desertis ac in ultimum emorientis mundi angulum ejectis sparsum, fervor religiosorum denuo accensus, regnum Jesu Christi ringente Orco ad ultimas usque orbis plagas propagatum, denique gloria Dei utrique orbi magnifice illata; haec, inquam, sunt simul et fructus zeli Ignatiani et velut radii gloriae, qua servum suum Deus voluit coronare.

Meritas agamus Deo grates, quod S. Ignatium eligere dignatus sit in gloriae suae instrumentum adeo dignum, et tam copiose ejus laboribus benedicere. Fateamur cum eodem, adeo gloriosos apostolicarum expeditionum successus esse effectus gratiae Jesu Christi, quae sola per homines tanta potest patrare miracula.

Per te solum staret, Domine, ad magna pro nominis tui honore praestanda me aptum reddere, licet ex me nihil sim, nihilque possim prodesse. Si per instrumentum adeo vile ac infirmum tua promoveretur gloria, longe illustrior foret. Quod si ad id opus esset meum honorem cum vita prodigere, ne ego mortalium felicissimus forem.

IV. Augusti.

S. Dominicus, fundator et exemplar Praedicatorum.

PUNCTUM I.

Qualis fuerit erga se ipsum. Universale principium et axioma est: Auctor cujusdam ordinis religiosi simul norma et regula suorum est religiosorum. Cum ergo S. Dominicus fuerit auctor et fundator ordinis, cujus alumni suo insigni zelo nomen *Praedicatorum* sunt promeriti, omnium perfectiones in gradu eminenti possedisse et reliquorum exemplar fuisse oportet: id quod Ecclesia in s. fundatore celebrat. A Deo vocatus ad munus praedicandi Evangelium, ad id se disponebat per virtutes, quae reliquarum sunt fundamenta. Videlicet 1. *per profundam humilitatem*, qua et se ipsum sprevit assidue, et ab omnibus sperni desiderabat quam vehementissime. Hujus instinctu humilitatis Tolosa aliisque ex urbibus, ubi in honore erat, alacer aufugit Carcassonem aliasque in civitates, ubi contemnebatur, aut certe minus aestimabatur. Eodem spiritu actus oblatas sibi dignitates ecclesiasticas, tresque imprimis episcopatus constanter recusavit.

2. *Per amorem paupertatis evangelicae*, qualem Christus suis praescripsit discipulis. Hanc S. Dominicus exercuit quam perfectissime; postquam enim terrenis omnibus se exuit, nobili licet familia oriundus, ultimi instar mendicabuli non aliter, quam emendicato ostiatim pane, quem flexis semper genibus et infixo devote osculo accipiebat, vitam sustentare voluit.

3. *Per continuam mortificationem*, quae ei vix concesserat, quod famem solaretur, aliasque vitae miserias. Imo, quidquid crudelitatis ingeniosa in poenas suas dictabat sanctitas, id omne mortificando corpori adhibebat.

Siccine verbi divini praecones ad tam grande summique momenti ministerium sese praeparant? Quotus autem quisque ita se parat ad conversionem animarum? Id credendum firmiter, nihil prodesse talenta naturae, nisi accedat sanctitas vitae. Humilibus dumtaxat Deus suae amplificationem gloriae committit: soli pauperes spiritu, qui omnibus mundi bonis nuntium remisere, evangelicam paupertatem aliis persuadent: nonnisi crucis

amatores aliis quoque amorem et imitationem crucifixi imprimunt.

Concede nobis, Domine, hujusmodi ministros Evangelii, qui ejus doctrinas prius opere exequantur, quam lingua praedicent: tantum potentes erunt verbo, quantum opere effeceris potentes: populo christiano erunt aedificationi, Ecclesiae gaudio et honori, tibi vero ingenti gloriae.

PUNCTUM II.

Qualis fuerit erga proximum. Immenso aestuabat zelo pro gloria et domo Dei. 1. Cupiebat ubique esse, ut verbum Dei ubique posset spargere. Desiderabat ardentissime omnibus ethnicis orthodoxam annuntiare fidem, haereticos omnes ad Ecclesiae gremium reducere, universos peccatores ad poenitentiam. 2. Saepius Mauros adiit, ut ipsos ad Christum converteret, aut ipse coronam martyrii referret. 3. Solidos septem annos, ut Albigensium haeresin extirparet, Tolosano in agro labor ejus desudavit. Regionem vicatim obibat, instruens, quos ignorantia, confutans, quos locus et sors nativitatis haeresi involverat: denique et illos debellavit, quos obstinatio in ea retinuerat. Utrosque autem ad agnitionem atque detestationem errorum permovit, suis eam gratiam precibus ac jejuniis impetrans: atque his armis non minus quam sublimibus rationum momentis abominandam hanc haeresin extirpavit.

Non omnibus contingit aequali cum splendore parique successu in salutem animarum Deo et Ecclesiae cooperari. At caritas erga proximum virtus est Christianis omnibus communis, neminem non obligans et, ut loquitur Apostolus, *urgens nos*, ut, quidquid ad proximi bonum spirituale aut salutem pertinet, id omne nostris in Christo fratribus velimus: et, nisi id exhortationibus aut sermonibus praestare possimus, nostris saltem precibus et exemplis salutem eorum promovere debeamus.

Ast quantum, pro dolor! ista Christianorum refrixit caritas! Quis de salute proximi cogitat? et quomodo cogitabunt de aliena, qui vix cogitant de sua? Ah! ne permittas, quaeso, Domine, ut ex horum sim numero. Sanctum mihi zelum propriae sanctificationis inspira: et brevi trahet post se zelum alienae. Imo si rite perpendero,

quanti mea tibi constiterit anima, nihil non impendam, ut meam et proximorum salvem animas, utpote eodem cum mea pretio redemptas.

PUNCTUM III.

Qualis fuerit erga Deum. Nemo tam prodigiosos, qui zelum S. Dominici ubivis locorum sequebantur, effectus mirabitur, si fontes inspiciat, unde omnem operandi vim hausit, seque cum Deo semper intime conjunxit. Fons primus erat *oratio.* Per eam ceu instrumentum causae principali Deo se arctissime uniens, omnem inde virtutem et auxilium percipiebat. Per eam loquens Deo, didicit hominibus loqui. In ea Spiritus S. sua eum unctione replebat, quae in dicentis linguam, et inde in corda auditorum se effundebat. Fons secundus erat firma et filialis *in Deum fiducia*, quae juncta propriae sui ipsius diffidentiae virum reddidit aptum ad tentanda quaevis pro honore Dei perficiendaque. Tertius fons erat amor tenerrimus et solida *devotio erga b. Virginem*, ad quam velut dispensatricem gratiarum, et canalem, unde ad nos derivantur, assidue confugit. Et vero singularem Deiparae protectionem meruit Sancti zelus cultum Marianum promovendi per devotionem ss. Rosarii: quae devotio tam accepta est Deiparae, quam sancta, salutaris, et toti Ecclesiae familiaris.

Quantam et nos virtutem, quot gratias ex tribus his fontibus possemus haurire, si eo confugeremus? quis enim possit auctori omnium gratiarum uniri, quin referat aliquas? aut confidere omnipotenti et ab eo deseri? Quis amare queat et colere matrem amantissimam, et ab ea non protegi?

Non utique, mi Deus, haec fieri non possunt: nec est, quod a mea mihi imbecillitate timeam, si orationi sum deditus, si tuae confido bonitati, si Mariam habeo propitiam. Licet ex me sim debilis, omnia tamen potero, non quidem per meas vires, talenta et industrias, sed per virtutem, qua induar ex alto; per efficaces gratias, quibus me corroborabis; per copiosam benedictionem, quam mihi impetrabit dignissima mater tua, cui nihil potes denegare.

VI. Augusti.

Transfiguratio D. N. J. Christi.

Vide medit. Dom. II. in Quadrag. Part. I. pag. 92.

X. Augusti.

S. Laurentius martyr.

De grano frumenti. (Joan. 12, 24. sq.)

PUNCTUM I.

Dixit Jesus discipulis suis: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.*

Utique per hoc *granum frumenti* primario et principaliter Christus designatur, granum longe excellentissimum et ab omni labe ac palea peccati purgitatissimum, quod *mortuum* in cruce et *in terra* sepultum, infinitos meritorum, coelestium benedictionum ac salutis aeternae *fructus* peperit: secundario tamen per hoc granum frumenti at alii Sanctorum, qui sunt imitatores Christi, significantur, et hos inter praecipue S. Laurentius; nam 1. flagello persecutionis *purgatus* fuit ab omni palea, h. e. ab omni imperfectione et terrenis affectibus. 2. *Mortuus* per atrocissima tormenta. 3. *Multum attulit fructum*, exemplo vitae sanctae et gloriosae mortis innumeros gignens Christianos et Christi martyres.

Anima mea, tu nunquam eris granum frumenti, dignum horreo coelestis patrisfamilias inferri, nisi eadem cum Sanctis experimenta et persecutionum flagella subeas, et, cum ista deficiunt, te ipsum *mortifices*, et ab omni terreno affectu repurges. Ut fructus gratiae et virtutum feras, mori oportet tibi peccato et omnibus corruptae naturae propensionibus.

Quam nobis de morte doctrinam hic proponis, o Jesu, praeclara est summique momenti: at dura simul imbecillibus, quales nos sumus. Tuum est, tuae est gratiae ac bonitatis, illam nobis reddere suavem: id si facias, toto grati animi affectu exclamabimus: *Jugum tuum suave est, Domine, et onus tuum leve.* (Matth. 11, 30.)

PUNCTUM II.

Effatum Christi: *Qui amat animam suam, perdet eam: et qui odit eam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam.* Hoc, inquam, Christi effatum S. Laurentius perfecte intellexit et perfecte in opus deduxit. 1. Omnibus vitae solatiis et mundi bonis sponte se abdicavit, patriam suam velut alter Abraham deseruit cum omnibus amicis, opibus, deliciis. 2. Imo Romam se contulit juvenis, ibique Ecclesiae et Pontifici sua obsequia dedicavit, idque ea tempestate, ubi idem erat se obsequiis Ecclesiae ac morti devovere. 3. Mortis autem ac martyrii desiderium luculenter demonstravit, cum s. Pontifici Xysto ad martyrium eunti occurrens inter uberes lacrimas exclamavit: *Quo progrederis sine filio, Pater? Quo, sacerdos sancte, sine ministro properas?* (Breviar.) Moerentem consolatus Pontifex, bono, inquit, sis animo, fili: *post triduum me sequeris:* et quidem ad tantillae compensationem morae *majora te manent pro Christi fide certamina* et tormenta. Martyrii tempus, quod cupidissime expectabat, ubi illuxit, tantam animi magnitudinem ostendit, ut tormentis ac neci insultans, tyrannum in ruborem, tortores et spectatores in admirationem dederit.

Segnior nimirum, o Deus, *fuit ignis, qui foris ussit, quam ignis* tui amoris, *qui intus* cor sancti *accendit:* ardor istius retudit vim alterius et dolores, quos naturaliter debebat inferre. Imo tam hilaris ac tranquillus super ignitam craticulam permansit Laurentius, ac si in lecto jaceret, rosis strato.

Accende, mi Deus, vel unicam divini hujus ignis scintillam in corde meo accende: et omnem alium extinguet ignem, ignem libidinis omniumque passionum, ita ut nullo posthac, nisi amoris tui igne sim arsurus.

PUNCTUM III.

Praemia, quae retulit, et fructus, quos protulit S. Laurentius, his Christi verbis comprehenduntur: *Si quis mihi ministrat, me sequatur; et ubi sum ego, illic et minister meus erit.* Item illis: *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.* Quemadmodum autem magnanimus hic Levita fuit fidelis servus,

qui divinum magistrum tam perfecte secutus est, ut proprio sanguine litarit honori et gloriae ejus, ita primo martyrum choro in coelis a Patre divino insertus et in sublimi gloriae throno collocatus est, dum interea summa in veneratione est ubivis terrarum, ubi invicta S. Laurentii fortitudo in saecula celebrabitur.

Anima mea! quam liberaliter nostra compensantur obsequia, quae Domino tam bono impendimus! Vitam brevem, miseram, mortalem, quam ei immolamus, vita compensat immortali ac aeternum beata: *Quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae*, quam propter Deum sustinemus, *aeternum gloriae pondus operatur in nobis.* (II. Cor. 4, 17.) Brevem pugnae laborem perennis coronat pax, quies et gloria.

Verum cui parata est haec gloria et corona? utique non ignavis, qui minimae tentationi succumbunt: nec delicatis, qui nolunt ullam sibi vim inferre aut primos mundi, carnis, vel diaboli insultus sustinere. Hi bene notent illud Apostoli; *Non coronatur, nisi legitime certaverit* (II. Tim. 2, 5.) Corona coelestis non est designata Christianis, vitae molli ac voluptuosae inhiantibus, quos Apostolus vocat *inimicos crucis Christi.* (Philip. 3, 18.) Exemplo Sanctorum cum Christo Jesu moriendum, ut cum illo conglorificemur. Verbo omnia: in terris mori debet sibi ipsi, qui in coelis cupit esse *frumentum electorum.*

XV. Augusti.

Assumptio B. V. Mariae.

Vide medit. Fer. V. Hebd. IX. post Pentec. pag. 72.

XVI. Augusti.

S. Rochus Confessor.

PUNCTUM I.

Mirabilis ab infantia. Nihil non mirabile est in sancto, cujus hodie festum celebramus, nec alium in finem Deus mundo eum indulsisse videtur, quam ut sua in eo gratiae prodigia manifestaret. Ita plerumque con-

suevit non concedere infoecundis parentibus liberos, nisi ut evadant in prodigia sanctitatis. Testes hujus veritatis sunt Samuel et Joannes Baptista, testis locuples S. Rochus, infoecundae matris filius, quae secundum communem naturae viam omni spe prolis dudum erat destituta: obtinuit tamen precibus et facta Deo protestatione, se non desiderare alio fine prolem, quam ut totam posset divinis consecrare obsequiis et honoribus. Vix natam obstupuit signo crucis, divinitus pectori impressae, insignitam esse. Jure aut sigillum dixerim, quod Pater coelestis pectori infantis apposuit, aut signum amoris quo crucem recens natus puer per omnem vitam esset prosecuturus. Et sane mortificatio infanti congenita esse videbatur, utpote quam ab incunabulis fuit amplexus, lac maternum semel dumtaxat diebus Mercurii et Veneris admittens. Sui mortificationem adolescens persecutus est per rigidam et jugem abstinentiam, cui frequentiam precum, et summam erga pauperes misericordiam junxit. Insigne hujus virtutis specimen dedit, cum relictam a parentibus pinguem sane haereditatem pauperibus erogavit, nil sibi reservans, quam pretiosum paupertatis evangelicae thesaurum.

Felices liberi, quos tantis Deus benedictionibus et gratiis praevenit! O terque quaterque felices, si parentes illis obtingant, qui pro virili divinam circa liberos suos intentionem promovent, christianam ad pietatem eos educando, ut jacta in illis virtutum et gratiae divinae semina in germen et fructum exeant! At non minus felices sunt parentes, qui non alium in finem desiderant prolem, quam ut filiorum Dei numerum augeant, et filiorum sanctificationem.

Domine! quam utilis parentibus ac liberis haec est doctrina! *parentibus*, ut ob fines mere spirituales optent prolem, non ut eorum foveat ambitionem, augeat emolumentum, conservet splendorem familiae, sed unice, ut tuam promoveat gloriam. Sanctam hanc mentem parentibus inspira, o Deus: et mox summam adhibebunt curam liberos, propter te solum desideratos, ab omni contagione saeculi gnaviter praeservandi.

Liberos quod attinet, a S. Rocho discant conservare et omni studio adaugere gratiam baptismi, mature divino

se consecrare servitio et Jesu Christi Evangelium sequi. Hi nimirum sunt, o Jesu, parvuli illi, quos amas tenere, amplexaris suavissime: hi sunt, quibus Pater tuus sua revelat mysteria.

PUNCTUM II.

Mirabilis in omni vita. Pestis terribile flagellum est, quo divina Nemesis plectit peccata hominum et integras devastat regiones. Malum hoc parcit nemini: nullo discrimine involvit omnes, raptans cum pauperibus divites, cum subditis reges: ubicunque saevit, nihil ibi nisi consternatio, pavor, desolatio, mors. Quantum ergo prodigium est, quod adolescens tantum non formidet malum? Quod absque metu se illi objiciat? quod inter numerosos peste infectorum aut jam interfectorum acervos intrepidus incedat? hos sepeliat, illos adjuvet? Tantum Italia et Gallia in S. Rocho attonitae suspexerunt prodigium. Attamen prodigiorum, quibus servum suum Deus illustrem reddidit, prodigium est, quod ei prae omnibus Sanctis, quos colit Ecclesia, virtutem, gratiam ac potestatem dederit populos aut praeservandi a peste aut vindicandi. Prodigiosam hanc virtutem primo experta est civitas quaedam in patrimonio Ecclesiae sita, quam peste vir sanctus liberavit: uti et ducatum Mediolanensem, Pedemontium, totamque Longobardiam. Romam quoque vocatus, dire grassantem ibi pestem extinxit. Quamcunque in urbem aut provinciam vir Dei pedem intulit, saevientem ibi pestem ocius fugavit, dum interea (si ita loqui fas est) quem pestis ubique fugiebat, honor et gloria, per tantam miraculorum famam parta, ubivis locorum insequebantur: id quod humilis Sanctus cane pejus et peste fugiebat: deserta igitur loca, hominibus et prope feris incognita, rupes, silvas et spelaea adiit, ut famae et nominis sui splendorem, per omnes late provincias diffusum, ibi absconderet.

Quam infinite bonus es, Domine Deus, cum ipso vindictae ac justi furoris tui tempore nobis protectorem concedis, qui nos contra ultionem tuam defendit: Moysen, qui ferientem Nemesis manum continet, ne funditus nos deleat! At quam mirabilis simul es in Sancto, cujus hodie festum agimus! Videris sane tuam illi tradidisse omni-

potentiam *cum clavibus mortis* ac vitae! Verum quam admirabilis quoque est magnus hic Sanctus, quod omnem, quam ex patratis tot mirabilibus collegit, gloriam et honorem tam fideliter in te solum transtulerit et, dum omnium in ore audiebat thaumaturgus, sibi soli coram te visus semper fuerit servus inutilis et ingens peccator.

PUNCTUM III.

Mirabilis in morte. Quis credidisset, quod S. Rochus, sanctitate pariter et miraculis clarissimus, ante mortem debuerit fieri *vir dolorum*, vir *saturatus opprobriis?* fieri sane debuit, ut depictae a prophetis *imaginis filii tui*, o Deus, *fieret conformis.* O adorandam et admirabilem Dei providentiam, quae reliquis viri sancti miraculis superaddere voluit miraculum patientiae ejus! Omni humana ope destitutus consumi debuit febri calida. Qui tot alios a peste liberavit, contagiosa lue fuit correptus. Indignis plane modis in ipsa patria habitus, atque ingenti probro suo tamquam explorator in vincula et carcerem conjectus est a patruo suo, qui hominem non amplius noverat: adeo omnem hominis vultum pallor et macies deformaverat. Tantis undique oppressus miseriis, quas suis meruisse peccatis autumabat, profunda animi pace fruebatur, et ferientem Dei manum adorabat, gestiens divinae esse victimam justitiae.

Verum ab hominibus derelictum, tu non deseruisti, o Deus, sed ejus probasti virtutem, firmasti constantiam. Imo ut servum tuum honorares, illorum vero, qui nulla erga miserum tangebantur commiseratione, crudelitatem confunderes, insignia patrasti miracula. Ut ardentem ejus in febri calida sitim sedares, e terra rupis instar sicca prodigiosum elicuisti fontem. Vili in tuguriolo languentem, ne fame emoreretur, ope canis nutristi, qui hominibus mitior quotidianum famelico panem attulit. Non minore prodigio a peste miserum liberasti: nec solum ejus carcerem coelesti lumine, sed et prodigiosis gloriae radiis vultum morientis illustrasti: uti hoc et plura ejusmodi testatur sacerdos, qui ultimam ejus confessionem excepit. Quod autem proximius ad miracula vitae ejus accedit, illud est, quod Sancto revelatum

fuerit, omnes, qui ipsius patrocinium invocaverint post mortem, a peste aut praeservandos esse, aut liberandos.

Veram esse hanc revelationem, confirmant cum verba, quae in carcere prope sacrum ejus corpus parieti insculpta inveniebantur, tum constans tot saeculorum experientia, tam per universalem, quam particularem populorum devotionem et fiduciam comprobata. Eam ob causam exstructae tot Ecclesiae, erecta tot altaria, instituta tot festa in Sancti honorem gratamque memoriam, quod sua potenti intercessione tot provincias et regna a peste defenderit.

Utique nec in laudibus tantae erga S. Rochum gratitudinis, nec in ejus invocatione possumus exorbitare, si exitiale pestis malum aut impendet cervicibus nostris, aut jam actu grassatur: at cur non pari fervore eum invocamus, ut nos praeservet a peccato, quod tamen Sanctus magis horruit, quam nos pestem? Cur non ab eodem tam enixe petimus sanationem animae, ac petimus sanitatem corporis? Per potentissimam, qua apud Deum pollet, intercessionem rogemus eum ac obtestemur efflictim, ut nos praeservet ab aeternis ignibus, qui utique prae omni peste merentur formidari.

XX. Augusti.

S. Bernardus Abbas. De tribus pactis, quae Sanctus iniit cum Deo in suis meditationibus.

PUNCTUM I.

Plane moriar mihi ipsi, ut tu solus in me vivas, o Deus. Et vero plane *sibi mortuus est;* ab eo enim tempore, quo nuntium remisit saeculo, ita cum Jesu suo per religiosam professionem sepultus est, nihil ut pristinae ac mere naturalis vitae in eo remansisse videatur. Sensus omnis expertem dixisses: adeo parum naturae tribuebat. Solo pene jejunio victitabat. Oratio et Scripturarum lectio erant unica ejus occupatio, mortificatio autem ejus deliciae. Non vetus Adam, sed novus homo in eo vivebat, ita, ut cum S. Paulo vere potuerit dicere: *Vivo autem, jam non ego: vivit vero in me Christus.* (Gal. 2, 20.)

Pro! quantum hallucinantur, anima mea, qui *vitam* ducentes *sensualem* putant, se simul posse *vita spiritus* vivere! Non bene conveniunt ambae, imo sociari non possunt. Mori oportet sensibus, ut vivere possimus spiritu. Stupent ad ista profani homines, quia plerique non possunt credere, quod carere quis possit illecebris sensuum et oblectamentis naturae.

Quam merito horum caecitatem deploro, o Deus, eo quod nunquam delibaverint, quas te amantibus abscondisti, dulcedines! Ah! si eas vel primoribus gustassent labris, ita sane inescarentur, ut non amplius exoptarent alias. Unica coelestis tuae dulcedinis gutta, Domine, falsum ipsis errorem eximeret, quod nemo possit beatam simul et mortificatam vitam vivere. Ego quidem, cui toties individuas esse demonstrasti, non levem noxam contraherem, si eas separare vellem, aut mihi non morerer serio, ut tibi vivam soli.

PUNCTUM II.

Totus intra me silebo, ut tu solus loquaris in me, o Deus! Et sane rigidissimum Bernardus sibi imposuit silentium, firmissime credens, quod non soleat loqui Deus, nisi cum hominibus silentii, solitudinis, et collectionis animi studiosis: imo quod colloquia hominum impediant colloquium ac familiaritatem cum Deo, et ideo, qui colloqui desiderat cum Deo, totus debeat silere intra se. Ea de causa Bernardus omni cum hominibus conversatione sibi interdixit, perpetuus cubiculi sui et solitudinis custos. ut solum cum Deo loqui posset, et loquentem audire, Sacellum ipsi schola fuit, ubi magistro Spiritu Sancto altissima Theologiae mysteria se in silentio didicisse aliquando fassus est, et abunde loquuntur ejus libri, etiam doctissimis Theologorum obstupescendi.

O felicem, anima mea, qui tanto fruitur magistro! quanta celeritate addiscit *scientiam Sanctorum!* Ut autem illum audire possimus, necesse est fugere saeculi strepitum et inania hominum colloquia, sibi vacare soli, et internas animae aures soli Deo loquenti praebere. Id quam saepissime expertus, cum propheta regio possum tibi dicere, o Deus: *Narraverunt mihi iniqui fabulationes:*

sed non ut lex tua. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo. (Psal. 118, 85. 103.) E contrario quam absona sunt hominum colloquia! Igitur scrutandae solum legi tuae imposterum me impendam cum Bernardo, contentus te audire solum, et solam obtinere *eminentem scientiam Jesu* crucifixi.

PUNCTUM III.

Totus quiescam, ut tu solus opereris in me, et per me, o Deus. Enimvero solus in se quievit Bernardus, ut nihil ageret, nisi ut instrumentum Dei, et ex ejusdem imperio. Et certe nemo hominum unquam fuit suae amantior cellulae, natura magis abhorrens a negotiis, quam Bernardus: at forte nemo etiam Sanctorum fuit, quem Deus majore cum gloria et ad majora efficienda e solitudine produxit in lucem, quam Bernardum. Verissime *sicut tenebrae ejus, ita et lumen ejus.* (Psal. 138, 12.) Consiliis suis dux erat praesulibus, lux et Pharos principibus, columen Ecclesiae et pontificibus, oraculum omnibus: attamen in tanta rerum et negotiorum multitudine internam quietem et solitudinis amorem nunquam amisit, sed *solitudinem cordis sibi ipsi efficiens, et secum solitudinem circumferens, ubique solus erat*, ita in Deo defixus, ac si Deus et Bernardus soli fuissent in mundo.

Cur autem tam paucos sui imitatores numerat hic Sanctus? scilicet, quia paucos numerat vere humiles, qui amant latere; qui propriis diffidunt talentis ac virtutibus: qui ad negotia et munia ineptos se judicant. Plerique ad omnia summa natos se factosque existimant: in exteriora sese effundunt: vel taedio solitudinis, vel temeritate praesumptionis per fas et nefas variis se muneribus et negotiis intrudunt.

Ejusmodi instrumentis, o Deus, non soles uti. Homines seligis, qui tecum sunt uniti studio continuae orationis, suique memores nihili ad omne bonum se ineptos credunt. Horum opera uteris ad grandia quaeque perficienda, et ad propagandam nominis tui gloriam, quia probe nosti, hos et non alios tuum solius honorem fideliter quaesituros. Aeternas tibi laudes dico ob tam mirabilem modum evangelicos eligendi operarios. Tantam

ego praerogativam et honorem non peto a te, utroque indignus. Solum collectionis, solitudinis, et orationis amorem mihi clementer largire.

XXIV. Augusti.

S. Bartholomaeus Apostolus.

PUNCTUM I.

Christo vivit Apostolus. Vitam seque totum impendit, ut Christi agnitionem, amorem et gloriam ubique promoveret. Sanctissimum ejus nomen Lycaoniae, citeriori Indiae et Armeniae invexit. Consideremus jam, quanta animi alacritate ac zelo, quanto labore et successu omnes illas regiones percurrerit, ut eas Christo subjugaret ringente Orco, qui graves quidem persecutiones, sacrificulorum odia et millena quotidie obstacula contra Apostolum et fidei propagationem suscitavit, at frustra; Dei enim servus omnes Orci conatus risit, daemones non solum corporibus, sed et animabus ejecit, et ubique religionem Jesu Christi gloriose stabilivit.

Unde autem tanta potestas et virtus Apostolo? ex assidua orandi et cum Deo se uniendi consuetudine; centies enim de die, centies de nocte Deum adorare consueverat, et hac ratione coeli gratias attrahere.

Pretiosum sane ac ingens a Deo talentum accipit, quisquis e concionatoribus operariisque evangelicis *donum bene orandi* accipit; sine hoc enim reliqua omnia parum prosunt: adulari, clamare, aures titillare possunt, at corda movere non possunt. Id expertus gentium Apostolus de se et illis ait: *Neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat* (quod unum in potestate hominum est) *sed* solum, *qui incrementum dat, Deus.* (I. Cor. 3, 7.)

Hunc igitur orationis spiritum, Domine, nostri temporis concionatoribus et in vinea tua operariis inspira. Abunde pollent ingenio, eloquentia, sermonum concinnitate: at unctione carent, quam una cum incremento dare tui solius est Spiritus. Utrumque dabis petentibus: quomodo autem petent, nisi donum bene orandi ipsis largiaris?

PUNCTUM II.

Christo moritur cruenta fidei victima, et quidem atrocissimo immolata sacrificio. Omnes quidem martyres, teste S. Gregorio Nazianzeno, victimae sunt pro Christo caesae: attamen S. Bartholomaeus modo quodam peculiari et per excellentiam appellari meretur *victima Jesu Christi.* In antiqua lege moris erat hostias non nisi *detracta pelle* Deo offerre. Ad hunc morem propius aliis martyribus accessit Bartholomaeus, cui tyrannus instigante diabolo per inauditum et longe atrocissimum supplicii genus vivo pellem detrahi jussit, atque ita calamitosiorem Jobo effecit, quem tamen diabolus, permittente Deo, *percussit ulcere pessimo a planta pedis usque ad verticem.* (Job 2, 7.) Porro illud ingenti solatio fuit martyri, quod excoriatus conformior Christo fieret, qui amore hominum immolatus, *a planta pedis usque ad verticem erat vulnus, et livor, et plaga tumens.* (Isa.1,6.) Innocentem hunc agnum sine macula aemulatus vir sanctus, suum cum eodem vitae sacrificium consummavit.

Admiremur invictam s. martyris fortitudinem: at nostram simul erubescamus ignaviam, si quando minora Deo sacrificia petenti reluctamur. Non postulas, o Deus, ut vitam et sanguinem tibi immolemus: et si postulares, nonne summo honori nobis deberemus ducere, quod utrumque pro te possemus fundere? Petis solummodo, ut illum creaturae amorem, hunc sensualem affectum, has tibi nugas et crepundia sacrificemus: at *nolumus exspoliari.* Tantae, o Deus, ignaviae ac imbecillitatis miserere: corrobora voluntatem, ut nihil, quod petis, tibi porro denegemus.

PUNCTUM III.

Mysteria in sacrificio S. Bartholomaei latentia. S. Bartholomaeus a crudeli tyranno sua spoliatus pelle, et a Christo, qui est corona martyrum, vestimento gloriae exornatus, magnum est summique momenti mysterium, quo docemur obligationem cuivis Christiano propriam: quam illam? tenemur *expoliare veterem hominem* et corruptae naturae affectiones exuere, ut *induamus novum hominem* Jesum Christum (Coloss. 3, 9. 10.) et sanctas

ejus propensiones. Atque hoc Tertullianus vocat *pondus baptismi* seu obligationem omnium Christianorum, qui sacro baptismatis fonte sunt abluti. Ibi in facie Ecclesiae se obligarunt ad abrenuntiandum veteri Adam, ut fiant *nova in Christo creatura.* (II. Cor. 5, 17.)

O quam pauci sunt Christiani, anima mea, qui solemnem hanc obligationem rite intelligunt! pauciores sunt, qui eam fideliter adimplent, solo nomine Christiani, non autem vita, spiritu, moribus. Sed nec Deus illos in die judicii pro filiis suis habebit, nec pro fratribus Jesu Christi.

At miserum me! dum infaustam horum sortem deploro, me quoque ex eorum numero esse infelix deprehendo. *Vivit adhuc in me vetus homo: et nondum est crucifixus.* (Lib. de imit. Christi.) Deberet tecum crucifixus esse, o Jesu. Ut sit, tuae (liceat candide fateri) opus est gratiae. Quod hactenus ignavia mea nondum effecit, tua, ut spero firmissime, bonitas infinita praestabit per merita sanctae passionis tuae.

XXV. Augusti.

S. Ludovicus, Galliarum rex.

PUNCTUM I.

Rex, servus Jesu Christi. Si, uti indubitatum est apud omnes, *servire Deo regnare est*, duplici titulo *rex* fuit S. Ludovicus: 1. jure natalium. 2. jure professionis, qua se *Christi servum* aperte semper nominabat, ratus, se regem haud esse, nisi Deus in ipso et subditis ejus regnaret. Praeterea amplius gloriabatur nomine Christiani quam regis et, licet omnia per potestatem regiam ipsi, quae volebat, licita esse viderentur, nec voluit aliud, nec licere existimavit, quam quod supremus coeli terraeque Dominus vel imperasset, vel permisisset; hinc maluit pati jacturam coronae et vitae, quam gratiae divinae per peccatum mortale.

Disce, anima mea, a rege sanctissimo nihil magnum in hac vita, nihil esse gloriosum, praeterquam Deo servire, et sanctissimae ejus legi obtemperare. Disce, quocunque dignitatis gradu fulgeas, nihil esse, si com-

paretur cum dignitate, qua filius Dei, frater et cohaeres Jesu Christi efficeris. Indignissimum facinus esset, si ejus nomen et insignia erubesceres. Imo, quod Christus comminabatur, jure timendum tibi illud esset: *Qui me erubuerit, hunc Filius hominis erubescet cum venerit in majestate sua.* (Luc. 9, 26.)

Infinitae tibi sint laudes, o Deus, quod foeda tantae ingratitudinis et ignaviae nota in nos neutiquam cadat. Tantum abest, ut erubescamus tibi servire, ut etiam gloriemur infimis annumerari mancipiis tuis, et venerabile crucis tuae signum in frontibus nostris circumferre. Unicam hanc supplices petimus gratiam, ut tam gloriosae servituti vita et moribus nullam inuramus maculam.

PUNCTUM II.

Rex, discipulus Jesu Christi. Persuasissimum erat s. regi, quod tantundem et non amplius simus Christiani, quantum sumus discipuli Jesu Christi; hinc ejus scholam a teneris frequentabat, doctrinas vero per omnem vitam deducebat in opus, docilis aeque ac fidelis discipulus. Didicit, praecipuum in arte regnandi caput esse evangelicis Jesu Christi praeceptis imbui et eis obtemperare. In ipso regiminis sui limine intellexit, Evangelium suam esse principalem regulam et legem; quae cum nihil inculcet magis, quam propriam sui ipsius abnegationem, continue illam domi forisque exercebat. Adeo non imitatus est reges caeteros, qui se ob suam dignitatem a praescriptis Ecclesiae jejuniis ac poenitentiae rigoribus immunes existimant, ut potius voluntaria austeritatis opera adjecerit imperatis. Tria per hebdomadem jejunia, asperum quotidie cilicium, ferrea saepenumero flagella aliasque austeritates corpori adhibebat tanto magis obstupescendas, quanto rariores sunt in regibus et aulis principum. Quo durior autem sibi erat, eo mitior erat in pauperes, quos ut viva Jesu Christi membra amans tenerrime, ad mensam suam frequenter adhibuit, majori sibi ducens honori ipsis manu regia inservire, quam ab aulae proceribus ejusmodi obsequia recipere.

Quanto regium hoc exemplum pudore suffundit digniorum ordinum homines, qui miseros non curant,

cum fastidio repellunt miserabiles: qui de sua solum solliciti cute vitam vivunt delicatam, legi Jesu Christi et Evangelii doctrinis penitus contrariam! Quid, amabo, isti dicent, si in die judicii cum sancto hoc rege comparentur?

Et nos ipsi, o Deus, si regem adeo humilem, adeo mortificatum et poenitentem nobis oppones, quid excusationis praetexemus, quod turgeamus fastu, solum mortificationis, poenitentiae et austeritatis nomen vel horreamus vel rideamus? Maximus orbis monarcha hilari animo se humiliat: et nos minima humiliatio prope exanimat! Rex inter aulae delicias educatus *semper mortificationem Jesu in corpore suo circumfert* (II. Cor. 4, 10): et nos in omnibus vitae commoda et delicias aucupamur! Regum innocentissimus, qui acceptam in baptismo gratiam toto vitae cursu conservavit intaminatam, in corpus suum ceu peccatorum foret maximus tam rigide saevit: et nos, revera maximi peccatores, ab omni opere poenali abstinemus, ac si ad expianda, quae ingenti numero commisimus, peccata nihil foret necessarium! Ah! Domine, quid fiet de nobis, nisi in alios homines tua nos mutet gratia? hanc utique non meremur: at foretne gratia, si eam mereremur?

PUNCTUM III.

Rex, miles Jesu Christi. Sanctus rex omnibus Jesu Christi inimicis bellum declaravit intulitque. 1. *Blasphemis*, summa edictorum ac poenarum severitate. 2. Domesticis *Ecclesiae hostibus*, paterna sollicitudine eos ad s. matris gremium reducendi. 3. *Infidelibus et Saracenis*, vi et armis. Hos expugnandi zelo non habuit parem. Eum in finem bis suum deseruit regnum, bis longissimum juxta ac difficillimum suscepit iter, montes et maria trajecit, semper dux agmina suorum anteibat; idque non ut suum nomen, gloriam aut regnum dilataret, sed ut amplificaret regnum et gloriam Jesu Christi, et *terram sanctam*, pretioso ejusdem sanguine irrigatam, a barbarorum jugo vindicaret.

Verum enimvero quam incomprehensibilia sunt judicia tua, Domine, quod, dum sanctissimum regem

puritas intentionis, prudentia consiliorum, magnitudo animi, numerus et fortitudo exercituum et, quod caput est, justitia et sanctitas causae, qua ad *sanctum* hoc *bellum* stimulabatur, prope jubebant de victoria securum esse: quod permiseris, inquam, o Deus, profligari immensos regis exercitus, regem ipsum primo duci captivum, tum peste affligi ac inter barbaros mori!

Nempe *sanctum* voluisti efficere, o Deus, non victorem hostium: Sanctum humilem, et providentiae tuae dispositiones demisse adorantem, servum fidelem, qui in medio calamitatum immobilis, plus admirationis et gloriae meretur in casibus adversis, quam prosperis successibus. Haec permisisti, Domine, ad ejus sanctificationem, ad majorem tuum honorem, ad nostram denique doctrinam, ut intelligamus, sanctitatem quam longissime omnibus mundi dignitatibus, famae et honori praestare.

XXVIII. Augusti.

S. Augustinus. Triumphus gratiae divinae.

PUNCTUM I.

S. Augustinus resistit gratiae. Et vero negari non potest ante suam conversionem restitisse gratiae. 1. Ejus illustrationes suffocavit sequendo errores Manichaeorum. 2. Salutares gratiae impulsus suppressit impuris amoribus. 3. Ejus voci aures et cor diu clausit, solis obediens passionibus. Gratia, ut errantem revocaret, instabat modo per monita s. matris Monicae, assidue filium adhortantis, ut mores et vitam mutaret: modo per admonitiones S. Ambrosii, qui cum publicis concionibus, tum familiaribus colloquiis Augustinum Deo lucrari totis viribus allaborabat. Suis excaecato erroribus affatim luminum affundebant instructiones Ambrosii: induratum movebant adhortationes, exempla, preces et lacrimae matris: at pravis consuetudinibus nimium irretitus, *voluit* jam, jam *noluit* converti: quod heri voluit, hodie renuit; saltem deliberandi tempus et spatium petiit: quo obtento a se impetrare non potuit, ut, quibus ligabatur, vincula disrumperet vitiorum. *Suspirabam*, ait, *ligatus*

non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Retinebant me nuga nugarum etc. (Confess.)

Perpende hic, anima mea, deplorandum hominis statum, errore quodam aut vehementi passione abrepti. Utriusque fit mancipium, et tantum non liberi arbitrii usu privatur. Servitutem patitur et jugum, quod non subire facilius est quam excutere, postquam subiit. Ferro ligatus gemit, et tamen, ut rumpat catenas, nequit decernere. Ut queat, opus est miraculo gratiae.

Tale ego miraculum si sperarem, oppido temerarius essem, Domine. Et quo denique fundamento posset niti audax haec spes mea? meisne meritis? at innumeris peccatis millies infernum merui: an tua bonitate? qua me toties indignum reddidi. Itane vero? tuae abusus gratiae majores mihi gratias spondeat? Ah! tantam a me caecitatem averte, o Deus. Peccator sum, et maximus quidem peccator. At quale tandem objectum, qualis scopus tuae foret *magnae misericordiae*, nisi essent magni peccatores? Mea peccata continenter oculis tuis objicio, meque tua misericordia indignum sincere fateor, attamen non despero: imo firmiter spero, fore, ut ad majorem infinitae bonitatis tuae gloriam mei, ut olim Augustini, miserearis.

PUNCTUM II.

Augustinus cedit gratiae et victas dat manus, et quidem plene, ac perfecte, constanter. *Vocem Domini confringentis cedros* (Psal. 28, 5.) e coelo audiit: *Tolle, lege* illud Apostoli: *Non in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis etc.* (Rom. 13, 13.) Nec pluribus erat opus, sed mox omnem fastum, pertinaciam, errores deposuit. Amore Creatoris jam incensus, omnem, quo prius arserat, creaturarum amorem detestatus est in aeternum, neque satis caecitatem suam, qua aeternam Dei amabilissimi pulchritudinem mendacibus creaturarum illecebris stulte posthabuit, poterat admirari: quare intimo doloris ac pudoris sensu tactus identidem exclamavit: *O pulchritudo tam antiqua, tam nova, sero te amavi! Non dubia, sed certa conscientia amo te, Domine.*

Nullus jam dubito, sed certus sum de obligatione te amandi: fixum est igitur, juratum est: amabo te.

Quam plurimi sequuntur Augustinum peccantem, paucissimi poenitentem. Plures invenias semiconversiones, inconstantes, non duraturas conversiones: at eheu! quam paucas stabiles, integras, aetatem ferentes!

Istae nimirum, o Deus, eximia sunt tuae omnipotentis gratiae opera. Hanc a te, o Pater misericordiarum, mihi peto, cunctisque peccatoribus: et peto per infinita reconciliatoris nostri Jesu Christi merita, qui solus est dignus, ut illam nobis gratiam impetret.

PUNCTUM III.

Augustinus etiam alios subjicit gratiae. Non contentus se gratiae totum dedidisse, alios insuper, ut suas in resistendo moras quodammodo compensaret, ejusdem imperio subjecit: 1. *Haereticos*, maxime Manichaeos, Donatistas et Pelagianos, quos aut gloriose confutavit, aut gloriosius ad veritatem et Ecclesiam reduxit. 2. Malae vitae *catholicos*, quorum mores et vivendi licentiam correxit qua concionibus et colloquiis, qua vitae exemplis ac libris, praecipue suarum Confessionum, ubi facta ab ipso commissorum scelerum manifestatio ac insignis poenitentia satis efficax est, ut omnes ad ejus sequelam et poenitentiam possit pertrahere. Nihil igitur ad promovendum gratiae triumphum non egit: Clerum reformavit, collapsam Ecclesiae disciplinam instauravit, clericos regulares in sua episcopali domo instituit, religiosum fundavit ordinem, cujus regulas quam plurimi postea religiosi ordines sunt amplexi tanta Ecclesiae totius probatione, ut perpetuis temporibus sit testatura, se sancto huic doctori, humana majori doctrinae, stupendae ejus pietati, zelo infatigabili, et admirandis ejusdem libris magnam gloriae ac splendoris sui partem debere atque etiam in acceptis referre.

An non aeque diu, ac Augustinus, divinae restitimus gratiae? Num illata eidem damna aeque reparavimus? qua ratione tantas ulti sumus moras et tergiversationes? quid ad ejus gloriam dictis, factis, aut scriptis contulimus? Si nostrae facultatis ac virium non

est concionando aut libros scribendo homines excitare, ut gratiae Dei fideles se exhibeant, privatis id colloquiis bonisque exemplis praestare possumus. Cur non praestamus? Ergone mori volumus ingrati non solum in victricem gratiam, quae nos convertit, sed etiam in te ipsum, o Jesu, qui nobis eam omnibus pretiosi sanguinis tui guttis promeruisti?

XXIX. Augusti.

Decollatio S. Joannis Baptistae.

Vide medit. Dom. II. Adventus. pag. 312.

VIII. Septembris.

Nativitas b. Virginis Mariae.

Vide medit. Sabbato Hebd. II. Advent. pag. 325.

XIV. Septembris.

Exaltatio s. crucis.

In illa Christi verba: *Ego, cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum.* (Joan. 12, 32.)

PUNCTUM I.

Prima Jesu Christi et s. crucis exaltatio. Per crucem meruit Christus fieri rex totius universi, et crux est regale ejus solium. Ibi, ut ipsemet ait, a Patre suo *constitutus est rex super Sion montem sanctum ejus*, h. e. super sanctum Calvariae montem. Ibi dixit ad eum Pater: *Postula a me: et dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae.* (Psal. 2, 6. 8.) Ita Filium suum remuneratus est Pater, ut humiliationes et opprobria, quae pro Patris gloria subiit, ei compensaret: *Propter quod Deus exaltavit illum etc.* Eandem gloriam et remunerationem meritus est Christus *ex parte hominum*, quorum factus est rex, quia eos redemit, dignissimus proin, ut non solum jure natalium, sed etiam jure belli et victoriae regnet super nos, ei quidem *a ligno crucis*, ut indicat Ecclesia verbis non minus cruci, ac Jesu Christo honorificentissimis: *Regnavit a ligno Deus.*

Gaudeamus, anima mea, dum videmus humiliationes ac ignominias, quas amore nostri Christus in cruce exantlavit, tam gloriose compensari, ut ex theatro opprobriorum fiat thronus gloriae et sedes regni ejus. Admiremur cum laetitia mirabilem hanc metamorphosin: recenseamus inter tenerrimos laetitiae affectus, quot Servatori templa pro uno monte Calvariae, quot altaria pro una cruce obvenerint, quot cruci adorationes pro ignominiis. Nemo eam audebat olim tangere sine probro ac infamia: quot autem regias hodie exornat coronas! quot principum vertices illustrat! Quantus cruci honor accessit, dum hac ipsa die, quam hodie festam agimus, magni profecto nominis imperator Heraclius illam summa cum reverentia humeris suis impositam in montem, quo Christus eam tulerat, retulit, et imperatoriam majestatem Christo Jesu humillime subjecit!

Ob hos, mi Jesu, et alios, qui tibi tuaeque cruci etiamnum deferuntur quotidie, honores totus laetitiis exulto: meam illis venerationem et cultum tenerrimo cordis affectu demississime jungo. Tua exaltatio mihi cordi et curae est. Quantum potero, cunctis diebus vitae meae *exaltabo te, Deus meus rex.* (Psal. 144, 1.) Fixum est ratumque, numquam deserere crucem tuam, utpote thronum, ubi regnas: tibi perfectissime devotus volo vivere ac mori.

PUNCTUM II.

Secunda Jesu Christi et s. crucis exaltatio. Adhuc Jesus ut judex crucem conscendit, licet Judaei ut sceleratum et mortis reum ei affixerint; et haec ipsa crux, quae prius erat locus supplicii, jam est tribunal judicii, ubi mundus condemnatur. *Nunc*, ait ipse Servator, *nunc judicium est mundi.* (Joan. 12, 31.) In eundem sensum loquitur S. Leo Papa, dum ait: *In cruce et tribunal Domini, et judicium est mundi. Tribunal Domini* condemnantis hominum mollitiem et voluptates per suos cruciatus, inordinatum divitiarum amorem per suam nuditatem, superbiam et fastum per suam humilitatem. Res tota manifeste patuit in Heraclio imperatore, qui, dum gemmis et auro ornatus crucem Domini portabat, gradum in porta, quae ad montem Calvariae ducit,

sistere occulta vi coactus est, ut intelligeret, triumphalem ejusmodi ornatum neutiquam esse insignia humilis Dei. Et sane intellexit; mox enim purpuram plebejo amictu commutavit, et reliquum viae sine omni difficultate confecit.

Ita est: crucem Jesu Christi portare humilium est: his quoque tribunal est, verum *tribunal misericordiae*, in quo non nisi benigna fertur sententia: superbis autem, qui ex mundi legibus vivunt, est *tribunal justitiae*, ex quo sola damnationis aeternae fluit sententia. Mundi asseclae terrificum hoc tribunal tanta aspiciunt quotidie audacia, ceu non haberent, quod timeant: at in die judicii contempta crux illatas sibi injurias severe ulciscetur. *Tunc parebit signum Filii hominis* (Matth. 24, 30.) et ingentem inimicis crucis Christi terrorem incutiet, eritque ipsis non signum salutis, sed signum aeternae damnationis.

O bone Jesu! quam diversos exaltatio s. crucis tuae producit effectus! Inimicos crucis et mortificationis confusione operiet, et ad perpetuos cruciatus condemnabit in poenam voluptuosae ac mollis vitae: amatores vero mortificationis, tuosque usque ad montem Calvariae pedisequos benedictione et gloria complebit in praemium laboris, quo te honorare ac imitari studuerunt. Ad hanc vivendi rationem me prae aliis vocare dignatus es, o Jesu; hinc a te efficacem spero gratiam, qua adjutus imposterum majore quam hactenus fidelitate possim sanctae vocationi respondere.

PUNCTUM III.

Tertia Jesu Christi, et s. crucis exaltatio. Utique toto vitae tempore Jesus noster fuit doctor et magister. Hoc suum officium exercuit primo in cunis et stabulo: continuavit praedicando regnum Dei in urbibus et pagis: et fatendum est, quod consummaverit in monte Calvariae, ubi teste Augustino *crux non solum fuit lectulus morientis, sed et cathedra docentis.* Ibi summatim repetiit et opere ipso perfectissime exercuit, quidquid doctrinae per omnem vitam ipse tradidit, aut perfectionis continet Evangelium. Quam belle, quam perfecte utriusque documenta inter se conveniant, clarissime videbit, qui ex una

parte inspiciet Evangelium, ex altera aspiciet crucem. *In Evangelio* nos docet Christus humilitatem, mansuetudinem, patientiam, dilectionem inimicorum, abnegationem propriam: *in cruce* omnes has virtutes in gradu longe perfectissimo exercuit. En tertiam et supremam Jesu Christi, ejus doctrinae, et s. crucis exaltationem.

Hanc autem doctrinam, ut nobis persuaderes, o Jesu, num opus fuit te mori in cruce? ut illam communi plausu comprobaremus, nonne sola sufficiebat auctoritas tua? Debeat utique sufficere: nihilominus e singulari bonitate dignatus es manifesta hujus doctrinae vestigia et exempla in temetipso nobis relinquere, ut tuo nos exemplo ad alacrius imitandum excitares, et nobis, uti Apostolis tuis post lotionem pedum merito posses dicere: *Vos vocatis me magister, et Domine: et bene dicitis: sum etenim.* (Joan. 13, 13.) Si ergo ego Dominus et magister exemplo vobis praeluxi, an imitari detrectabitis discipuli?

Sumus enimvero Jesu discipuli, quia sumus Christiani. Schola nostra mons Calvariae est, crux cathedra divini magistri, lectiones et doctrinae sunt ejus exempla. Studeamus illas in opus deducere, si s. crucem exaltare cupimus, et pro meritis colere: id melius non faciemus, quam si magni faciamus, plurimum amemus, diligenter ipso opere exerceamus, quae Christus docuit, et amore nostri moriens in cruce nobis testamento reliquit.

XXI. Septembris.

S. Matthaeus Apostolus, Evangelista et martyr.

PUNCTUM I.

Quomodo Matthaeus vocatur a Christo? Tribus quasi vinculis ceu totidem illecebris, quibus plene inescatus resistere non potuit, a Christo trahitur hic publicanus. 1. *Aspectu. Vidit Jesus hominem* (Matth. 9, 9.): nec pluribus ad trahendum hominem erat opus, nec mirum, quod traxerit; teste enim S. Hieronymo *fulgor ipse et majestas divinitatis occultae, quae etiam in humana Christi facie relucebat, primo aspectu videntes ad se attrahere poterat, quos volebat.* 2. *Voce;* et voce unica:

Sequere me: qua voce ita totus fuit immutatus, *ut, qui ante rapiebat aliena, postea relinqueret propria.* 3. Prorsus efficaci licet occulta *inspiratione;* nam *qui verbo foris vocabat, intus invisibili instinctu edocuit.*

Numquid et te, anima mea, simili modo ad se invitavit, vocavit, traxit misericors Deus? Quoties te oculis misericordiae aspexit? Nonne tibi illa Evangelii verba saepius oggessit: *Vade: vende, quae habes, et veni: Sequere me?* (Matth. 19, 21.) Poterasne in dubium trahere, quod a te istam exegerit abnegationem, quam ut persuaderet, tot tibi incitamenta, rationes, illicia proposuit? Quantas ergo grates illi debes?

Imo reddam illas, dum vixero, Domine. Unicam adhuc ut tot aliis adjicias gratiis, supplex rogo: pari efficacia, qua me ad tuum traxisti servitium, ad perfectionem mei status me trahe; rumpe mea amoris proprii vincula: trahe (ita efflictim cum sponsa te rogo) *trahe me* perfecte, *post te curremus in odorem unguentorum tuorum.* (Cant. 1, 3.)

PUNCTUM II.

Quomodo Matthaeus vocantem secutus est? Modo tam perfecto, ut exemplo esse queat omnibus, quos Deus vocat, ut mundum deserant aut in eo vivant, ac si non essent in mundo, aut certe non de mundo. Matthaeus ergo Christum secutus est 1. non ex taedio aut post operosam animi luctam, sed tanta cum laetitia, ut diem hunc tamquam faustissimum solemni convivio, cui ipse adfuit Jesus, celebraverit. 2. Tantum abest, ut peteret inducias, dilationem, aut spatium deliberandi: ut momento citius fuerit secutus vocantem. Neutiquam ajebat, ut ille: *sequar te, Domine: sed permitte mihi primum renuntiare his, quae domi sunt.* (Luc. 9, 61.) Non ita Matthaeus, sed statim *surgens* de telonio *secutus est eum.* (Matth. 9, 9.) 3. Secutus est perfecte et integre, *relictis omnibus,* nullus dubitans, quin longe pretiosiora, quam relinquat, bona in Jesu Christi societate reperturus esset.

Anima mea! pari ratione obtemperemus divinis inspirationibus, quae nos impellunt, ut faciamus bonum et declinemus a malo. Quoties nos urget Deus, ut certas,

quae offendiculo nobis et scandalo sunt, personas deseramus? ut pravos exuamus habitus, qui nos peccatis immersos retinent? ut animi recollectionem et sacram solitudinem, ubi in amaritudine animae nostrae commissa deploremus peccata, aliquando subeamus. Semperne coelesti gratiae resistemus? Quod si ejus voci, ut Matthaeus, jam obedivimus, quantas Deo grates debemus, eo quod tanta nos suavitate, efficacia ac vi amica ex miseriarum et peccatorum barathro, in quo haesimus, clementissime eduxerit? Quam jure meritissimo *misericordias Domini in aeternum cantabimus!* (Psal. 88, 2.)

Quamquam, ut gratum tibi animum tester, mi Deus, non sufficit tuas decantare laudes; opus est gratitudinem meam luculentius testatam reddere. Nunc, ubi mearum non amplius recordaris iniquitatum, jubes, ut in via justitiae, in quam me reduxisti, ambulem ferventer, progrediar constanter, exequar graviter, quidquid seu utile seu necessarium fuerit, ut tempus, quod male praeteriit, redimam, et futurum ad tuum honorem beneplacitumque impendam. Ita firmiter statuo; in id jam nunc totis viribus incumbo.

PUNCTUM III.

Quomodo Matthaeus suam impleverit vocationem et munus. Quam perfectissime; etenim qui hominem dicit a Christo, ut sequatur se, vocatum, aliud non dicit, quam praedicatorem, qui sanctissimum Christi nomen portet coram populis, gloriam ejus amplificet, paratus Christi amore vitam et sanguinem fundere. Talis ad unguem fuit Matthaeus qua Apostolus, qua Evangelista, qua martyr Jesu Christi. 1. *Qua Apostolus* nomen, fidem, cognitionem et cultum Jesu Christi invexit Aethiopiae, quae ipsi in divisione Apostolorum obvenit. Ibi innumeros gentiles cum ipso rege et regina subjecit Christo. 2. *Qua Evangelista* historiam et vitam Jesu Christi conscripsit, per quod insigne opus, usque ad consummationem saeculi duraturum, immortalem Christo Jesu gloriam peperit. 3. *Qua martyr* omnia, quae in honorem Jesu Christi dixit et scripsit, sanguinis sui chirographo comprobavit, lanceis in ipso altari, ubi

operabatur, confossus: atque ita factus ex sacerdote victima gloriose vitam et vocationem suam coronavit.

An et nos vocationem nostram (si ad munus apostolicum vocati sumus) ita perfecte adimplemus? An calamum et linguam honori et gloriae Jesu Christi dedicamus? et quidem, si res postulet, exemplo S. Matthaei cum dispendio vitae? Quod si ad tam sublimem Apostolorum et concionatorum etc. munus vocati non sumus, non minus tamen, quam illi, ad similia obligamur: si non sumus Apostoli Jesu Christi, sumus tamen ejusdem discipuli. Palam igitur nos ejus discipulos et imitatores esse profiteamur, saltem animo paratos ad profundendum, si opus foret, pro Christi doctrina sanguinem.

XXIX. Septembris.

S. Michaël Archangelus.

PUNCTUM I.

Dux militiae coelestis constituitur. In principio mundi innumeros Deus creavit angelos, et tamquam eximia omnipotentiae suae opera omnibus naturae et gratiae donis apprime instruxit. Horum principem et ducem constituit Michaëlem, ideoque singularibus exornavit dotibus, utpote a quo caeteri omnes, tamquam milites a duce aut membra a capite debebant moveri et dirigi.

Anima mea! faciamus nos aliquo modo participes tot insignium gratiarum, quibus primo creationis instanti Deus Michaëlem instruxit, et meritas propterea ei agamus grates: glorioso autem archangelo tot tantasque gratulemur praerogativas, et primum inter angelos locum: ejus vexillum cum angelis bonis sequamur, supplices, ut potenti, quo apud Deum pollet, patrocinio nobis vires ac robur obtineat ejus exemplo rebelles angelos oppugnandi.

Rebelles angeli propter inobedientiam praecipitati in Orcum, nullum non lapidem movent, ut nos eo secum detrahant, quia suas in coelo relictas sedes nobis invident. Corrobora nos, Domine, contra illos in conflictu: eorum insidias et fraudes nobis detege: con-

funde eorum malitiam, et fac per tuam gratiam, ut juratam tibi fidem assidue servemus.

PUNCTUM II.

Oppugnat et debellat rebelles angelos. Innumera angelorum multitudo creata fuit in coelo, h. e. in regio Dei palatio, ut perennes ipsius essent proceres, ac aeternum beati. Ad hoc obtinendum alia re opus non erat, quam ut 1. agnoscerent, se a Deo in omnibus necessario et essentialiter dependere. 2. Ut juxta Dei mandatum Filium ejus in carne humana, olim assumenda, demississime adorarent. Ita teste Apostoli *introduxit* Pater *primogenitum in orbem terrae* et *dixit: Et adorent eum omnes angeli Dei.* (Hebr. 1, 6.) Lucifer, quem Scriptura vocat *principem superbiae*, renuit obedire, et immensam angelorum multitudinem in partem rebellionis traxit. Primus omnium obsecutus est Michaël, suoque exemplo quam plurimos ad obsequendum excitavit. Itaque *factum est praelium magnum in coelo: Michaël et angeli ejus praeliabantur cum dracone: et draco pugnabat, et angeli ejus: et non valuerunt. Et projectus est draco ille magnus, et angeli ejus cum illo missi sunt* in barathrum inferni. (Apoc. 12, 7—9.)

Gratulemur S. Michaëli tam insignem victoriam: detestemur Luciferi superbiam: deploremus irreparabilem tot nobilissimorum spirituum ruinam: utque discamus humilitatem et castum Dei timorem, mente in Orcum, quo superbia angelos praecipitavit, descendamus.

Ad hoc terribile spectaculum, o Deus, quis non toto corpore contremiscat? Si stellae ceciderunt de coelo, quid non timendum homini, qui est pulvis et cinis? Istam considerationem ut quotidie instituamus, hortatur Apostolus his verbis: *Si Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos* (II. Petr. 2, 4.), num impune vilissimos homines feret, qui peccata peccatis quotidie accumulant?

PUNCTUM III.

Pro quo, et quibus armis militat Michaël? Militat pro Deo-Homine, quem ut Deum supremo latriae cultu oportebat adorare: renuit Lucifer naturae et perfectionum

suarum splendore excaecatus. Adoravit Michaël, Deumque humana tectum carne agnovit aeque magnum esse, quam sit in solio et splendoribus gloriae suae. Michaëlem secutus est ingens fidelium angelorum exercitus, jam tum Deum-Hominem adorantium, quem cum tempore nasciturum erant adoraturi. Tunc omne coelum faustis resonabat acclamationibus et gaudiis ob hanc insignem victoriam, quam S. Michaël cum suis reportavit.

Quibus autem armis reportavit? 1. Humilitate et sincera cognitione, se, ut alias omnes creaturas, quam absolutissime a Domino Deo dependere, quia ab eo fuit e nihilo extractus: a se vero omnia in Deum, tamquam finem ultimum esse referenda. Humilitas igitur Luciferum confusione plenum devicit, Michaëlem vero immortali gloria coronavit. Eadem virtus nos reddet daemoni insuperabiles, et innumeras nobis merebitur gratias; etenim *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* (I. Petr. 5, 5.)

2. His verbis S. Michaël vicit: *Quis ut Deus?* Haec sola gnome bonos corroboravit angelos, prostravit malos: gnome, quam nunquam satis repetere aut considerare possumus: gnome qua armati omnes mundi et carnis assultus retundemus. Nihil (dicemus) *ut Deus:* in hujus comparatione nihil est bonum, nihil suave, magnum nihil: nihil damna, quae graviter peccando incurreremus, posset reparare: *Quis ut Deus?*

Rogemus gloriosum hunc angelorum principem, ut hanc victoriarum feracem tesseram cordi nostro altum imprimat: dicamus illi devote cum Ecclesia: *Sancte Michaël archangele, defende nos in praelio, ut non pereamus in tremendo judicio.*

I. Octobris.

S. Remigius Galliarum Apostolus.

PUNCTUM I.

Ejus dispositiones ad munus Apostoli. Gallia, quando S. Dionysius Areopagita eidem lumen fidei intulit, necdum ordinata erat monarchia: talis tamen

evasit tempore Clodovaei Magni, quo regnante coelum usuram lucis sancto Remigio dedit, ut esset cum tempore Galliarum Apostolus: Eum in finem nactus est parentes sanguine ac virtutibus illustrissimos: Patrem Aemilium comitem Laudini, et matrem Celiniam, catalogo Sanctorum ab Ecclesia insertam. Haec eo aetatis jam processerat, ut prolem sine prodigio amplius sperare non potuerit. Sanctus quidam eremicola, Montanus nomine, utroque captus oculo, Celiniae Dei nomine praedixit, ipsam filium parituram, qui et totius regni lumen futurus, et sibimet lumen oculorum esset redditurus. Vaticinium comprobavit eventus. Mater obtinuit filium, Montanus visum. Natus miraculo infans Remigius, ubi ad usum rationis pervenit, sanctitatis et doctrinae prodigium evasit. Nemo dubitabat, quin sanctitas adeo accelerata singulare fuerit donum Dei, qui Remigium ad maxima perficienda destinasset. Ea de causa contra communem Ecclesiae morem et canones in Rhemensem archiepiscopum viginti adhuc annorum juvenis assumptus est insuperhabitis omnibus repugnantis precibus et lacrimis, quae uti potius ejus aestimationem augebant, ita factam a Deo Remigii electionem magis roborabant.

Et sane solius Dei est eligere ministros Ecclesiae, non hominum se Ecclesiae ministeriis ingerere. *Non vos me elegistis*, ajebat Christus Apostolis suis, *sed ego elegi vos.* (Joann. 15, 16.) Adeo sublimis electio ad Deum solum pertinet, quosque eligit, donis ac dotibus (fidelis est enim) obeundo digne muneri necessariis semper instruit.

Qui non vocatus a te, o Deus, Ecclesiae dignitates quaerit, temerarius sit oportet: et qui sine tua electione illis sese ultro onerat, nescit profecto, *onus esse etiam angelicis formidandum humeris.* (S. Chrys.) Interea inter animarum pastores, Ecclesiae praelatos, et, uti vocantur, Apostolorum successores quot dantur, Domine, quos tu non elegisti? quos avaritia aut ambitio vocavit? de quibus merito, ut olim de quibusdam prophetis, conquereris: *Non mittebam prophetas: et ipsi currebant; non loquebar ad eos: et ipsi prophetabant.* (Jerem. 23, 21.) Quid mirum ergo, si populos erroribus

et scandalis, se ipsos maledictionibus et peccatis illaqueent? Feri eos, supreme animarum pastor, feri eos anathemate, quod sua merentur temeritate. At infelicium, quas regunt, ovium miserere. Aut meliores ipsis largire duces, aut ipsemet per semitas justitiae et veritatis dux earum esto.

PUNCTUM II.

Hujus Apostoli virtutes et functiones muneris. Anima mea! Ut Remigium videas Apostolum, veri imaginem Apostoli, quam S. Paulus, gentium Apostolus, in suis ad Titum et Timotheum epistolis adumbravit, inspice: et vivis depictum coloribus Remigium aspicies: fuit, inquam, *sobrius*, *pudicus*, *modestus*, *hospitalis*, orationi deditus, erga pauperes *benignus*, sancto flagrans zelo animarum, quas Deus curae ejus credidit. Diu noctuque a Deo ardentissimis precibus conversionem ethnici regis Clodovaei et, quae ab illa pendebat, conversionem totius regni petebat. Ejus lacrimis et precibus suas quoque Clotildis regina junxit ipsos quinque annos. Tandem utriusque vota coelum exaudiit. Clodovaeus in quodam proelio de amittenda vita et corona periclitatus, Deo exercituum Jesu Christo se ejus fidem amplexurum vovet, si ex acie victor rediret. Et en! sine mora votum excipit victoria, victoriam adimpletio voti. Vocatus a Clotilde Remigius adit regem, instruit et disponit ad baptismum, quem etiam inter festivos coeli et terrae applausus ei contulit. O stupendum religionis triumphum! Aulici et proceres, omnes prius ethnici, jam Christiani, una cum subditis exemplum regis et Christum sequuntur. Deum immortalem! quanta fuerit laetitia sanctissimi praesulis, dum vidit, Christum modo adorari a regno facile potentissimo, a rege maximo, qui lauros, coronam et sceptrum ad ejus pedes deponens, immensam subditorum multitudinem suo exemplo ad veram Christi religionem cultumque pertraxit!

Ne nos christiano nomine indigni essemus, Servator amantissime, nisi de tanto religionis tuae successu, de amplificata nominis tui gloria laetaremur. Quantas non laudes tibi et grates debemus, illius diei memores, quo idololatriam toto regno proscripsisti, in qua forsan etiam-

num haereremus, nisi per S. Remigium illam penitus eliminasses. Sis propterea, Domine, aeternum benedictus: et quoniam tua misericordia nos christiano nomine insignivit, da, ut tua juvante gratia illud per vitae sanctitatem semper adimpleamus.

PUNCTUM III.

Merces et gloria Apostoli. Deus, qui *glorificantes se glorificat*, Apostolum nostrum reddidit gloriosum 1. mirabili, qua toto in regno pollebat, auctoritate. 2. Summa, qua eum rex Clodovaeus semper prosecutus est, veneratione. 3. Insigni virtute prorsus eximia patrandi miracula. Colebatur a praesulibus ut norma virtutum, a rege ut pater, a populis ut oraculum, ab elementis et aliis sensus et vitae expertibus creaturis ut dominus naturae totius. Ad vocem aut nutum ejus morbi aegros, mortui sepulchra, daemones corpora obsessorum deseruere. Testis est energumena, quam a Sancto Benedicto ex monte Cassino Rhemos ad se missam non solum a daemone liberavit, sed paulo post defunctam revocavit ad vitam. Laudes et nomen Remigii ad finem mundi usque celebrabit Ecclesia, eique grata in acceptis refert *primogenitum suum*, regem scilicet Galliarum, et monarcham mundi facile maximum. Gallia suum venerabitur *Apostolum*, ut eum nuncupat Leo IX. Sub eodem titulo Sanctum colunt vicinae regiones, praecipue Lotharingia, quae plura, quam omnes reliquae, templa S. Remigii honoribus dedicavit. Verum Rhemenses singulariter tenentur venerari hunc Sanctum tamquam protectorem suum, quia habuere pastorem et custodiunt sacrum ejus corpus, trecentis et amplius annis post mortem integrum et sine omni corruptione ab Hincmaro successore repertum. Aeternis laudibus grati celebrabunt, quod pestem, quae totam depopulata Galliam ipsos Rhemensium fines jam attigerat, postquam sudarium, quo sacrum ejus corpus involvebatur, in solemni supplicatione per urbem devote circumtulerunt, propediem ita fugarint, ut civium neminem ultra corripuerit.

Ita tuos, o Deus, servos non solum in coelis, sed etiam in terris glorificas in saecula conservando colla-

tam ipsis virtutem operandi miracula. Quanta igitur gloria est tibi servire, te colere, adorare, amare! Quantos ad id stimulos nobis addit consideratio praemiorum, quibus liberaliter tuos afficis servos! Admiremur ista et prae stupore exclamemus: *Domine, quis similis tui, magnificans servos tuos in sanctitate*, et propter hanc *faciens mirabilia!* (Exod. 15, 11.)

II. Octobris.

Festum SS. Angelorum Custodum.

Vide medit. Fer. V. post Dom. XVII. post Pentec. pag. 190.

IV. Octobris.

S. Franciscus Seraphicus.

PUNCTUM I.

Fuit labantis Ecclesiae fulcrum. Quod Deus Franciscum ad fulciendam labantem Christi Ecclesiam destinaverit, non ipsi solum divinitus revelatum, sed et Innocentio III. Hic Pontifex, nolens ordines religiosos multiplicare, initio Franciscum cum novi ordinis idea rejecit. At mysteriis pleno doctus somnio, hunc ipsum a Deo electum esse, ut nutantem sustentaret Ecclesiam, postridie conquisitum accersiri jubet, et amplissimam novum ordinem orbi christiano tam utilem instituendi potestatem ei concedit. Vir Dei ut firma tanti operis fundamenta jaceret, adeo non argentum et aurum, quae sunt fundamenta statuum temporalium, corrasit, ut potius extremam paupertatem elegerit ceu solidum regni coelestis fundamentum. Coram Assisinate Episcopo jam prius bonis paternis et omni haereditate solemniter cessit, contentus, abjecta temporalium spe majorem sibi posthac facultatem esse dicendi: *Pater noster, qui es in coelis*, et in isto spem totam collocandi. Praeterea suae sibi conscius infirmitatis ac impotentiae ad rem tanti moliminis perficiendam, clare agnovit necessitatem vires et gratias postulandi ab Omnipotente. Id commodius et liberius ut posset peragere, in densum nemus

se abdit, diu noctuque orationi vacat, solius Dei colloquiis fruitur, jejunia precibus nectit, enixe Deum obtestans, ut vel executionem sui de fundando ordine propositi demandaret alteri, vel sibi prodigiosas ad exequendum vires suppeditaret. Deus, qui infirma mundi eligit, ut confundat fortia, humilis Francisci exaudiit preces: qui virtute ex alto se indutum advertens, ex eremo prodit, et nullo nisi providentiae divinae praesidio nixus in novi ordinis institutionem totus incumbit.

Discamus a S. Francisco, nil magni pro gloria divina a nobis praestari posse, nisi terrena omnia, et praecipue nosmetipsos prius abnegemus, nec per alios, quam humiles, eximia Dei opera confici. Discamus insuper, quod Deus solum *in solitudine loquatur ad cor hominis*, nec unquam gratias, ad implendam voluntatem divinam necessarias, deneget precibus, quas jejunium comitatur roboratque.

PUNCTUM II.

Quibus mediis? Spirituale aedificium Ecclesiae, a Christo Jesu exstructum, super firmam petram fundatum, quod proin nunquam poterat everti, graviter tamen concussum fuit a triplici morum licentia, tunc temporis dominante: nimirum *a concupiscentia carnis*, *a concupiscentia oculorum*, *et a superbia vitae*. (I. Joan. 2, 16.) Igitur opus erat viro, qui sua fortitudine contra istos tres hostes impugnatam defenderet Ecclesiam, et vacillantes tres columnas, quibus sanctitas Ecclesiae nititur, consolidaret: scilicet *paupertatem*, seu bonorum temporalium abnegationem: *humilitatem*, seu fugam honorum: et *mortificationem*, seu vitae austeritatem, directe oppositam vitae molli et voluptatum amanti, quae plurimam hominum partem corrumpit. Tres istas virtutes, quibus tamquam fundamentis stat Ecclesia, universali omnium contemptu prope collapsas Franciscus erexit, et pristino vigori restituit. Earum igitur vexillum in altum extulit eo successu, ut innumera sit filiorum vis, qui ejus exemplo omnibus se rebus exuunt, in omnibus humiliant et carnem summo austeritatum rigore crucifigunt. Nemo hominum Francisco fuit unquam pauperior, nemo humilior, nemo mortificatus magis. Pau-

pertatem consueverat suam appellitare *reginam:* cum S. Paulo se maximum reputabat *peccatorem.* Eadem, quae Pauli, tessera Francisci erat: *mihi absit gloriari, nisi in cruce D. N. Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.*

Has virtutes publico earum exercitio Franciscus a tenebris et oblivione, qua sepultae sordebant, vindicavit, innumeris fidelibus persuasit, sanctitatem religionis denuo resuscitavit, atque adeo labantem Ecclesiam sustentavit.

Per Dei et baptismatis gratiam sum filius Ecclesiae. Fac, Domine, ut vita et moribus me genuinum ejus filium probem. Destrue in corde meo omnem inordinatum amorem bonorum temporalium, honorum ac voluptatum, quibus tanto furore inhiant saeculares.

Cor mundum in me crea, Domine: cor, quod aversetur, quidquid mundus amat: amet autem exemplo S. Francisci tres illas virtutes, quas tanta vesania mundus odit.

PUNCTUM III.

Quo fructu? Christus Jesus, qui liberaliter omnia remuneratur obsequia et cujus virtutes, et perfectionem evangelicam Franciscus pristino restituit vigori, triplicem illum laborem Francisci non solum post mortem, sed etiam in vita adhuc triplici praemio copiose remuneratus est. 1. Quia omnibus terrae bonis ultro et solemniter se abdicavit, Deus ipsum bonis coelestibus, gratiis, et universali in omnes creaturas potestate locupletavit. 2. Quia ex humilitate noluit sacerdos initiari, seque tanto honore indignum existimavit, utpote qui eum Jesu Christo, summo novae legis sacerdoti, assimilasset, loco hujus honoris sacra Jesu Christi stigmata recepit, similis Christo crucifixo victima stupendo factus prodigio. 3. Quia per crucis amorem et spontaneas corporis afflictationes viva Jesu crucifixi imago effectus, amaritudinem calicis et passionis dominicae oppido gustavit, diu noctuque inter orandum voluptatibus divinis ita totus colliquescebat, ut illis comparatae omnes mundi deliciae merissimum ei sint visae absynthium.

Quis hominum similia non optat praemia? at quis virtutes, quibus illa promeruit Franciscus, exercet?

Horremus paupertatem, quam ille ut matrem et reginam summe adamabat. Fugimus humiliationes, quas ille ambobus brachiis amplexabatur. Cruces aversamur, quas extreme deperibat. Corrige, o mi Jesu, inclinationes nostras plane corruptas: fac, ut amemus, quae tu amasti, tuusque fidelis servus Franciscus, ut te imitaretur, ipso opere exercuit. Non petimus favores et gratias, quibus eum remunerasti. Totum, quod cupimus, praemium pro debili conatu repugnantem vincendi naturam sit adeo perfecta ejus domatio, ut sola posthac sit gloria nostra contemni et pati pro te.

VI. Octobris.

S. Bruno, fundator Carthusianorum.

PUNCTUM I.

E mundo abit in solitudinem. Nihil in mundo deerat Brunoni, quominus vitae commodis et honoribus posset frui. Natus est parentibus genere claris, e familia oriundus opulenta, praedivite Rhemensis Ecclesiae canonicatu praeditus. His omnibus, inquam, commodis frui licebat Brunoni, quin ulla ratione laederet conscientiam. Nihilominus divinae paruit vocationi, quae ipsum e mundo in solitudinem evocabat, ut in umbra et tenebris fieret splendidissima Ecclesiae *stella.* At quorsum e mundo discedet? in horridam eremum, in montem fere perpetuis nivibus rigescentem, densis nemoribus et praeruptis undique scopulis asperum. Aggerem diceres, quo nullus mundo accessus pateat. Ibi ab omni humana societate remotus, solis victitans herbis, quas hispida eremus offerebat insipidas, angelicam inter feras ducebat vitam, soli Deo vacans, qui ipsi erat omnia in omnibus. Aliquot post annis, nil tale suspicatus, ab Urbano II. summo Pontifice, suo olim discipulo, Romam evocatur, Rhegiensis archiepiscopatus mitra condecorandus. Renuit constanter vir humilis, et pontificem, ut datam approbaret repulsam, permovet libere dicendo, se ad ejus imperia ac nutum venisse Romam, ut sua, si aptus judicaretur, obsequia Pontifici et Ecclesiae deferret, non ut honores referret: postquam ergo suae

satisfecisset obedientiae, jam nihil esse super, quam ut in suam, quo Deus vocasset, eremum remearet. Neque refragari Pontifex potuit dimissionem urgenti, sed vel invitus repetendae solitudinis, qua unice delectabatur, facultatem Brunoni concessit.

Felix, qui mundi vanitatem, et in eo pericula et scopulos innocentiae, gratiae, salutis agnoscit! At multo felicior, qui exemplo S. Brunonis eos devitat re ipsa! Non equidem necessarium est, neque conveniens, ut omnes cum Brunone inaccessas rupes montesque non habitabiles incolant. Dantur solitudines magis tolerabiles, a quibus colendis nec mundus est immunis. Neque omnibus concessum est penitus mundum relinquere; indigent agri operariis, vineae cultoribus, commercia opificibus, urbes magistratibus: singula horum officia jubent vivere in mundo; at omnium inevitabilis obligatio est cor et affectum ei non affigere.

Istud quidem nobis grave accidit, Domine: at tuae nil impossibile, nil arduum est gratiae. Hanc tot postulantibus largire: adde auxilia ad id necessaria, ut et laqueos, quibus undique cinguntur, et luem contagiosam, quae ubivis grassatur, possint evitare.

PUNCTUM II.

Quibus emolumentis? Fructus, quem S. Bruno ex solitudine sua et mundi fuga collegit, illis Scripturae verbis exprimitur: *Sterilis peperit plurimos.* (I. Reg. 2, 5.) Zelus Brunonis, quia eremi angustiis circumscriptus, ad propriam solum sanctificationem extendi videbatur, et solitudo ejus necessario sterilis esse: at innumeros spirituales filios genuit fundando ordinem, cujus totidem sunt sancti eremicolae et sacrae solitudines, quot sunt religiosi et domus. Maximopere stupendum est, terrenos hosce angelos coelestesque homines diu noctuque decantandis Dei laudibus intentos videre.

Admiremur eorum jejunia, perenne silentium, perpetua cilicia, jugem etiam gravissimis in morbis abstinentiam a carnibus, et prorsus inusitatam vivendi rationem, quam sanctus iste ordo jam per sexcentos et amplius annos servat constantissime. Verum enimvero non sistamus in sola admiratione, sed ulterius progre-

diamur: consideremus, et erubescamus, quod nos ab isto vitae genere immensum distemus: facta cum Carthusianis comparatione dicamus ad nos ipsos: Tune, anima mea, alium quam illi Deum habes, cui servias? Coelum aliud, quod speres? alium, quem timeas, infernum? Unde ergo tanta tuam inter et illorum vitam distantia? Ah! noli culpam rejicere in debilitatem naturae, ipsis aeque, ac nobis communem: ex eodem terrae limo sumus formati. In hoc uno distamus: illi sunt pleni fide, animi fortitudine, Dei amore, nos autem ignavia, tepore, aeternarum ignorantia veritatum. Humiliare igitur, anima mea, coram Deo tuo et, quantum potes per humilitatem compensa defectum aliarum virtutum: et ita Deum certo ad misericordiam commovebis, ut tibi gratiam largiatur novum induendi hominem.

PUNCTUM III.

Bona et utilitates solitudinis. Postquam sublimem S. Brunonis et fundati ab eo ordinis sanctitatem perpendimus, videamus modo, qua via, quibus mediis ad eam pertigerint: et deprehendimus, id factum *solitudine* ac *silentio;* concludamus pariter, nobis etiam utrumque necessarium esse, si animus est ad sanctitatem pervenire. Et sane per illa duo 1. removemur ab occasionibus peccandi, quas vix ac ne vix quidem evitabimus, immodicis saeculi negotiis ac tumultibus impliciti. 2. Immunes reddimur a communi, quae saeculares involvit, peccatorum contagione: e contrario animae puritatem conservamus, quia sensus nostros in solitudine custodimus ab omni eo, quod animam posset corrumpere. 3. Mentis evagationes facillime evitamus aut eam mox colligimus: quae animi collectio ad vitam spiritualem summe necessaria est. 4. Certius unimur Deo, familiarius ejus consuetudine fruimur, promptius cum eo loquimur et loquentem audimus; nam, ut ait S. Bernardus, *haec vox non sonat in foro, non auditur in publico.*

Verum ne solitudinis nomen te terreat. Non est hic sermo de solitudine, qualem S. Bruno adhibuit. Solitudo, ad quam invitamur, non est tam ardua, ac fingimus. Illam David in mediis regni negotiis amplexus est, dum ait: *Ecce elongavi fugiens, et mansi in soli-*

tudine (Psal. 54, 8.): h. e., inquit S. Vincentius Ferrerius, *mansit in solitudine camerae et palatii, elongatus a negotiis imperii.* Quid te prohibet idem facere, quibuscunque sis distentus negotiis! tene plura aut gravioris momenti negotia, quam Davidem praepediunt?

Ah! non plura, sed unicum mihi, ut Davidi, negotium omni studio curare incumbit, Domine, gravissimum salutis meae negotium, cui feliciter conficiendo praecipuam sollicitudinem et tempus opportunissimum teneor consecrare. Frustra sum, Domine, si titulum quaerere velim, qui me eximat ab obligatione saluti meae saltem per horam quotidie serio vacandi: id possum, id debeo, id faciam tua juvante gratia: neque tu eam negabis, ut ex tam sancta et necessaria praxi fructum capiam.

X. Octobris.

S. Franciscus Borgia Soc. Jesu.

PUNCTUM I.

Renuntiat mundo. Franciscus Borgia, illustrissimo stemmate oriundus, potentissimos Europae principes sanguine contingebat. Pares nobilitati dotes animi corporisque natura addit. Fortuna opes, et quidquid grandium possidet bonorum. Gratias et favores plena manu adjecit imperator. Eccelluit summis, quae administravit, imperii muneribus, dux Gandiae, pro-rex Cataloniae, supremus aulae imperatricis magister: verbo, Caroli V. amor et ocellus. Hae omnes praerogativae naturaliter Borgiam in mundo retinere debebant: neutiquum retinuerunt. Adhuc adolescens in mundo degebat, quin mundum, ejus vitia aut leges sequeretur. Imo verus jam a puero Christianus non solum a saeculi contagione se immunem servavit, verum etiam omnibus pietatis ac mortificationis operibus, raris utique in mundo virtutibus, se totum dedidit. Et hic est primus Borgiae, mundo renuntiantis, gradus, quem Christiani omnes, summi ac infimi possunt debentque conscendere vi obligationis, in baptismo contractae per illud: *Abrenuntio pompis* et illecebris saeculi. Num autem tantae obligationi, sine qua spes salutis non est, fatisfacimus?

Altius, et ad secundum perfectae renuntiationis gradum ascendit Borgia, actu nuntium remittens mundo, ad id permotus aspectu deformis et foetidi imperatricis Isabellae vultus, quae nuper omnibus fuerat miraculum pulchritudinis; ubi enim reserata ejus sandapila tam horrificam conspexit mutationem, tantus eum horror rerumque caducarum simul fastidium invasit, ut voto se obstrinxerit, omnibus mundi rebus, cum primum per conjugem liceret, abjectis, soli regum regi posthac inserviendi. *Sat, o Deus*, exclamabat: *Sat mortali datum principi: nunc te immortalem sequar:* hoc autem perfecte non potero exequi, nisi religiosa sequar castra, ubi ab omnibus mundi curis liber, totus possim esse tuus. Et ad hunc tertium perfectae renuntiationis suae gradum paucis post annis Borgia pervenit.

PUNCTUM III.

Renuntiat sibi. S. Borgia adhuc saecularis omnes veri religiosi partes in aula imperatoris explevit et quidem in gradu perfectissimo. 1. Renuntiavit *carni*, tantis eam afflictationibus discruciando, ut modum et limites excessisse videantur. Asperrimo corpus sepiebat cilicio, praecipue quando cum principibus aulae feminis erat agendum. Cruenta flagellorum verbera ad octingentas non raro plagas ascendebant. Perpetuo fere jejunio vitam, duplicem vero Quadragesimam solo pane, aqua et pisis sustentabat. Atque hunc vivendi morem reliquo fere anno pro-rex Cataloniae retinuit, licet mensa ejus magnifice semper fuerit instructa. 2. Qua religiosus putabat se obligari, ut novos adjiceret rigores et corporis afflictationes, quae plane exorbitassent, nisi eas obedientia intra limites continuisset! Heu! quanto hoc exemplum dedecori nobis est, qui nostram delicate curamus cuticulam et carni blandimur, quam tantae majestatis et vitae integerrimae princeps summo rigore et inclementia tractavit!

3. Renuntiavit *affectui erga sanguinem* et propinquos, licet natura tenerrimum erga eos amorem ei indiderit: hunc cum illa penitus exuisse videbatur, et oblitus suorum, postquam semel ipsis et mundo nuntium remisit. Audita filiae sibi carissimae morte coeptis prius negotiis, ne levissima quidem data doloris significatione tranquillus

institit; quibus finitis, *Dominus*, inquiebat, *commodaverat mihi; recepit.* De re summi momenti cum admirali Arragoniae terventer litigabant duo Borgiae filii: illius causam Carolo V. impense commendavit, horum vero dissimulavit. Idem in tribunali pontificio in causa simili fecit, rei novitate attonito, et cum imperatore prodigium perfectissimae renuntiationis celebrante Papa.

4. Renuntiavit *cupiditati honoris* et gloriae, imo, utrumque contempsit gloriosissime, nil ferens aegrius, quam sermones de negotiis et honoribus, queis olim in mundo enituit. Horum memoriam, si potuisset, ut penitus extingueret, nomen *peccatoris* sibi proprium fecit, omnes epistolas his verbis subscribens: *Franciscus peccator.* Feria V. in coena Domini Christum ad lavandos Judae pedes abjectum in meditatione conspiciens, heu me, exclamabat: hic locus mihi debebatur; jam non alius praeter infernus mihi restat. Ita sincere vir Dei sentiebat de se, utque totus idem sentiret mundus, peroptabat.

Ita Sanctus, et magnus quidem Sanctus. Et nos, o Deus, peccatores, et maximi peccatores adeo non pro merito nos ipsos vilipendimus, aut ab aliis vilipendi nos patimur, ut vanam quoque nostri existimationem semper in corde foveamus, et vel levissimi contemptus impatientes, ab omnibus adorari cupiamus. Ah, sana, Domine, intolerabilem hanc superbiam, quae nos penitus excaecat: aperi mentis oculos, ut nostras agnoscamus miserias, et vel inviti tandem humiliemur.

PUNCTUM III.

Soli adhaeret Deo. Qui mundo, propinquis, sibique perfecte renuntiavit, cui alteri adhaereat, quam Deo? Ad tam excelsum felicitatis et perfectionis gradum S. Borgia pervenit. 1. Nihil amplius intimam Deum inter et Franciscum unionem poterat impedire. In ipsis adeo negotiis Deo semper conjunctissimus, hunc solum in omnibus semper quaesivit, solum in animo et ore semper habuit, ita quidem, ut tota ejus vita videretur perennis oratio. 2. Praeter tempus praescriptum certas orationi dabat horas, eam a medio noctis ad quintam usque horam solitus producere, in censum non veniente tempore, quod omne a

negotiis vacuum consecrabat orationi, et quidem plerumque coram venerabili Sacramento, cui erat longe addictissimus. 3. Probe gnarus ad digne recipiendum in Eucharistia auctorem puritatis necessariam esse cordis munditiem, nec minimum conscientiae naevum tolerabat; hinc iteratis examinibus et quotidiana exomologesi eam continuo repurgabat. 4. Nec minori in pretio sanctam habuit obedientiam, certus, expleri a se voluntatem Dei, si exequatur voluntatem superiorum, quos Dei loco habebat. Hinc litteras S. Ignatii non legebat, nisi genu flexo, et singulas ejus voces ut Dei imperia excipiebat. Quocunque ab illo ad procurandam Dei gloriam et animarum salutem mittebatur, ocius volabat; aeque enim ejusdem zelus et obedientia, quam Dei et proximi amor, quo ardebat, invicem separari non poterant.

Quando autem nos tantum imitabimur Sanctum, o Deus? Si sanctitatem adeo sublimem non valeamus assequi, saltem ad consequendum aliquem ejus gradum sincere aspiremus: utque Deo certum seriae hujus voluntatis pignus demus, jam nunc incipiamus ante omnia nos ipsos exinanire: et statim divinis replebimur gratiis, pro quarum ratione magis vel minus idonei reddemur ad S. Franciscum Borgiam imitandum.

XV. Octobris.

Sancta Theresia Virgo. De vulnere, quod Seraphim cordi Theresiae inflixit.

PUNCTUM I.

Dispositiones Theresiae ad hoc vulnus. Imo Deus ipse illam ad prodigiosum hoc vulnus disposuit. 1. Ei dando cor tenerum ac magnanimum, ad imbibendum Dei amorem prorsus capax et cereum, cor idoneum ad aggredienda quaevis et toleranda pro honore Dei. 2. Eam vocando ad statum religiosum, ubi a saeculi corruptione immunis cor suum facillime praeservavit ab omni labe, quae poterat tanto favore, quem Deus destinaverat, eam indignam reddere. 3. Ei singularem inspirando amorem orationis, quam cum propheta regio jure dixeris *focum*

amoris divini: *In meditatione mea exardescet ignis.* (Psal. 38, 4.)

Sed et Theresia, quantum in ipsa erat, ad gratiam adeo singularem sese praeparabat, licet ignara illam sibi aliquando esse obventuram. 1. Vix egressa infantiam, mare trajicere et in Africam transmeare decrevit, barbaris hisce terris Christum datura aut sanguinem. Et vero coeptum perfecisset iter, nisi e fuga a patruo fuisset retracta. 2. Ipsamet sensim omnem creaturarum amorem exuit, utpote qui stare non potest cum amore Creatoris, qui solus totum Theresiae cor sibi vindicabat. 3. Licet natura religiosis vehementer repugnaret votis, et cor Theresiae, ne tam arctis votorum vinculis constringeretur, fortiter obluctaretur, illa tamen generoso edidit animo, rata, catenas esse, quibus in perpetuum Deo adstringeretur.

Non soles, o Deus, extraordinariis nos favoribus destinare, nec ad illos disponere; praeterquam enim quod illis indigni simus, nobis forsan minus utiles, aut omnino forent occasio intumescendi potius, quam Deum humili corde amandi. Sufficit nobis scire, omnia, ad quae nos ordinas, ad nostram cedere utilitatem: sin minus? exigua dispositione nostra impediri. Si primae fideles gratiae ad majores gratias nos ipsos disponamus, ad aequalem cum Theresia sanctitatis gradum nos evehes.

PUNCTUM II.

Effectus illius vulneris in corde Theresiae. Fuerunt meri effectus amoris divini. 1. Seraphinus quidam, h. e. totus amore Dei ardens spiritus cor Theresiae ignito transverberavit jaculo, dum interea Christus illud interne ardentissimo sui amore inflammavit. 2. Data quoque dextera intimo unionis perfectissimae vinculo illam sibi conjunxit, dicens: *Tamquam sponsa deinceps meum zelabis honorem.* 3. Verum sponsa erat Christo confixa cruci per morbos, dolores, persecutiones, ariditates et privationem omnis solatii sensibilis. Ita sponsus per duodeviginti annos suam durissime exercuit sponsam, ut cum eodem vere potuerit ingemiscere: *Deus meus! Deus meus! ut quid dereliquisti me?* (Matth. 27, 46.) Postea ad tam sublimem orationis et altissimae contemplationis

gradum eam evexit, ut sub illa prodigiosam vulnerati cordis Theresiae, et transfossi cordis Jesu conjunctionem effecerit. 4. Denique Deo inspirante emisit et eo juvante arduum servavit votum semper faciendi, quidquid perfectius esse intelligeret.

Obstupesce, anima mea, quousque progrediatur amor Dei erga hominem, qui totum se Deo donat, nihil ei denegat, nullumque divinis gratiis ponit obstaculum. Nisi S. Theresia cor suum ab omni creaturarum amore evacuasset, Creator suo illud amore nunquam replevisset: et nisi fideliter vocanti se ad summam perfectionem Deo respondisset, non jam inter Seraphinos in coelo, sed diabolos inter arderet in Orco: id quod Christus ei expresse revelavit, ut nos doceret, quanti sit momenti primis fideliter cooperari gratiis, iis praesertim, quae ad extraordinariam sanctitatem incitant.

PUNCTUM III.

Dolor et voluptas magnitudini vulneris respondentes. Sua amori divino acerbitas, sua et suavitas inest. Si acerbum infligit vulnus, e vulnere unctionem elicit, quae dolorem lenit, imo convertit in dulcedinem. Tale fuit in Theresia vulnus cordis, ex quo simul profluxere et summi dolores, et suavissimae consolationes. Post acceptum vulnus tota ejus vita crucibus fuit consita, verum adeo dulcibus, ut sine illis nec voluerit, nec potuerit vivere; hinc illa ad dilectum suspiria: *Domine, aut pati, aut mori!* Ut ergo insatiabilem patiendi sitim sponsae expleret sponsus sanguinum, et mille occasiones obtulit, inspirando desiderium ordinem Carmelitarum reformandi: at permisit simul tot tantaque opponi obstacula, quae frangendo cujusque viri animo paria essent. Antequam refloresceret Carmelus, virgini campus erat spinis consitus. Ex omni parte oppositiones, murmura, contradictiones, scommata ipsam circumvolitabant. Ventum ad minas, a minis ad carcerem et vincula, in quibus tantum abest, ut affligeretur, aut animum de exequendo Dei opere abjiceret, ut etiam gaudiis in omni tribulatione exilierit, minime dubitans de coepti operis successu, quem Christus oranti promiserat. Tempore orationis illam perfundebat deliciis. honorabat blanditiis, sua recreabat praesentia et pulchri-

tudine adeo divina, ut omnis hominum et rerum creatarum venustas ipsi deformitas ac turpitudo posthac sit visa. Tunc in corde virginis adeo vehementem amoris ignem Christus excitavit, ut ultra ferendo impar, feliciter succubuerit, ex eodem mortua amore, qui vitam dedit.

Quantum, Deus bone, discrimen est inter cor amore creaturarum et cor amore Creatoris vulneratum! Quam diversos vulnera utriusque amoris producunt effectus! Vulnera amoris profani sunt origo et fontes taediorum, inquietudinum, terrenarum cogitationum, inordinatarum affectionum, imo vitiorum sane turpissimorum. At vero e vulneribus, quae sanctus amor tuus, Domine, cordi infligit, tamquam e purissimis fontibus promanant alta quies et pax animae, sanctae cogitationes, coelestia desideria et virtutes prorsus eximiae. Sana, amantissime archiater, vulnera animae meae a mundo inflicta. Ut sanentur, unica dumtaxat pretiosissimi sanguinis tui guttula opus est. Vicissim igneo divini amoris tui jaculo novum, quaeso cordi meo vulnus inflige, at vulnus immortale ac perpetuum. Fac, ut imposterum te solum amem, te solum desiderem, tibi vivam soli. Quod si cum Theresia non gaudeam singulari privilegio prae vehementia tui amoris occumbendi, da mihi saltem inaestimabilem gratiam in tui amore et actibus amoris cum illa moriendi.

XVIII. Octobris.

S. Lucas Evangelista.

PUNCTUM I.

B. Virginis Mariae discipulus. Antequam S. Lucas Christianis et Evangelii ministris fuerit annumeratus, multis naturae dotibus jam ornaverat eum Deus prae aliis. Ad generis nobilitatem opumque paternarum abundantiam accedebat scientia linguarum Graecae, Latinae, Hebraicae et Aegyptiae, nec non ars pingendi et medicinas adhibendi. Quid autem hae omnes profuissent scientiae, si Christum ignorasset, quem *nosse consummata justitia est, et radix immortalitatis?* (Sap. 15, 3.) Hac eum scientia et Christi cognitione imbuit Paulus Apostolus, baptizatumque in Mariae disciplinam tradidit, mysteriis fidei instruendum.

Felix discipulus, quia animam sortitus erat bonam, in schola coelestis hujus magistrae brevi ita profecit, ut ex discipulo factus magister ipse alios doceret Evangelium.

Beatum sane discipulum tam bonae, tam sapientis magistrae! Vere *beatus, quem tu erudieris*, o Maria! Quid, obsecro, poterit ignorare discipulus magistrae, quae aeternam Dei sapientiam suo gestavit utero? Quam non addiscet virtutem ab illa, quae omnes eminentissimo in gradu possedit virtutes, docuitque exemplis potius quam verbis? Me quoque, o coelestis magistra, in tuum recipe discipulum. Tu meas illuminabis tenebras, dissipabis ignorantiam, infundes *cognitionem et amorem* Filii tui Jesu Christi. Duas hasce doctrinas si rite comprehendam, abunde doctus ero, quia omnes scientias complectuntur.

PUNCTUM II.

S. Pauli adjutor et socius. Tam sanctis Mariae doctrinis imbutum et ad vitam apostolicam insigniter dispositum Lucam S. Paulus in comitem peregrinationum et laborum elegit, ille vero fideliter sequendo et labores generose subeundo tanta se electione dignum luculenter ostendit. Cum S. Paulo igitur Macedoniam, Graeciam, Lybiam, Aegyptum percurrit, ejusdem exemplo sementem evangelicam ubique disseminans, fructu zelo et labori respondente. Quae a Deo acceperat *naturae et gratiae* dona, in salutem animarum impendit, usus suavitate indolis suae ad cicurandos et subjugandos Christo barbaros, arte vero pingendi ad exprimendas vivis coloribus imagines Christi et Deiparae. Et vero tam amabiles arte singulari depinxit, ut, quorum effigiem proponebat oculis, eorum amorem insereret cordibus et animis. Nec ars medendi fuit inutilis; successus enim medicinae corporalis ei medium fuit spiritualem animae sanitatem pluribus conferendi, et *sic de medico corporum versus est in medicum animarum, ut omnia ejus verba languentis animae essent medicamenta.* (S. Hieron.)

Pari modo et nos concessa a Deo naturae et gratiae dona deberemus impendere ad Dei gloriam et spiritualem proximi utilitatem: sic nullum foret periculum incurrendi objurgationem et supplicium servi inutilis, qui concreditum sibi talentum Domini abscondit in terra. Quod si vero

per summum scelus donis Dei abuteremur, ut alios seducamus et a divino avertamus servitio, quae non mereremur supplicia?

Ah! extingue potius, Domine, quidquid in me est luminis et doctrinae: dele, quidquid cognitionum inhaeret memoriae: aufer prius, quidquid donorum a te accepi, quam ut iis male utar cum detrimento tuae gloriae et salutis alienae.

PUNCTUM III.

Jesu Christi Evangelista et historicus. S. Lucas non contentus Evangelium Christi praedicasse in vita, adhuc *post mortem praedicat*, ait S. Chrysostomus de S. Paulo, et ego cum veritate de S. Luca. Id praestandi medium invenit opportunum. Conscripsit Evangelium, quod acta vitae, passionis ac mortis Jesu Christi in perenni fidelium memoria conservabit. Praecipue solus fuse et distincte explicuit infantiam Jesu Christi, solus nativitatem ejus in stabulo, solus mirabile ejus coram Herode silentium, verba dulcissima ad latronem in cruce a Christo prolata, item plenas solatiis et documentis parabolas *de filio prodigo*, ad suavissimos patris amplexus post poenitentiam admisso; *de malo oeconomo*, de diversissima sorte *divitis epulonis* in inferno sepulti et *pauperis Lazari* in sinum Abrahae per angelos deportati. Porro quae nobis in Evangelio suo reliquit, teste S. Hieronymo hausit a b. Virgine, ab Apostolis, praecipue a S. Paulo. *Acta* vero *Apostolorum*, quae singulariter ad S. Paulum pertinent, *sicut ipse viderat*, *composuit.* Denique spiritu et doctrina Evangelii plenus, cum *crucis mortificationem jugiter in suo corpore pro divini nominis honore portasset*, in honorem Jesu Christi vitam in cruce martyrio clausit annos natus octoginta quatuor.

Haec utique longa et diuturna est vita: ut vero omnes longae vitae dies rite transigas, illos oportet cum S. Luca impendere ad gloriam Jesu Christi et utilitatem Ecclesiae, quae nunquam non S. Lucae attribuit elogium *fratris*, *cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias.* (II. Cor. 8, 18.) Longa et diuturna apud Deum vita est, non quae annorum numero, sed quae multitudine bonorum operum computatur.

XXVIII. Octobris.

SS. Simon et Judas Apostoli.

PUNCTUM I.

Fructus laborum utriusque. Sapientissime Ecclesia festam utriusque Apostoli lucem una solemnitate celebrat, quia idem fuit utriusque *labor et fructus*. Simon Aegyptum, Judas Mesopotamiam, uterque simul vastissimam Persidem evangelica praedicatione excoluerunt fructu uberrimo; innumeros enim filios Christo Jesu pepererunt. Felix unio horum Christi operariorum, quos idem zelus accendit, eadem caritas inflammavit, idem Jesu Christi amor corroboravit in laboribus exantlandis, in persecutionibus sustinendis, in difficultatibus exhauriendis! Duas merito dixeris prunas, quae mutuis sese caloribus accendebant, ita, ut *aquae multae* tribulationum eas *non potuerint extinguere, nec flumina* tormentorum *obruere*. (Cant. 8, 7.)

Pari unione, o Deus, viros conjunge apostolicos ad lucrum animarum destinatos. Da, ut eodem spiritu et fine perfectoque animorum consensu negotium tanti momenti administrent. Mutuos sibi animos viresque addent: nihil eos morari poterit, nil frangere. Tuum, Domine glorificabunt nomen, et felici praedicationis evangelicae successu Ecclesiam honorabunt.

Evangelici Jesu Christi adjutores, placetne vobis par animorum conjunctio, ad aedificationem ac salutem populorum adeo necessaria? Solum ergo Deum quaerite: cuilibet proprio renuntiate commodo, ut cum Apostolo dicere singuli possitis: *Non quaero, quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant.* (I. Cor. 10, 33.)

PUNCTUM II.

Causae tantorum fructuum. Negari non potest, quod stupenda, quae Simon et Judas patrarunt, miracula magnam illis conciliarint auctoritatem, pondus verbo Dei addiderint, praedicationis fructum promoverint: attamen prodigiosa eorum vivendi ratio, si S. Chrysostomo credimus, his omnibus fuit longe efficacior. Barbari, quibus novam Christi legem praedicabant, inauditis Apostolorum virtutibus attoniti; videlicet 1. generoso pecuniarum et

honorum, quos rex Babylonis utrique liberaliter obtulit, contemptu. 2. Austeritate jejunii, quam in ipsa regis aula assidue observarunt solo pane contenti, licet opiparas eis dapes Rex sua e mensa miserit. 3. Invicta in persecutionibus, quas populus, a popis instigatus, contra Apostolos suscitavit, patientia. 4. Admirabili erga crudeles inimicos caritate, quibus vitam suis precibus et lacrimis impetrarunt: Barbari, inquam, his attoniti expugnatique virtutibus, firmissime sibi persuadebant, non posse non veram esse religionem, quae suis adeo sublimia virtutum opera praescribit. Hac animi persuasione victi, illam ingenti numero amplexi sunt, et ultro cervices jugo Evangelii subjecerunt.

Haec nimirum sunt arma, quibus sancta fides nostra infideles, haereticos et libertinos in omnem vivendi licentiam effusos debellat: vitae, inquam, sanctitas, contemptus mundi, humilitas, patientia et caritas operariorum fidem praedicantium sunt arma, quibus nemo possit resistere. His armis a primis Ecclesiae temporibus Apostoli fundarunt et stabilierunt religionem Christi: iisdem hanc usque in diem stat inconcussa. Quamdiu illis utentur ministri Jesu Christi, tamdiu expellent vitia, convertent sceleratos, sanctificabunt populos.

Tuum est, Domine, haec illis arma suppeditare. Tua res, tuus hic agitur honor; necessarias ad opus tam grande efficiendum virtutes illis impertire: renova preces, quas olim pro horum antecessoribus Apostolis ad Patrem tuum fudisti; dic: *Pater, sanctifica eos in veritate.* (Joan. 17, 17.)

PUNCTUM III.

Praemia laborum. Si unquam, certe in Simone et Juda locum habent verba Davidis: *Nimis honorificati sunt amici tui, Deus.* (Psal. 138, 17.)

Ita est, mi Deus: honores, quibus eos coronasti, non solum meritis respondebant, sed modum omnem excedebant. Honorificasti eos 1. victoriis, quas de paganismo ubique reportarunt, ringente nequicquam Orco. 2. Perfecto in daemones imperio, qui solo Apostolorum adventu conspectuque perterrefacti ex obsessis corporibus

aufugiebant. 3. Admirabili prodigia patrandi potestate. 4. Gloriosa martyrii corona.

Conferamus jam praemia, quibus suos Deus servos remuneratur, praemiis, quae mundus suis pollicetur asseclis: *pollicetur*, inquam, non largitur; decipit enim et promissis non stat. Et posito, quod stet promissis, ah! infelices mundi clientes, qui domino servitis tam malo, quid praemii vestris rependet obsequiis? futiles nimirum honores, inanem gloriolae fumum, fugacium umbram bonorum, quae dantur hodie, forsan cras auferentur, certe nullo in morte usui futura. Quod si vero Creatori omnium juxta finem creationis vestrae serviretis, ne vos Domino omnium fidelissimo, omnium maximo optimoque servientes veram reperiretis gloriam, pacem, omnibus terrae gaudiis praeferendam, bonaque solida, *quae nec aerugo, nec tinea*, aliusve casus *demolitur*, *nec fures*, nec ipsa mors *furantur*. (Matth. 6, 20.)

I. Novembris.

Festum omnium Sanctorum.

PUNCTUM I.

Ante omnia considerare oportet *misericordiam et liberalitatem Dei*, qua Sanctos gratuito et sine ullis meritis ad gloriam elegit, et per vias mirabiles ad eam perduxit. *Quos praedestinavit* (ita totam rei seriem explicat Apostolus) *conformes fieri imaginis Filii sui, hos et vocavit, et quos vocavit, hos et justificavit: quos autem justificavit, illos et glorificavit.* (Rom. 8, 29 30.)

Admirare, anima mea, totum praedestinationis Sanctorum ordinem, ut illis eam gratuleris, et Deum auctorem glorifices; ipse enim per solam bonitatem suam, et per merita unigeniti Filii sui *elegit eos ante constitutionem mundi, ut essent sancti in conspectu ejus.* (Ephes. 1, 4.) Ipse ex utero segregavit eos, *ut ostenderet divitias gloriae suae in vasa misericordiae, quae praeparavit in gloriam.* (Rom. 9, 23.) Vi hujus electionis, licet in medio nationis pravae et in ipsa Dei et coelestium ignorantia fuerint nati, Deus eos singulariter illustravit lumine fidei, sua

sanctificavit gratia, cumulavit donis, velut manu per viam salutis duxit, ac denique felix designavit momentum, quo secure ex his terrae miseriis ad coeli felicitatem transituros praevidit.

O terque quaterque felices animae, quas oculis misericordiae respexit Deus, et ex singulari bonitate praevenit benedictionibus dulcedinis suae! Sis aeternum benedictus, o Deus, ob peculiares gratias, quibus illas prae aliis beasti, nec non ob gratias, quibus me huc usque cumulasti amore tanto aestimabiliore, quanto minus eas merui. Absolve, quaeso, coeptum misericordissime opus gratiae tuae: et quoniam me creasti, ut fiam sanctus, adeo efficacia mihi auxilia largire, ut gradum sanctitatis, ad quam me vocasti, tandem obtineam.

PUNCTUM II.

Considera pariter *fidelitatem Sanctorum*, divinae vocationi sedulo respondentium, quoniam nec latum unguem a via recesserunt, quam Christus illis monstravit verbis: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.* (Matth. 16, 24.) Certe omnes excelluerunt sui abnegatione, amoris proprii mortificatione, et odio carnis suae implacabili. Portarunt quotidie crucem Jesu Christi per patientiam in laboribus, per fidelitatem in tentationibus, per invictam magnanimitatem in conflictibus cum mundo, carne ac diabolo, de quibus sub vexillo Jesu Christi ad mortem usque fideles tam gloriose triumpharunt.

Ad eandem, quo Sancti pervenere, metam contendo: eandemne diligenter inquiro et teneo Sanctorum viam? Num per *regiam crucis viam* incedimus, anima mea? An universe renuntiamus noxiis sensuum illecebris, vitiosis concupiscentiae propensionibus, inordinatis animi desideriis? Quam hactenus patienti animo tulimus crucem? Cui doctrinae Evangelii nostros conformavimus mores? Mortuine sumus peccato, imperfectionibus, nobis, ut soli vivamus Jesu Christo? An vere cum Apostolo possumus dicere, uti cum illo Sancti omnes dixerunt: *Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus?* (Galat. 2, 20.)

Quanto pudore suffundor, Domine Deus, quod sanctae vocationi tuae et amori erga me infinito tam male respon-

deam! Totus exulto teque glorifico aspiciens, quanto fervore suum vitae et perfectionis curriculum sancti fuerint emensi: at meae simul ignaviae ac teporis me pudet, quo viam tua complanatam gratia decurro. Non tamen despondeo animos, sed eadem gratia, quae in semitam justitiae me perduxit, calcaria et alas (ita firmiter spero) addet tardigrado, ut amissum tempus reparem, et gradum perfectionis, quem mihi ab aeterno praefixisti, singulari sedulitate assequar.

PUNCTUM III.

Considera tandem *praemia*, quibus cum in hac, tum in altera vita Sanctos suos remunerari dignatus est Deus juxta promissionem suam: *Quicunque glorificaverit me, glorificabo eum.* (I. Reg. 2, 30.)

Et vero Deus glorificat illos 1. *ante mortem* gloriosis et prodigiosis operibus, per quae saepius hominibus, semper angelis spectaculum fiunt. 2. *In morte* cum glorioso de tota Styge triumpho, tum praevio coelestium deliciarum gustu. 3. *Post mortem* magnificis honoribus, queis eorum festa, imagines, ossa, reliquias *in Ecclesia militante* condecorat; praecipue autem *in Ecclesia triumphante* eos glorificat, ubi non solum super splendidissimas gloriae sedes illos collocat, verum ipse erit *corona gloriae* eorum, *et sertum exultationis.* (Isa. 28, 5.)

Quid, obsecro, cogitas, anima mea? cur non totis viribus conniteris sanctitatem adipisci, quae nobis adeo gloriosam meretur et comparat mercedem? Si honores, gloriam, aliasque affectamus praerogativas, cur virtutes, quae illis nos dignos efficiunt, non exercemus? Ubi, quaeso, homines erit reperire, qui majoribus quam Sancti honoribus resplendeant? Per nosmetipsos stat felici eorum catalogo adscribi. Solum opus est eorum exempla imitari. Et cur non imitemur, cum eaedem gratiae nos adjuvent, et eadem praemia nos alliciant.

Aeterne, et *in Sanctis tuis mirabilis Deus* (Psal. 67, 36.), millies tibi millenas habeo grates, quod tot tantaque in illis operatus sis mirabilia, eosque ad tantum gloriae fastigium evexeris. Quo major eorum erit numerus, eo major tua erit gloria, praesertim si de pulvere, luto et stercore viles, qualem me profiteor, terrae vermiculos

erigas, ut colloces eos cum principibus populi tui. (Psal. 112, 8.) Toties similia, o Deus, jam patrasti miracula: *non abbreviata est manus tua.* (Isa. 59, 1.) Ah! tuae omnipotentis misericordiae specimen praebe, meque ex deside mancipio effice servum fidelem, ut, postquam exemplo Sanctorum tibi in viis justitiae et veritatis assidue servivi in tempore, cum illis beatus te possideam in omni aeternitate.

II. Novembris.

Commemoratio omnium fidelium defunctorum.

Vide medit. Sabb. Hebdom. XXIV. post. Pentec. pag. 290.

IV. Novembris.

S. Carolus Borromaeus.

PUNCTUM I.

Victima Dei. Summus divinae majestati honor per sacrificia exhibetur. Triplex, quod S. Carolus, sacerdos simul et victima, Deo obtulit, sacrificium fuit perfectissimum. Immolavit ei *bona externa*, *corpus et animam.* 1. Immolavit Deo *bona externa.* Post mortem fratris natu majoris obvenerunt Carolo jure haereditario dignitates et bona amplissima opulentae ac illustris familiae. Adeo non illorum possessionem adiit, ut omnibus se ultro abdicarit, sacerdotio statim initiatus multis propinquorum vehementer reluctantibus: atque hac ratione satis perspicue suum animi decretum ipsis aperuit, amore Jesu Christi, quidquid splendoris, dignitatum et divitiarum sperare posset, ipso opere relinquendi. 2. Huic bonorum externorum sacrificio alterum addidit *corporis* sui per inviolatam castitatem, quam servavit integerrime: per incredibiles poenitentiae rigores ad mortem usque adhibitos. Tempestate rigidissima sibi interdixit omni igne et nocturna quiete, nisi quam brevem carpebat nuda in tabula, assere, aut vili storea. Pane victitabat et aqua, solidos non raro dies jejunus in mediis laboribus, et sole ardente horridis setis et cilicio indutus. Has corporis afflictationes in ultima animi collectione, quam in solitu-

dine montis Varalli obiit, eo rigore adauxit, ut febrim calidam contraxerit, quae victimam (Carolum) denique consumpsit. 3. Praecipue *animam* Deo immolavit partim ejus obsequiis et gloriae se totum impendendo, partim magnam diei noctisque partem orationi consecrando. Quin paulo ante obitum coram crucifixi imagine prostratus, octo continenter horas in oratione perstitit immotus. Talis erat vita, aut verius mors continua sancti Cardinalis nostri. Victima haec aliud non cupiebat, quam Deo immolari, et sancta erga corpus suum crudelitate, qua fas erat, mortem accelerare.

Sola haec nomina et voces *victima*, *immolatio*, *sacrificium* terrorem vobis incutiunt, delicatuli Christiani: interim solam exprimunt obligationem, a qua nemo Christianum nomen profitentium se potest eximere. S. Paulus non reformidabat novos perterrefacere Christianos, quando illis baptismi obligationes explicavit: eos scilicet obligari, ut cor ab amore temporalium avellant: carnem crucifigant: et sine intermissione orationibus insistant. Non praecepit quidem, non imposuit obligationem opere ipso sese Deo in victimam offerendi, ut re vera fecit S. Carolus: id tamen suo modo ut faciant, impense rogans, *obsecro vos*, inquit, *fratres*, *per misericordiam Dei*, *ut exhibeatis* saltem per mortificationem *corpora vestra hostiam viventem*, *Deo placentem*. (Rom. 12, 1.) Et hoc sedulo exequebantur ferventes nascentis Ecclesiae Christiani. Cur ergo nos ab obligatione tam certa et legitima immunes cupimus esse? Numquid nostrorum ignavia temporum contra illam praescripsit? Imo negari non potest, o Deus, quod suo in vigore et rigore stet firma, et efficax illam observandi propositum spem nobis facit, fore, ut a bonitate tua necessarias ad observandum gratias obtineamus.

PUNCTUM II.

Pater pauperum. Caritatem erga pauperes S. Carolus quasi haereditariam habuit a patre suo, qui nihil unquam cibi gustabat, nisi eleemosyna prius egenos pavisset, et prodige quidem. Carolus paternis penitus institit vestigiis. Vix duodecim natus annos, suis ipse manibus

ecclesiastici beneficii, quo jam tunc fulgebat, reditus in pauperes erogavit. Crevit cum annis liberalitas. Uritano enim principatu, qui haereditate ei obvenerat, quadraginta aureorum millibus vendito, totam una die hanc summam egenis divisit, uti et viginti millia sibi pie legata. In summa sterilitate tria ipse pauperum millia enutrivit, aut verius a morte vindicavit. Stupendo tanti viri exemplo permoti e nobilioribus primores, congestis liberaliter eleemosynis, septuaginta millia pauperum sustentarunt et mortis faucibus eripuerunt. Ut peste afflictos juvaret, vasa argentea et omnem fere supellectilem colliquefieri, vendi, et pretium egenis distribui jussit. Praeterea ingens pauperibus nosocomium, virginibus orphanis domum et asylum, nobilibus collegium fundavit et extruxit. Nec unquam passus est, ut, quamdiu habuit, quod daret, ullus mendicorum a se indonatus abiret. Cum aliquando post administrata toto die sacramenta sub vesperum redux domi nihil ad coenam reperisset, omnibus in egenos jam erogatis, longe majorem, quod Christum in suis membris seu pauperibus refecerit, voluptatem ac laetitiam hausit, quam alius opimo refectus convivio.

Quis stupendam magis, vel tantam vidit unquam caritatem? aut quis videat sine tenerrimo animi sensu? Quis legat, quin ad similem erga pauperes misericordiam, ad firmum animi decretum permoveatur saltem superflua elargiendi pauperibus? Quam efficax, mi Deus, est unicum hoc misericordiae exemplum ad emolliendum aut confundendum inhumana crudelium corda, qui turbas pauperum quotidie ante oculos habent, quin cor moveatur ad commiserationem! quam efficax simul ad incutiendum horrorem praecipue tot viris etiam ecclesiasticis, qui pinguibus dotati beneficiis aut ex avaritia negant, aut immoderata opum profusione abliguriunt, quod Ecclesia non alio fine ipsis concedit, quam ut cum pauperibus ex aequo partiantur!

PUNCTUM III.

Exemplar pastorum. Eluxerunt in S. Carolo quam perfectissime omnes boni animarum pastoris dotes ac virtutes, quas Christus, supremus animarum pastor,

requirit. 1. Ovibus suis bono virtutum exemplo praeivit. 2. Oves non solum suis pavit bonis, sed maxime verbo Dei et Eucharistia: nec domum fere recipiebat se, nisi secunda post meridiem, postquam totum interea tempus concionando, sacramenta administrando, hospitalia visitando, omnes consolando insumpsit. 3. Admirabili pollebat gratia et arte commissum sibi gregem, ne morbis animi corriperetur, praeservandi, aut iis correptum ocius remediis salutaribus curandi. In id principem contulit curam et sollicitudinem, ne grassans in vicinis regionibus lues haeretica suos inficeret. Sancta haec vigilantia eum impulit, ut asperos Helvetiae ac Rhaetiae montes trajiceret, et aberrantes domus Israel oviculas quaereret: id quod non minori labore, quam operae pretio perfecit, quam plurimis in ovile Christi reductis. 4. Nunquam tamen heroicam caritatem suam luculentius demonstravit, quam cum pestis in dioecesin ejus crudeliter grassaretur. Primus ipse peste infectos adiit et adjuvit, nullo personarum, aetatis aut conditionis facto discrimine: et quoniam *fortis ut mors dilectio*, ipse omni mortis metu superior diu noctuque pro ovibus suis caput et vitam objiciebat morti. Denique, cum fatale malum longius duraret, ad placandam Dei iram, quae toto pondere incumbebat, solemnem instituit supplicationem, in qua nudis ipse pedibus etiam offendiculo cruentatis, cinere et cilicio opertus, resti e collo suspensa, praegrandi onustus cruce, publicam pro peccatis populi hostiam Deo sese obtulit.

Magne Deus! quid non efficere potest ardens unius hominis caritas et zelus! Quantam Deo gloriam, Ecclesiae aedificationem, bona et utilitatem dioecesi suae parit pastor, S. Carolo similis! Quid ergo mirum, quod sanctissimus hic archiepiscopus Mediolanensium suorum animos perfecte possederit, corruptissimos eorum mores in melius mutaverit, profanam Bacchanaliorum licentiam, quae vim legis contra legem Evangelii obtinuisse videbatur, antiquaverit, pietatem, frequentem sacramentorum usum, religionem, chorum, ecclesiasticam apud sacerdotes disciplinam priori restituerit vigori? atque adeo sit et semper orbi christiano esse debeat absolutissimum

veri ac boni pastoris exemplar? De similibus tuae semper Ecclesiae prospice, o Jesu. Tua est sponsa: prospice. Sic per te suam conservabit pulchritudinem et decorem, teque laudabit et glorificabit in aeternum.

XI. Novembris.

S. Martinus Turonensis.

PUNCTUM I.

Sanctus in militia. Consideremus in S. Martino initia sanctitatis omnesque circumstantias ejus. 1. Prima sanctitatis fundamenta jecit adhuc catechumenus, doctrina fidei ac Evangelii vix bene institutus, miles in exercitu maxime corrupto et plurimam partem gentili. 2. Initium sanctitatis fuit heroicus caritatis actus. Roganti stipem mendicabulo, cum, quod daret, praeter arma et chlamydem, qua operiebatur, non haberet, resectam gladio partem chlamydis, inusitato prorsus eleemosynae genere, ei dedit, se ipsum re necessaria exspolians cum manifesto irrisionis ex dimidiata veste apud universum exercitum incurrendae periculo. 3. At cui tam mirabilem dedit eleemosynam? scilicet Jesu Christo, quem in nuditate pauperis latentem fidei oculis vidit amavitque. Ita sane testari videtur, et gloriari ipsemet Servator; sequenti enim nocte dimidiatam illam vestem indutus Martino apparuit, dicens: *Martinus adhuc catechumenus hac me veste contexit.*

En, quid fecerit homo militaris, inter belli et armorum strepitum educatus, necdum baptismi gratia roboratus, expers instructionum, quibus Ecclesia nos quotidie imbuit! Ille unico pauperis aspectu ad misericordiam commotus est: nos quotidie egenos intuemur immoti, saxo duriores. Dedit ille necessaria: nos denegamus superflua, imo et nobis noxia. Ille irrisiones exercitus generose contempsit: nos, ne forsan irrideamur, mille caritatis opera omittimus, quae religioni nostrae forent honori, Deo gloriae. Itane vero obliti jam sumus horrendi illius fulminis, quod Filius Dei intentans: *Qui me*, ait, *erubuerit* coram hominibus, *hunc Filius hominis erubescet* coram Patre suo? (Luc. 9, 26.)

PUNCTUM II.

Sanctior in episcopatu. Unico opus est actu generoso suique victoria, ut quis in via virtutis eximias Dei gratias mereatur, queis adjutus ad sublimem perfectionis gradum perveniat. S. Martinus paulo post insigne caritatis et misericordiae erga pauperem opus, sacro baptismi fonte ablutus, sine omni mora profano principi ac militiae remisit nuntium, et *regi saeculorum immortali* se totum devovit. A S. Hilario, celebri Pictaviensium episcopo, cui ob vitae sanctitatem summo in amore et pretio erat, sacris ordinibus initiatus, paulo post ad gradum episcopatus ascendit; quam dignitatem uti nonnisi invitus et voluntati divinae obsecundans admisit, ita ingens ex ea accepit gratiarum augmentum, ita, ut omnium sanctissimis Galliarum praesulibus merito annumeretur. *Fides* ejus erat tam viva, ut, quot in aliis actiones ordinarias, fere tot in Martino prodigia videamus: *Spes* adeo firma, ut non clipeo protectus aut galea, sed solo crucis signo munitus, hostium cuneos et vitae pericula intrepidus penetraverit, omnemque daemonum vim ridendo contempserit. *Caritas erga Deum* tam ardens, ut et mortem, qua Deo aeternum jungeretur, avidissime exoptaret: *Oratio* tam continua, ut *invictum ab ea animum non relaxaret. Caritas erga proximum* adeo tenera et propriae utilitatis oblita, ut populo instantem pastoris amantissimi jacturam deplorante, mutato moriendi desiderio ad mentem populi ita Deum oraverit: *Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem.*

Dum tantas admiremur virtutes, attoniti cum Ecclesia exclamemus: *O virum ineffabilem, nec labore victum, nec morte vincendum, qui nec mori timuit, nec vivere recusavit!*

PUNCTUM III.

Sanctissimus in morte. Teste S. Augustino caritas est decempeda sanctitatis. Gradus unius est gradus alterius, et sicut caritas inchoata est sanctitatis initium, ita caritas perfecta est sanctitatis consummatio. Ad istud sanctitatis fastigium pertigit S. Martinus *in morte*, dicam, an triumpho; viso enim Dei et Sanctorum hoste infernali, qui sanctam moribundi tranquillitatem turbaturus venerat,

humilis et generosus Jesu Christi servus divina fretus misericordia: *Quid hic adstas*, ait, *cruenta bestia? nihil in me, funeste, reperies.* Momento citius disparuit confusus satanas, vir Dei autem plenus meritis ac virtutibus sanctissime obdormivit in Domino, inter angelicas laudes et choros in coelum honorificentissime deductus. Quam bene canit Ecclesia: *Martinus pauper et humilis coelum dives ingreditur, hymnis coelestibus honoratur!*

O beatam et gloriosam mortem, sancte invidendam! Ita totus sentit orbis, o Deus. *Moriatur*, clamant omnes, *moriatur anima mea morte justorum!* (Num. 23, 10.) Hoc votum ut sit efficax, prius optandum est: Vivat anima mea vitam justorum! illas exerceat virtutes, quae Sanctis in morte tantas consolationes, tantam animi securitatem pepererunt! Profecto si cum S. Martino Deum amavimus, si fideliter ei servivimus, si ejus jugum ac insignia portavimus, si *pauperes* et humiles fuimus, ne nos satis certa felicis mortis ac aeternae beatitudinis signa et pignora habemus.

XIII. Novembris.

S. Stanislaus Kostka Societatis Jesu.

In illa verba: *Consummatus in brevi explevit tempora multa.* (Sap. 4, 13.)

PUNCTUM I.

Jam in pueritia fuit angelus. A primo rationis usu prima Stanislai cura fuit cognoscere et amare Deum, cui suam in acceptis referebat vitam: primus labor et studium acceptam in sacro baptismo gratiam conservare et augere: primus ei magister fuit S. Spiritus, a quo didicit secundum spiritum vivere, non secundum carnem. Hoc magistro ita profecit fidelis discipulus, ut in gradu prorsus eminente et innocentiam infantis et puritatem angeli possederit, *angelus* propterea a domesticis habitus, et merito appellatus. Eam puritatem spirabat amoenitas et modestia vultus, simulque intuentium cordi amorem puritatis inspirabat. Praecipue moribus angelicam hanc virtutem tam religiose coluit, ut, si quid minus pudice dictum audiisset, subito prae horrore exanimis corrueret.

Atque hoc puritatis studium tantam apud omnis puritatis auctorem benevolentiam Stanislao conciliavit, ut eum per manus *angelicas* divino pane refici, per *angelorum* reginam expressis verbis in societatem Jesu vocari voluerit.

Unde autem gratiae adeo singulares et rarae? fons est amor puritatis. *Qui diligit cordis munditiam, habebit amicum regem* regum. (Prov. 22, 11.) Nemo illam amaverit, quin vicissim ametur a Virgine purissima virginum: et sicut per raram hanc virtutem seu dotem angeli sunt virgines in coelis, ita per eandem virgines sunt angeli in terris.

O sane felices, quos per singularem gratiam in tenella aetate incorruptos servasti, o Deus! Feliciores adhuc, qui proprio Marte, h. e. assiduitate orationis, amore solitudinis, mortificatione sensuum perpetuo integritatem conservant! At eheu! quam pauculi sunt! Horum adauge numerum, o Deus, et a pueris studium orandi, latendi, se mortificandi pluribus infunde; sine hoc enim studio nec adolescentes, nec adultiores, nec senes evadent continua pretiosum puritatis thesaurum amittendi pericula.

PUNCTUM II.

Adhuc in tirocinio jam perfectus religiosus. Etiamnum tiro societatis Jesu ad consummatam emeritorum senum perfectionem giganteis passibus contendit. Tanta facilitate virtutum et perfectionis exercitia obibat, quanta ordinarias naturae actiones. Nullo opus habuit labore seu ad exuendas saeculi inclinationes, a quibus semper abhorruit, seu ad evellendos animi pravos habitus, queis caruit, seu ad reprimendos passionum impetus; praeterquam enim, quod vehementes non fuerint, semper gratiae imperio plene subjectas habuit, adeo, ut nullum virtutis obstaculum e saeculo in religionem secum attulerit, sed impellente Dei spiritu, quo plenus erat, sine ulla repugnantia ad omne genus perfectionis consequendum volarit potius quam contenderit. Initio statim tam sublimem contemplationis atque orationis gradum attigit, ut contra communem aliorum morem necesse non habuerit gradatim eo eniti. Mansuetudinem et humilitatem dixisses ei fuisse congenitas. Obedientia erat ad omnem per-

fectionis apicem tam exacta, ut ipsam Dei visibilis voluntatem ac imperia accuratius vix potuisset adimplere. Voluntariae corporis afflictationes ei dulciores fuere, quam suae saecularibus voluptates ac deliciae. Excessisset in rigore immodico, nisi obedientia, a qua ceu regula nec latum unguem discedebat, modum et limites posuisset. Ut verbo dicam omnia: talis ab ipso religionis tirocinio fuit Stanislaus, quales fieri multorum annorum impendio laborant alii religionis palaestritae.

Tanti refert mature divino se consecrare obsequio, florem aetatis Jesu Christo dedicare, et a puero virtutibus assuescere! Nullus tunc in earum exercitio labor erit per vitam reliquam, sed via sic complanata hi intra paucos dies facient majores virtutum progressus, quam post plures annos faciant, qui juventutem dicarunt mundo.

Ita tuus, Domine, S. Spiritus nos docet, dum ait: *Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua.* (Thren. 3, 27.) Hoc sane medio illud nobis reddimus suave, leve, delectabile, et viam perfectionis expeditam. Nobis vero, qui ista felicitate, pro dolor! excidimus, aliud jam remedium haud superest, quam ut juxta Apostoli tui consilium *redimamus tempus* perditum, atque adeo insuperhabitis omnibus obstaculis et difficultatibus tanto majori fervore ac fidelitate damna resarciamus, quanto majora per nostram infidelitatem ac inertiam fuerunt. In id serio incumbemus: id tua, quam speramus, adjuti gratia feliciter perficiemus.

PUNCTUM III.

In adolescentia moritur ceu vir consummatae sanctitatis. Tantum quis Sanctus est, quantum amat Deum: utque magnus sit Sanctus et sanctitatis consummatae, solum opus est, ut Deum amet amore perfectissimo. Talis ac tantus fuit amor Dei in Stanislao, et, quod inde consequitur, talis ac tanta fuit divi Stanislai sanctitas, vere consummata. Verius divini amoris, quam calidae febris aestu consumptus creditur. Cor ejus jure focum dixeris sacro hujus amoris igne semper ardentem, praesertim tempore orationis, ubi facies ejus fere erat accensa. Imo aliquoties accidit, ut interno ardori ferendo impar, media hieme coactus fuerit aut frigido aëre, aut

madentibus strophiolis, aut ingesta identidem gelida cordis aestum temperare, praecipue sub ultimos vitae menses, ubi Deus tanto acrioribus divini amoris ignibus hanc amoris sui victimam adussit, quanto propius a sacrificii sui consummatione abfuit. Neque segnes fuerunt amoris flammae, dum solutis brevi corporis ac animae vinculis *pretiosa morte* servum Dei consumpserunt: si mors dicenda felix illud momentum, quod morientem aeternum conjunxit cum illo, cujus amor ipsi vita erat.

Quid mirum, tam raros in mundo Sanctos esse, cum tam pauci sint, qui vere et perfecte amant Deum? Amantur omnia, praeter Deum. Et quid est tandem, quod amatur? bona sunt peritura, vani sunt honores, turpes non raro voluptates. Amantur (horrendum dictu) ingenti Creatoris probro vilissimae amantur creaturae, et totus, qui Deo debetur, amor ipsis consecratur. Amatur, quidquid non est Deus. *Solus amor non amatur: solus amor amoris non amatur.* (S. Magd. de Paz.) Ita fit in mundo.

Quomodo autem nos religiosi, quorum professio est, o Deus, te amare, te amamus? eo scilicet tepore, qui possit tibi magis stomachum movere, quam omne saecularium frigus. Et tamen speramus sanctitatem consequi? Vanissima spes, nisi ocius incipiamus te ardentius amare, tu vero per singularem misericordiam corda nostra tepore languentia convertas in corda, divino amore tuo ardentia.

XXI. Novembris.

Praesentatio B. V. Mariae.

Vide medit. Sabb. hebdom. II. Advent. pag. 325.

XXV. Novembris.

S. Catharina virgo et martyr.

PUNCTUM I.

Qua virgo triumphat de carne et mundo. Consideremus eximias virginum praerogativas. Virginitas similes efficit angelis, et quodammodo his superiores; nam, ait bene S. Petrus Chrysologus, *angelicam gloriam*

acquirere majus est, quam habere: esse angelum, felicitatis est, virginem esse, virtutis, meriti, laboris. Imo haec virtus, teste Spiritu Sancto, *facit esse proximum Deo* (Sap. 6, 20.), et hominem ad recipiendas singulares gratias disponit. Hac angelica virtute meruit Catharina a Christo Jesu in sponsam eligi, quem honorem primis dignitatibus et connubiis praetulit, et, ut illaesum conservaret, contra plurimos hostes propugnare debuit. Prae aliis potentes fuere insignis forma aetasque florida. Haec vi naturali adolescentulam ad sectandas voluptates inclinabat: illa modestissimam licet ac omnia cautissime circumspicientem aliorum oculis, amoribus, desideriis exponebat, praecipue imperatoris Maximini, qui periculoso in eam amore vehementer exarsit. At virgo castissima tanto majore gloria de imperatore triumphavit, quanto majore insania ille virgini partem sceptri, coronae ac imperii in dotem obtulit. Medium non dabatur; necesse erat Maximinum aut sponsum habere, aut tyrannum. Nec momento haesitans virgo hoc prae illo elegit.

Tibi nempe, coelestis mentium castarum sponse Jesu Christe, suam Catharina virginitatem consecraverat: maluit igitur mille vitas, quam foedifrage illam amittere. Tu eam dignatus fueras in sponsam eligere: nihil ergo poterat datam tibi fidem in sponsa labefactare. Tu ejus eras sponsus *electus ex millibus.* (Cant. 5, 10.) Quod si mille alii in dotem ei sceptrum totius mundi obtulissent, contempsisset Catharina.

O insigne castitatis exemplum, quod tot adolescentulas, quibus amorem virginitatis inspiras, o Deus, ad eam debet excitare, et in proposito te solum eligendi in sponsum confirmare!

PUNCTUM II.

Qua magistra triumphat de philosophis. Castitas, uti hominem a terrenis voluptatibus et crassis earum vaporibus removet, ita aptum reddit ad recipiendum purissima a coelo lumina, illustrationes, scientias. Ex hoc fonte potius quam ex virginis studio ac industria profluxit admirabilis et humana major scientia, quam Maximinus, licet repulsa gravissime offensus, in Catharina de falsitate idolorum disserente non potuit non ob-

stupescere. Interea sperans, arduum haud fore suis philosophis argumenta virginis refellere, victamque ad cultum deorum perducere, omnium doctissimos undique accersit, ut cum illa in arenam descendant. Ultro ad pugnam Catharina sese offert. Arrogante igitur vultu prodit, et sublatis in altum superciliis ante alios eruditissimus de suorum origine ac antiquitate deorum magnifice orditur disceptare. Catharina vultu ad omnem modestiam composito, at prorsus intrepido, aniles de origine deorum fabulas, mendacia, imo et scandala primo demonstrat, mox argumentis adeo evidentibus existentiam, unitatem et perfectiones veri Dei, quem Christiana adorat religio, ei ad oculum ostendit, ut illico victas manus et herbam porrexerit victrici. Ejus exemplo reliqui uno ore palam profitebantur, nonnisi unicum dari Deum, seque ad confirmandam sanguine suo hanc veritatem esse quam paratissimos.

O prodigium gratiae nunquam satis obstupescendum, utentis puella ad confundendam gentilis philosophiae arrogantiam, et ad subruendas ejus columnas! Hic enimvero cognoscere oportet ac adorare mirabilem Dei nostri omnipotentiam, qui *infirma mundi eligit, ut confundat fortia* (I. Cor. 11, 27.), et faciat prodigia sane stupenda.

Benedico, et laudo aeternum, o Deus, hanc tuam cum hominibus agendi rationem, quae tantum tibi gloriae, timidis vero, minusque, uti videntur, ad eandem promovendam idoneis tantum parit fiduciae. Hoc ipsum mihi solatio est spemque facit aliquando in manibus tuis evadendi aptum gloriae tuae instrumentum.

PUNCTUM III.

Qua martyr triumphat de tyranno et morte. Videns Maximinus, se tam insigni Catharinae victoria et philosophorum ad fidem Christianam conversione oppido confusum, suas vero fraudes, blanditias, et promissa esse elusa, ad iram, minas et furorem se convertit, cui primas immolavit victimas neo-conversos ad Christum philosophos; mox totam rabiem effudit in Catharinam. Verberibus igitur plumbatisque crudelem in modum

caedi jubet, et dire excarnificatam solidos undecim dies absque cibo et potu, ut fame enecaretur, tetro carcere compingi; quem visendae virginis ergo ingressi bellidux Porphyrius et ipsa Maximini uxor, simul ac praedicantem Catharinam audierunt, ad Christum conversi et suo sanguine baptizati sunt martyres. Tum vero ringi, stridere, in rabiem et furias agi tyrannus, ad inauditum supplicii genus converti. Rotam expediri imperat crebris undique et acutissimis praefixam gladiis, ut corpus virginis in mille frusta dilaceraretur. Sed et haec machina novo sane prodigio suapte in mille frusta illico dissiliit. Maximinus se a virgine toties devictum erubescens, securi eam percuti mandat, atque ita geminis, quibus coronata jam fuerat, virginitatis et doctrinae aureolis tertiam adjicit, aureolam scilitet martyrii.

Equidem non dantur nostra tempestate Maximini, quorum insignis crudelitas faciat martyres: attamen datur hodie species martyrii, quod omnia complectitur tempora, et neminem a merito martyrii excludit. Istud martyrium est abnegatio sui ipsius, amor poenitentiae ac austeritatis, mortificatio passionum, integerrima castitas, mandatorum et consiliorum Dei constans observatio: hoc, inquam, revera martyrium est *horrore quidem mitius, diuturnitate tamen molestius.* (S. Bern.)

En martyrium, quod nemo non subire potest. Ad istud omnes vocas, Domine: ad idem obstringimur omnes promissionibus in baptismo factis. Et speramus sane, tua auxiliante gratia, nos et sanctae vocationi tuae et datae fidei nostrae plene satisfacturos. Si fideles in utroque sumus, profecto nostri ipsorum est sacrificium, quod acceptabis in odorem suavitatis.

XXX. Novembris.

De S. Andrea Apostolo.

PUNCTUM I.

Vocatur a Christo mirabiliter, ut ejusdem esset discipulus, Apostolus, et praedicator legis evangelicae. Insignes sunt hae gratiae, at caeteris, quos Christus ad sui sequelam vocavit, communes. Peculiare S. Andreae

est, quod *primus* omnium fuerit vocatus, ut esset 1. *primus* Christi discipulus; 2. *primus* Christi Apostolus, qui suo exemplo alios, scilicet Simonem Petrum, fratrem germanum, ad Christi cognitionem ac sequelam pertraxit; 3. *primus* Christi socius in perferendo crucis opprobrio.

O quam sublimis est haec vocatio! quam peculiaris! quam gloriosa, non quidem in oculis hominum, qui, cum coelestem magistrum contemptui odioque habeant, ejus discipulos et asseclas non multum aestimant: sed in oculis Dei et eorum, qui coelesti lumine sunt pleni, quantus honor et gloria est, quod *primus*, et, quod consequens est, ceu exemplar reliquorum omnium, assumatur a Christo in ministerium fidei, in laborum communionem et conversionem totius mundi, in crucis, mortis, et gloriae societatem!

Adeo singularem, adeo gloriosam, magne Christi Apostole, tibi ex animo gratulor vocationem, et humillimas Deo grates propterea ago. Favor is fuit peculiaris, quo Deus te prae aliis dilexit, quemque ego nec satis aestimare, nec sperare unquam possum: ingratissimus tamen mortalium forem, o Deus, nisi gratus agnoscerem, quod favores et gratias, Apostolo Andreae concessas, aliquo modo participem *qua Christianus*, cum talis esse non possim, nisi *discipulus* sim Jesu Christi, in propaganda ejus gloria *zelotes*, in amplectenda cruce imitator et *socius*. Gratia haec est, quam non omnibus, imo quam paucis contulisti: gratia, quae est fons et origo aliarum sine numero gratiarum: gratia, quam memori semper animo recolere debeo.

PUNCTUM II.

Vocationi respondet fideliter. Summa sancti Andreae felicitas est modo tam peculiari fuisse a Christo vocatum: at non minus Sancti meritum est, vocationi suae tanta fidelitate respondisse; audi, quanta. 1. Ad Christi scholam vocatus, sine omni mora obediit vocanti, factus propediem ex discipulo Joannis Baptistae tiro illius, cujus ille fuerat praecursor: *continuo relictis retibus secutus est eum.* (Matth. 4, 20.) 2. Vocatus ad munus Apostoli, zelo infatigabili peragravit Scythiam, Thraciam et Achajam,

ubi fidelitatem suam profuso sanguine comprobavit. 3. Vocatus ad societatem crucis Jesu Christi, ubi illam, cui affigendus erat, eminus vidit, mox in ejus amplexum ruens: *Salve*, exclamabat corde magis quam ore, *salve, o bona crux, diu desiderata, sollicite amata, sine intermissione quaesita: accipe me ab hominibus, et redde me magistro meo.*

Tunc aliquando haec verba rite perpendisti, anima mea? tu, tantundem horrens adversa et crucem, quantum amavit Andreas? An nescis, crucem signum ac instrumentum esse salutis nostrae? an ignoras, quod *oportuerit* ipsummet *pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?* (Luc. 24, 26.) quod proin frustra speres sine cruce eo pertingere?

Novi utique, mi Jesu, crucem esse scalam coeli: novi, me ex eo capite, quod discipulus sim Dei pro me crucifixi utique obligari, ut crucem geram in fronte, portem in corde, et crucis amorem prae me feram in omni actione. Id volo, o Deus, id desidero, at desiderio ac voluntate infirma, nisi tu per efficacem gratiam corrobores.

PUNCTUM III.

Remuneratur a Deo liberaliter. Bono et liberali servimus Domino, qui liberalitate nunquam se vinci patitur. Evidenter id patet in laboribus Andreae, a Deo liberalissime compensatis. Dedit ei Deus potestatem patrandi miracula, innumeros convertendi gentiles etc. Addidit singularia amoris argumenta, uti testatur Ecclesia, dicens: *Dilexit Andream Dominus in odorem suavitatis.* Dilexit in vita: quantum ergo amat eumque amabit in aeternitate? Quam sublimi gloriae gradu eum condecoraverit in coelo! Quem illi honorem exhibebit in die judicii, ubi *signum crucis*, cujus opprobria tam large participavit Andreas, coram omni universo gloriosum *erit in coelo, cum Dominus ad judicandum venerit!*

Quantum gaudebis tunc, anima mea, crucem hanc amasse et continue portasse in vita! Quantum contra cum inimicis crucis Christi dolebis eam horruisse! Sed dolor tunc erit inutilis: quem tamen utilissime possum praevertere, si modo cruces et adversa, quae mihi divina

providentia immittit, debita animi submissione acceptem, et voluntatem, quantumcunque reluctetur, cogam cum S. Andrea exclamare: *O bona crux!*

III. Decembris.

De S. Francisco Xaverio, Indiarum Apostolo.

PUNCTUM I.

Quibus eum donis praepararit Deus ad apostolatum. Cum Deus Xaverium ab aeterno in Japoniae ac Indiarum elegisset Apostolum, ad tanti momenti tantaequae difficultatis opus eum ornavit 1. praestantissimis *naturae* dotibus; ingenio scilicet vasto et acri, summa scientias addiscendi facilitate, robusta corporis habitudine, animo grandi et ad quaevis obstacula imperterrito. Verum quid haec omnia naturae dona contulissent, mi Deus, ad obtinendos fines sublimissimos, ad quos Xaverium elegisti, si solum magnam Xaverio nominis existimationem peperissent in mundo? Necesse ergo fuit, ut 2. per *gratiam* tuam illi oculos aperires, quo videret, illa naturae talenta ad finem longe altiorem esse a te ipsi concessa: id, quod ope Ignatii Loyolae effecisti. Hic vanitatem et grande nihilum humanae gloriae Xaverio demonstravit, simulque ad majora ipsum et ad solidiorem gloriam natum esse: quae nimirum in eo consisteret, ut tu glorificeris. Et vero haec et similia adeo animum Xaverii perstrinxere, ut in alium repente hominem mutatus, nihil jam anhelaret nisi occasiones quam plurimas divinam propagandi gloriam. 3. Opportunissimam ad id occasionem Dei providentia obtulit dirigendo Ignatium, ut in locum alterius aegrotantis, qui ad iter Indicum destinatus jam fuerat, sufficeret Xaverium.

Quibus autem machinis aut verborum moliminibus erat opus, ut converteretur, et unum ex praestantissimis, quae unquam in Ecclesia extiterunt, gloriae divinae instrumentis evaderet? opus erat unica, quam Ignatius identidem Xaverio oggessit, sententia, ex divino ore tuo olim profecta, o Jesu: *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae de-*

trimentum patiatur? (Matth. 16, 26.) At cur haec sententia nos tam parum commovet? nonne aeque nos, ac Xaverium tangit aeterna haec veritas? Profunde eam cordi nostro imprime, o Deus, et mox convertemur, mundique erroribus immunes ad implendam legem tuam rite disponemur.

PUNCTUM II.

Quas in apostolatu virtutes exercuerit Xaverius. Eluxerunt in eo omnes viri apostolici virtutes. Prima ceu fundamentum reliquarum fuit profunda *humilitas*, quae nunquam admisit, ut vanam captaret complacentiam aut laudem propriam, licet splendor et excellentia operum ejus in omnium oculos incurreret: Humilitas, quae exiguam sui aestimationem, magnam vero sui ipsius diffidentiam in Xaverio semper conservabat. Secunda fuit admirabilis in Deum ejusque omnipotentiam, cui unice innitebatur, *fiducia:* aeque persuasum habuit, se, uti nihil posset propriis viribus suis, ita nihil non posse viribus gratiae. Tertia, quae ex secunda, ut haec ex prima, nascitur, fuit prorsus heroica et incredibilis *magnanimitas*, quae virum omni humano metu, seque ipso superiorem reddidit, ita ut nihil non auderet, nihil non aggrederetur, quantumvis arduum fuerit. Quarta fuit constans in laboribus, injuriis, calumniis, fame, siti, omnium rerum penuria, vitae periculis *patientia.* Quinta, ardens, immensus, infatigabilis *zelus* divinae gloriae et salutis animarum, quo inflammatus intra decennium ultra decies mille leucas confecit, ut quaereret et converteret animas: centum et amplius qua insulis, qua regnis fidem ac nomen Jesu Christi invexit: decies centena hominum millia ad Christum convertit, et crucis vexillum innumeris regionibus primo intulit.

Divinam adoremus providentiam, quod ultimis hisce temporibus alterum suscitarit Paulum, et novum mundi Apostolum iis virtutibus exornaverit, quas in gentium Apostolo admiramur. Adeo eximias etiam in Xaverio admiremur virtutes; at non sistamus in sola et sterili admiratione. Studeamus eas diligenter imitari: erubescamus, quod hanc usque in diem tam parum simus

imitati: pudore suffusi fateamur, tam exiguos in promovenda Dei gloria fructus nostros nasci ex defectu virtutum, ministro apostolico necessariarum. Forsan in rebus a Deo et ejus gratia pendentibus nos de nobismetipsis ac viribus nostris arrogantius sentimus; unde fit, ut divino destituti auxilio, quod humili dumtaxat fiduciae conceditur, nec audeamus ardua aggredi, nec possimus labores tolerare aut pati adversa. Haec divinae erga nos providentiae obstacula tollamus, siquidem velimus, ut Deus ad propagandam nominis sui gloriam nostra utatur opera, nosque gratia sua hoc in munere adjuvet.

Quod si vero ad conversionem animarum destinati non simus, nonne vocatio nostra est saltem proprias convertere et sanctificare animas? Ad hoc autem efficiendum nonne oportet nos esse humiles, nobis diffidere, in solo confidere Deo, gratias, robur et virtutem ex alto petere, ut cum salutis nostrae inimicis confligere possimus, et vincere? Discamus saltem propriam salutem curare, dum videmus, quanto Xaverius zelo curarit alienam tot infidelium et barbarorum.

PUNCTUM III.

Quibus praemiis Deus remunerarit labores Apostoli. Quo liberalius pro Dei gloria Xaverius vires, corpus, vitam prodigebat, eo copiosius suas in eum benedictiones, gratias et praemia Deus profundebat. 1. Immensos labores immensa consolatione et coelestibus deliciis uberrime deliniebat, adeo, ut ferendis impar moderationem excessus a Deo petere et exclamare fuerit compulsus: *Satis est, Domine, satis est:* contra oblatis pro Christo laboribus et adversis· *Amplius, Domine: Amplius.* Superi, quam longe nos a Xaverio distamus! de nostris conquerimur crucibus: nonnisi solatia anhelamus. 2. Innumeris Deus signis et miraculis praedicationem Xaverii confirmavit. Ubicunque incedebat, nova euntem comitabantur aut sequebantur miracula: pulsi e corporibus morbi ac daemones: viginti quinque mortui ad vitam revocati: aqua marina signo crucis in dulcem conversa: mare, venti, tempestates ejus vocem

et nutum adoravere. Ipsi adeo gentiles, horum testes miraculorum, inficiari non poterant, Deum Xaverii esse Dominum naturae et, quam praedicavit religionem, esse veram. Non omnibus concessum est patrare miracula: at omnibus incumbit praedicare Evangelium *exemplo* et, nisi exemplum legem Evangelii persuadeat, opus est ore ac ministerio Apostoli. 3. Successus, queis Deus ardentem Xaverii zelum coronavit, fidem et naturae vires superant. Paucis omnia complectamur. Ejecta ex orbe novo idololatria, templa falsorum deorum eversa, arae destructae, multa idolorum milia diruta, insulae, regiones integrae ac regna ad Christum cum regibus ac subditis conversa: his, inquam, benedictionibus et praemiis Deus Xaverium coronavit adhuc *in vita:* at non minoribus *post mortem*. Incorruptio s. corporis post tot annorum seriem, prodigia, quae ad Sancti tumulum semper facta sunt, et hanc usque in horam quotidie ad ejus invocationem fiunt; haec, inquam, affatim demonstrant, quantum Deus servum suum desideret glorificare. Egone solus sim, qui te, o magne Indiarum Apostole, in vota vocatum non sentiat advocatum aut thaumaturgum? Ah! tuam patrandi miracula potestatem exerce in me. Non peto bona terrae, non saeculi honores, non sanitatem corporis: solam animae peto salutem, quae sine dubio tibi aeque cordi ac in pretio erit, atque fuerat tibi salus Indorum ac Japonum.

VI. Decembris.

De S. Nicolao Episcopo.

De quinque talentis. Matth. 25, 14. sq.

PUNCTUM I.

Quam plurimum interest gratiis, quas Deus nobis conferre dignatur, fideliter respondere. Bonus earum usus trahit et meretur novas, plures aut pauciores, prout meremur, aut divina elargitur providentia. Utrumque in S. Nicolao ostendit Deus. Gratiae, quibus eum ceu totidem talentis benigne concessis praevenit, fuerunt istae: 1. Indoles prorsus bona, et ad virtutis exemplar formata.

2. Animus docilis et ad hauriendas instructiones aptissimus. 3. Summum peccati odium, et horror omnium, quae honestati aut rationi adversantur. 4. Admirabilis facilitas discendi, et par inclinatio retinendi, quidquid virtutes animo ejus poterant inserere. 5. Rara facundia et stupenda vis, quae dixit, aliis persuadendi.

Quanta laetitiae seges hic exurgit devotis S. Nicolao clientibus, dum tot eximiis ornatum favoribus vident! Quanta simul obligatio Deo grates agendi, quod per haec naturae dona eum tam praeclare disposuerit ad recipienda gratiae dona, per quae formare decreverat prorsus eximium in Ecclesia Sanctum, et praepotentem fidelium protectorem.

Anima mea! laudemus Deum ob tantam erga S. Nicolaum liberalitatem: et huic adeo copiosa naturae dona seu talenta gratulemur. Nos quod attinet, talentis, quae a divina bonitate accepimus, seu multis seu paucis contenti vivamus, de bono dumtaxat eorum usu solliciti. Ut sancti evadamus, sat multa habemus, si ea rite impendamus ad mentem Domini, qui nobis illa tradidit.

Ita est: id unum a me exiges, Domine; bonum gratiarum, quibus me praevenisti, usum: et quando tibi in judicio rationem de iis debebo reddere, non quaeres, quantum earum acceperim, sed qua fidelitate iis responderim.

PUNCTUM II.

Quinque talenta Nicolaus fidelis servus accepit a Domino: et *ecce alia quinque superlucratus est:* et haec sunt quinque insignes, quas per omnem vitam continue exercuit, virtutes: scilicet 1. *mortificatio*, quam ex utero matris in lucem secum protulisse videtur, dum ab incunabulis qualibet feria quarta et sexta ad vesperam usque lacte materno infans abstinuit: mortificatio, quam cum annis semper adauxit non modo frequentioribus jejuniis, sed et aliis corporis afflictationibus, ad vitae finem usque productis. 2. Tenerrima erga pauperes *misericordia*, quorum egestatem ac miserias vere paterna sollicitudine sublevabat. 3. Nata ex duabus praecedentibus intima et perpetua *cum Deo unio* et altissima contemplatio; teste enim S. Augustino eleemosyna et mortifi-

catio duae sunt alae, quibus oratio ad coelum elevatur, et animam elevat misericordiae et mortificationi deditam. 4. Perpetuum *s. Scripturae studium* et scrutatio, diviso inter illud et orationem nocturno tempore, quod ut plurimum subtrahebat quieti ac somno. 5. Ortus ex sacra lectione ingens divinae gloriae ac animarum *zelus*, quo proximum erudiebat, exhortabatur, convertebat: zelus, qui praecipue enituit in propugnanda contra idololatriam divinitate Jesu Christi, pro cujus honore, uti S. Paulus, meruit in vincula et carcerem conjici.

O admirabilem Sancti hujus fidelitatem in usu talentorum, quae coelestis paterfamilias ei credidit! Quantum hic fuerit gavisus, illa tam fideli servo tradidisse! An autem aequali gaudio nos Deum afficimus, anima mea? An eodem, quo S. Nicolaus fervore expectationi ejus respondemus? Si per ejus gratiam *sortiti sumus animam bonam*, pios parentes, magistros, virtutibus praeditos, educationem vere christianam, mera sunt talenta, quae a divina bonitate accepimus. At quomodo iis sumus usi? effecimusne, ut felix ista sementis germinaret fructumque afferet cum foenore, seu augmento virtutum?

Ah! Domine Deus! si hodie tibi deberem talentorum, quae accepi, rationem reddere, ne ego jure timerem tristem illam, qua servum malum et pigrum fulminasti, sententiam: *Tollite ab eo talentum.* Quo autem supplicio afficerer, si talentis, quae mihi liberaliter dedisti, male abusus fuissem ad te offendendum, vel etiam ad scandalum et perniciem proximi, cujus saluti ea impendere oportebat? Ah, Domine! satius est talentis omnino carere, quam ita abuti. Ego certe millies malim iis destitui aut privari, quam non uti ad gloriam tuam.

PUNCTUM III.

Consideremus, qua vultus serenitate et effuso sinu Dominus servum suum exceperit, quando in mortis articulo venientem conspexit cum immenso bonorum spiritualium foenore, quod ex optimo talentorum usu collegit. Qua animi exultantis laetitia ex ore Jesu Christi Nicolaus perceperit verba solatiis plenissima: *Euge serve*

bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui! Hicque honoris ac praemii, S. Nicolao collati, cumulus consistit in quinque singularibus privilegiis, quae eidem fuere a Deo concessa: videlicet 1. summa potestas in ventos et tempestates; 2. gratia curationum; 3. virtus sterilibus feminis impetrandi foecunditatem et 4. captivos vinculis et carceribus eximendi, praecipue 5. peccatores a vinculis peccatorum et a gehenna praeservandi: id quod incomparabile est privilegium et praerogativa, quam Ecclesia ex instinctu Spiritus Sancti in hodierna festi oratione S. Nicolao peculiariter attribuit, enixe Deum obsecrans, *ut ejus meritis et precibus a gehennae incendiis liberemur.*

Singularia haec privilegia in nostri gratiam ac utilitatem obtinuisti, o magne Dei Sancte. Utere ergo illis in mea commoda. Passionibus meis, quae *turbinis instar* pacem et malaciam mentis perturbant, silentium impone: spirituales, quibus scateo, *morbos* pelle: *sterilem* animam fac bonis operibus abundare: rumpe, quibus implicor, pravorum *catenas* habituum: quodque caput est, defende me a perpetuis in *gehennam* ruendi periculis: fac, ut ab ea per potentem tuam intercessionem praeservatus, meam tibi post Deum salutem debeam.

VIII. Decembris.

De immaculata conceptione b. Virginis.

Vide medit. Fer. IV. hebdom. III. Advent. pag. 336.

XXI. Decembris.

De S. Thoma Apostolo.

Vide medit. Dom. I. post Pascha Part. I. pag. 295.

NB. Denique meditationes *de Nativitate Jesu Christi,* de Festis *S. Stephani Proto-Martyris, S. Joannis Evangelistae, et SS. Innocentium* vide supra pag. 358 sq.

INDEX
meditationum in singulos anni dies.

INDEX
meditationum in festa Sanctorum.

Mense Julio.

Mense Augusto.

Mense Septembri.

Mense Octobri.

Mense Novembri.

Mense Decembri.

INDEX

meditationum Exercitiis spiritualibus servientium.

NB. Ex his octo dierum exercitiis quilibet aptiores pro triduana animi collectione materias sibi facili labore seliget.

O. A. M. D. G.

Puente, Luis de la, 1554-1624.
Meditationes in compendium redactae et magno meditationum numero de praecipuis sanctorum festis auctae

BX 2186
.P918
1892
v.2

Puente, Luis de la, 1554-1624.
Meditationes in compendium redactae et magno meditationum numero de praecipuis sanctorum festis auctae